CATVLLVS,

ET IN EVM COMMENTARIVS

M. ANTONII MVRETI.

*

AB EODEM CORrecti, & scholiis illustrati.

TIBVLLVS, ET PROPERTIVS.



LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,

SVB SCVTO VENETO.

M. D. LIX.

M. ANTONIVS MVRETVS BERNARDINO LAVREDANO, ANDREAE F. PATRICIO VENETO, S. P. D.

PRAESTANTIVM poetarum, Bernardine Lauredane, adolescens clarissime, neque magna vnquam copia, & semper magna laus fuit. Copia ne fuerit, id in caussa est; quòd in ceteris facultatibus, nemo est, dũtaxat eorum qui hebeti penitus ingenio non sunt, qui non, adhibito labore, si minus excellere, at certe ad mediocritatem aliquam peruenire se posse confidat; in hac, nisi ab iis, quos ipsa quodam modo natura ad eam finxerit, labore, diligentia, vigiliis effici nihil potest. Ea ipsa res in hominum animis admirationem peperit poetarum, obstupefactis videlicet hominibus, cum viderent, alios sponte quadam, & propensione naturæ, sine vllo labore ea fundere, quæ cum omnibus eloquentiæ luminibus interlita, tum sparsa multifariam eruditionis variæ notis; non tantum dulci sono tenerent aures, sed etiam omni genere affectuum, intimos audientium sensus, cogitationésque tentarent; alios contra ingenuarum artium

ſcientia perpolitos, nulla tamen diligentia, aut diuturnitate ſtudij conſequi poſſe, vt aliquo inter poetas numero ac loco haberentur. Vt autem omni elegantis doctrinæ tractatione, ita huius quoque virtutis præſtantia, longe ſupra ceteros Græcorum hominum ingenia floruerunt. Romani & ſerius attigerunt poeticam, & coluerunt negligentius, & minime longo tempore in recte ſcribendorum poematum via perſtiterunt. ſiqui dem cum à rudibus apud eos poetica profecta principijs, tandem per multos gradus ad Virgilium perueniſſet, quo ego homine nihil ſtatuo fieri potuiſſe diuinius; ita poſtea cœpere ingenia in deterius labi, vt mirum ſit, quanta, quàm breui tempore, ſit conſecuta mutatio. Hiſpani poetæ præcipue & Romani ſermonis elegantiā contaminarunt, &, cum inflatum quoddam, & tumidum, & gentis ſuæ moribus congruens inuexiſſent orationis genus, auerterunt exemplo ſuo ceteros à recta illa, & ſimplici, in qua præcipua poetarum ſita laus eſt, & in quam ſuperiores omni ſtudio incubuerant, imitatione naturæ. itaque fere poſt Auguſti tēpora, vt quiſque verſum maxime inflauerat, ſententiam maxime contorſerat, eo denique modo locutus fuerat, quo nemo ſerio ſoleret loqui, ita in pretio haberi cœpit. Quinetiam fucatus ille ſplendor, & adulterina eloquentiæ ſpecies ita non nullorum, qui veræ eloquentiæ guſtum non habent, occæcauit animos, vt his quoque temporibus extiterint Hiſpani duo, homines ceteroqui & in primis eruditi, & ſcriptis editis nobiles; quorum alter Lu-

canum

canum Virgilio,alter Martialem Catullo anteponere veritus non est. quorum ab vtroque ita dissentio,vt,si quis deus potestatem mihi optionemq; faciat,non dicam Virgilij,cui videor iniuriam facere,si eum vllo modo cum ceteris cōparem,sed Ennij alicuius,aut Furij,quàm Lucani,multo similem in scribendo esse me malim; inter Martialis autem & Catulli scripta tantum interesse arbitrer,quãtum inter dicta scurræ alicuius de triuio,& inter liberales ingenui hominis iocos,multo vrbanitatis aspersos sale. neque vero negauerim,multa in Martiale quoque non inscienter dicta reperiri:sed profecto deteriorũ longe numerus maior est.Latinę quidem orationis natiua illa,minimeque quasi pigmentis infucata germanitas in Martiale nulla est,in Catullo præcipua. Iis de causis cum ab illo altero,nescio quo modo,semper abhorruissem,Catullum contra nunquam non mirabiliter amaui:itaque legebam eum adolescentulus studiose,magnamq; operam ad lepores illius intelligendos conferebam;nihil tamen minus cogitans,quàm fore vnquam,vt in eum commentarios scriberem. sed, cum haud ita pridem venissem in Italiam,& vt eam regionem aspicerem,qua qui æquo animo carent,mihi quidem antiquitatis memoriam satis colere non videntur,& mehercule,verum vt dicam,cum alios eruditos homines , tum Paulũ in primis Manutium vt cognoscerem;quòd in eius scriptis mihi videbar animaduertisse expressas quasdam excellentis doctrinę,eximiæq; pro-

bitatis notas; mihíque diuina quadam virgula contigisset, vt non pedem pene prius in hac ciui tate ponerem, quàm in amicitiã ipsius familiaritatemq; intimam admitterer; ipseque aliquot diebus post, de meis sermonibus collegisset, quantopere me eius poetæ scripta caperẽt, Quin tu, inquit, M. Antoni, quæ in hoc genere notasti, ea in publicum profers, fructumq; laboris tui cũ ceteris antiqua illa naturæ atque humanitatis lege communicas? ibi tum ego cum & longe aliarum viriũm opus illud esse dixissem, & protulissem alia multa, quæ mihi ad eam cogitationẽ suscipiendam sanequam incommoda essent; eáque ipse amice admodum refutare pergeret; (nosti aũ tem diuinam hominis illius in dicendo suauitatem) non prius destitit, quàm me impulit denique, sibi vt reciperem, me id primo quoq; tempore esse facturum. Neque vero diu fidem meam liberare distuli; vt qui inter varias occupationes, homo alioqui laboris non nimium tolerans, hoc tamen, quidquid est, trium mensium, aliquanto etiam minore, spatio absoluerim. Nunc hasce vigilias meas, Bernardine Lauredane, multæ sunt caussæ, quamobrem tibi dicatas velim. Natus es ex ampla cum primis & nobili familia, & ex qua ea Venetæ ciuitatis lumina extiterunt, quorũ claritatem nulla vnquam inobscurabit obliuio. Præterea est hoc generi vestro prope fataliter datũ, vt ametis literas, hominesq; earũ scientia excultos benignitate vestra comprehendatis. Nõ longe abierimus: pater ipse tuus, vir, vt omnes no-

tunt, omni egregiæ virtutis laude cumulatissimus, ita literarũ amore incẽsus est, vt ea, qua vbique plurimum valet, auctoritate & gratia permagnam optimorũ librorum, signorum, nomismatumq; veterum, ceterorumq; antiquitatis monimentorũ copiã ex vniuersa Europa diligẽtissime collegerit, itaque, vt augusta quædam Musarum ædes, ita domus vestra Venetiis ab eruditis hominibus frequentatur. Hæc cum magna sint, vt certe sunt, tamen ex te ipso possunt innumerabilia magis propria tuæ laudis argumenta desumi: ingenium excellens, acre ac indefessum literarum studium, optimarum artium cognitio tanta, quantam tu cum paucis aliis in istam ætatis viriditatem cadere posse docuisti: tum, quod præcipuum est, ita cõpositi mores, vt iuuentus tua multorum senectuti exemplo esse possit. Vel his superioribus mẽsibus, cum ad M. Antonij Triuisani, principis optimi, propinqui tui, luctuosam bonis omnibus mortem, funebri laudatione honestandam vnus ex omni Venetæ nobilitatis flore delectus es; quanta, deum immortalem, orationis & grauitate, & copia, quanta omnium, qui aderant, non approbatione tantum, verum etiam admiratione dixisti: vt iam tum sperare non dubie senatus populúsque Venetus cœperit, quæ tam diserte in alio laudares, ea te aliquando re atque operibus præstiturum. Igitur cum eam orationem in publicum emisisses, nemo repertus est, qui non in cælum tolleret; aut, si qui postea fuerunt, qui eam clanculum extenuarent verbis, eos satis constat vel crassitudine

ingenij, ne illius pulchritudinem peruideant, vel, ne pro dignitate commendent, veteræ morbo perpetuæ in omnes bonos inuidiæ impediri. Acceßere his prope quotidiani mecum Pauli Manutij de tua laude ſermones; in cuius tu viri ore plane habitas. ita enim frequenter, ita cupide de te loquitur, vt mihi nunquam omnino, quàm cum de te dicere ingreßus eſt, facundior eſſe videatur. Attigi breuiter ea, quæ me, vt húc librum tuo nomini potiſsimum inſcriberem, impulerunt. Nunc à te, adoleſcens ornatiſsime, etiam atque etiam peto: primum, vt munuſculum hoc non ex ſua magnitudine: ſed ex meo tibi gratificãdi animo ponderes: deinde, vt, ſi quando eorum rationem inibis, quos eximiæ tuæ virtutis admiratio adiunxit tibi, me quoque, ſi videtur, eorum adſcribendum numero exiſtimes. Venetiis, idibus Oct. M.D. IIIII.

C. VA

C. VALERII CATULLI, VERONENSIS, AD CORNELIUM NEPOTEM LIBELLUS,

ET IN EUNDEM COMMENTARIUS M. ANTONII MURETI.

Quoi dono lepidum nouum libellum,
Arida modo pumice expolitum
Cornelii tibi. nanque tu solebas
Meas esse aliquid putare nugas
Iam tum, cum ausus es vnus Italorum
Omne æuum tribus explicare chartis,
Doctis, Iuppiter, & laboriosis.
Quare habe hoc tibi quidquid est libelli.
Qualecunque quidem ✱
Plus vno maneat perenne seclo.

Quoi dono, *quis hic Cornelius fuerit, diu, multúmq; dubitatum est. dubitandi autem nulla fuisset occasio, si in veteribus libris hæc, quæ nunc in omnibus legitur, inscriptio fuisset,* C. VALERII CATULLI AD CORNELIUM NEPOTEM LIBELLUS. *sed profecto & hæc, & ceteræ quæ sunt singulorum epigrammatum, factæ sunt, non ab ipso poeta, sed vel à grammaticis, vel à librarijs. cui rei si nihil aliud, certe illud in-*

dicio est, quod multa in eis absurdissima, & ab auctorum sententia alienissima reperiuntur. Neque de hoc tantum libro loquor. idem in Tibullo, Propertio, odis Horatij à quolibet non imperitissimo homine animaduerti potest. Vtinam quidem, quæ deberet, ea in tractandis veterum monimentis & seruata esset à superioribus, & hodie seruaretur religio. simpliciora haud dubie omnia, & integriora legerentur. nunc, dum quisque, pro suo arbitratu, addit, delet, immutat, fiunt ex non integerrimis voluminibus manu scriptis impressa vitiosissima. Neque vero improbo, magnopere etiam laudo, qui modeste coniecturas suas proponunt: certorum audaciam non approbo. At de his satis. Quòd hic Cornelium Nepotem *intelligi aiunt, mihi quoque probatur. Cornelium quidem ipsum magnifice de Catullo sensisse, ex eo liquet, quòd in vita Attici cum L. Iulium Calidum à poematum suauitate ita laudaret, vt eum ceteris ætatis suæ omnibus anteponeret, Lucretium modo, & Catullum excipiendos putauit.* Lepidum *Modeste commendat munus suum. lepidum enim paruis tantum in rebus dicimus, vtpote quod ductum sit ἀπὸ τῆς λεπίδος: λεπὶς autem ἀπὸ τοῦ λέπω.* Arida, *ita legendum esse ex testimonio Seruij, alij quoque annotarunt.* Pumice expolitum, *pellibus, vt nunc fit, libri etiam olim obtegebantur: eaq; pumice poliri, ac leuigari solebant. Ouidius,*

Nec fragili geminæ poliantur pumice frontes:
Hirsutus passis vt videare comis.

Verbum ipsum poliendi ductum est ἀπὸ τῆς πόλεως: quod vrbana omnia politiora esse solent. Nugas, *alibi ineptias vocat,*

Si qui forte mearum ineptiarum

Lectores eritis.

Vnus Italorum. *nam etsi alij quoque scripsere historias, nemo tamen aggressus est id, quod tu, omnis aeui memoriam vnius libelli explicatione complecti.* Tribus chartis, *breui libello.* Iuppiter. *admirantis est, eandémque vim habet, quam Græcorum ἡράκλεις. sic alibi,*

Iuppiter, vt tersti lumina sæpe manu.

Laboriosis. *laboriosus homo, industrius, & φιλόπονος. laboriosus etiam, impeditus, quique se ex molestiâ aliqua explicare non potest. Cicero, quid nobis duobus laboriosius, indices? laboriosus locus, in quo multum laboratur. Gallus poematis,*

Durum rus fugite, & laboriosum.

citat Nonius. Hic tamen ipse versus apud Gellium, sub Calui nomine, leuiter immutatus citatur. Hic autem chartas laboriosas dicit, μεγάλῃ καὶ ἀκριβεῖ σπουδῇ τε καὶ ἐπιμελείᾳ πεπονημένας. Qualecúmque quidem *huius versus altera pars desideratur. Quod autem vulgo legitur,* Ora per virorum, *additum est à Ioniano Pontano, vt & alia nonnulla in hoc libro: quod & Palladius indicat, & aperte ex hoc ad ipsum Sannazarij epigrammate cognoscitur:*

Doctus ab Elysia redeat si valle Catullus,
Et trahit ingratos Lesbia sola choros;
Non tam mendosi mœrebit damna libelli,
Gestiet officio quàm Iouiane tuo.
Ille tibi amplexus atque oscula grata referret,
Mallet & hos numeros, quàm meminisse suos.

amice Sannazarius, & venuste. sed Catullus mallet profecto, vt opinor, suos. Ego, etsi non video, quid aptius appingi potuerit; satius tamen duco, esse lacu-

nas

nas in bonis libris, quàm easdem cuiusquam ingenio expleri.

AD PASSER[illegible] LESBIAE.

PASSER, *deliciæ meæ puellæ,*
Qui cum ludere, quem in sinu tenere,
Cui primum digitum dare appetenti,
Et acres solet incitare morsus,
Cum desiderio meo nitenti
Carum nescio quid lubet iocari,
Vt solatiolum sui doloris;
Credo, vt tum grauis acquiescat ardor;
Tecum ludere, sicut ipsa, possem,
Et tristes animi leuare curas.
Tam gratum id mihi, quàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam soluit diu ligatam.

Passer *Politianus, leui, aut nullo potius argumento ductus, obscœnum quiddam huius passeris nomine obtegi credidit. in quo, merito, vt mihi quidem videtur, à Sannazario, aliisque derisus est. Narrat quidem Festus, στρουθὸς nomine vocatam in mimis obscœnam partem virilē, à passerum videlicet salacitate: sed hic tam multa sunt, quæ nisi de aue intelligi non queunt, vt nihil tale liceat suspicari. Quo fit, vt magis admirer, quod audio, Benedictum quoque Lampridium, hominem alioqui eruditissimum, raræq; cuiusdam in pangendis versibus elegantiæ, hanc Politiani sententiam in omni sermone approbare solitum fuisse. Facere etiam imperite puto, qui illud Martialis,*

Sic forsan tener ausus est Catullus
Magno mittere passerem Maroni,

perinde accipiunt, ac si ab historico, non à poeta, dictum esset.

esset. Primũ illud, Forsan, *satis indicat exemplum hoc esse ex genere eorum, quæ poetæ apte ad rem propositam sæpe comminisci solent: qualia sunt illa,*

Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
Egressum castris pulcher Iule tuis:
&, -Teucer Salamina, patrémque
Cum fugeret, tamen vda Lyæo
Tempora populea fertur vinxisse corona: & innumerabilia ad eundem modum. Qua in re tanta est eorum licentia, vt sæpe etiam alij alijs pugnantia confingant.
-quod erat longissima, ait Ouidius, nunquam
Thebais Hectoreo nupta resedit equo.
at ille alter narrat impuræ libidini indulgere solitos seruos, Hectoreo quoties sederat vxor equo.
Deinde non erat sane tam magnus Maro, quo tempore hæc scripta sunt, vt iudicium illius Catullus requirere, aut vero de eo quidquam cogitare deberet. quippe, si Crinitum ipsum sequamur, cum Catullus migrauit è vita, P. *Maro Cremonæ studijs operã dabat, vixq́; annum ætatis duodecimum impleuerat. Non est autem dissimulandum, in quibusdam libris illud, quod est paulo infra,* Lugete ò Veneres, *esse principium epigrammatis: in alijs hoc totum de passere continenter legi. ego, cum, quod pro certo affirmem, non habeam, labor tamẽ, vt putem duo esse epigrammata, quorum priore viuum adhuc passerem alloquitur: posteriore eũdem mortuum deflet.* Deliciæ, τὰ παιδικά. Primum digitum: *summam digiti partem. ita Terẽtius primam fabulam, & vltimam plateam dixit: ita* M. *Tullius primoribus labris gustare, & extremis digitis attingere.* Appetenti, *apprehendere cupienti*, ὀρεγομένῳ. *Home.* -ὃ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος ἕκτωρ. Cum desiderio, *cum puella*

puellæ ipsi,(eam enim desideriũ suum vocat) aliquam animo ægritudinem sentienti, libet carum & amabile quiddam iocari, atque ex tuorum lusuum festiuitate aliquod doloris sui solatiũ quærere, efficereq́; vt tecum lusitando, ardor ille animi acquiescat. Tum, *interim dum ipsa ita iocatur.* Grauis, *graue, proprie est τὸ βαρὺ; sed per translationem significat, quidquid molestum est, vt Græcis τὸ δεινόν.* Ardor *ille doloris quasi morsus. Est autẽ valde apta tralatio. nam & vrere, interdum valet molestiam exhibere. Terentius Eunucho, Vra hominem: & in eadem fabula, te vt male vrat. Horatius.*

Vrit enim splendore suo, qui prægrauat artes
Infra se positas.

Tecum ludere, sicut ipsa, possem. *vtinam, inquit, sicut ipsa tecum ludendo doloris sui ardorem mitigat, possem ego quoque eadem conditione tecum ludere, & talibus lusiunculis leuare curas, quibus conficior. In hoc autem versu nihil mutauimus, sed veterum librorum scripturam, temere, vt visum est, ab alijs loco motam, reposuimus.* Possem, *subaudi vtinam. Sic sæpe apud Græcos Euripides, vt Oreste, μόλοιμι τὰν οὐρανοῦ μέσον χθονὸς τεταμέναν αἰωρήμασι πέτραν. & Phœnissis. χορὸς γενοίμαν ἄφοβος.* Tam gratum id mihi. *subaudi,* esset. Puellæ pernici. *Atalantæ. fabula ex metamorphosi Ouidij, aut ex commentario in Comasten Theocriti nullo negocio peti potest.* Quod zonam soluit. *Festus, Cingulo noua nupta præcingebatur, quod vir in lecto soluebat, factum ex lana ouis, vt sicut illa, in glomos sublata, coniuncta inter se sit, sic vir suus secum cinctus vinctúsque esset. Hoc Herculano nodo vinctum vir soluit, ominis gratia, vt sic ille felix sit in*

suscipiendis liberis, ut fuit Hercules, qui LXX. *liberos reliquit. & paulo infra, Cinxiæ item Iunonis nomen sanctum habebatur in nuptijs, quòd initio coniugij, solutio erat cinguli, quo noua nupta erat cincta. Hæc Festus. Catullus alibi, -tibi virgines Zonula soluunt sinus. Idem,*

Ne quærendum aliunde foret neruosius illud,
Quod posset Zonam soluere virgineam.

citatur & Varronis versus apud Nonium, γέροντος δ᾽ εὐδαστάλας,

Nouos maritus is soluebat cingulum.

Græci quoque λυσιζώνας puellas Venerem expertas vocant.

LVCTVS PASSERIS.

LVGETE *ô Veneres, Cupidinésque,*
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meæ puellæ,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat, suámque norat
Ipsam tam bene, quàm puella, matrem,
Nec sese à gremio illius mouebat,
Sed circumsiliens modo huc, modo illuc,
*Ad solam dominam vsque * pipilabat.*
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, vnde negant redire quenquam.
At vobis male sit malæ tenebræ
Orci, quæ omnia bella deuoratis;
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
O factum male, o malæ tenebræ,
Vestra nunc opera meæ puellæ

Flendo

Flendo turgiduli rubent ocelli.

Lugete *ad exemplum huius passeris, defleuit Ouidius psittacum, Stella columbam, alij alia: Stella quidem tanta non nullorum approbatione, vt Valerius Martialis, non dubitauerit ipsum Catullo anteponere. sed ego Martialem (dicam libere, quod sentio) valde bonum harum rerum æstimatorem fuisse non puto.* Veneres, Cupidinésque. *& Veneres, & Cupidines multos fuisse, docet* M. *Tullius secundo de natura deorum.* Et quantum est, *& quidquid vsquam est. Sic infra,*

O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est, beatiúsve?

Plus oculis suis. *Sic infra,*

Ni te plus oculis meis amarem,
Iucundissime Calue. & alibi,
Ambobus mihi quæ carior est oculis.

Oculorum sensus nobis omnium carissimus est, vt praeclare disputat Aristoteles libro primo de sapientia. ideo oculorum in exprimenda vi amoris crebra fit mentio. Plautus quidem, oculitus amare, pro eo quod est singulariter amare & oculissimum ostium, oculissimumq́; hominem pro carissimo dixit. Mellitus: *Sic infra,*

Mellitos oculos tuos Iuuenti, &,
Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuuenti.

Ita Græci, quidquid suaue, & amabile est, μελίτηρον vocant. Pipilabat. *hoc verbi neque vsquam, opinor, legitur: &, si legeretur, tamen analogia videretur exigere, vt scriberemus pipillo, sicut, focillo, titillo, cantillo. vidit hoc accuratus homo, & diligens, Auancius, sensitque ea caussa legendum,* Pipulabat. *mihi neutrum valde probatur: potiúsque, si coniectura locus sit, cũ eruditissimo, accerrimique iudicij viro, Paulo*

lo *Manutio legendum censuerim*, Pippiebat. At vobis male sit. *Particula*, At, *male precantibus conuenit. Virgilius,*

At tibi pro scelere, exclamat, pro talibus ausis. Tibul.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis vxor inulta dolis.
Noster vero,
At vobis mala multa di deæq;
Dent, opprobria Romuli Remique.

O factum male. *ita dicebant, vbi quid infeliciter euenerat: contráque in rebus latis, O factum bene. vtrusque exempla apud Plautum, & Terentium crebra sunt. Itémque, vbi aliquid nunciatur, quod nolumus, Male narras; at in prosperis nuncijs, Bene narras, dicere assueuimus.* O malæ tenebræ, Vestra, *in alijs,* O miselle passer, Tua. *sed illam veriorem puto.* Turgiduli. *Inflantur enim oculi lacrumando. Tibullus,*
Et tua iam fletu lumina fessa tument.

FASELI LAVS, ET DEDICATIO.

FASELVS *ille, quem videtis hospites,*
Ait fuisse nauium celerrimus,
Neque vllius natantis impetum trabis
Nequisse preterire, siue palmulis
Opus foret volare, siue linteo.
Et hoc negat minacis Adriatici
Negare littus, insulásve Cycladas,
Rhodúmve nobilem, horridámve Thraciam,
Propontida, trucémve Ponticum sinum;
Vbi iste, post faselus, antea fuit
Comata silua. nam Cytorio in iugo

Loquente sæpe sibilum edidit coma.
Amastri Pontica, & Cytore buxifer
Tibi hæc fuisse, & esse cognitissima,
*Ait fasel*us: *vltima ex origine*
Tuo stetisse dicit in cacumine,
Tuo imbuisse palmulas in æquore,
Et inde tot per impotentia freta
Herum tulisse, læua, siue dextera
Vocaret aura, siue vtrunque Iuppiter
Simul secundus incidisset in pedem;
Neque vlla vota littoralibus dijs
Sibi esse facta, cum veniret à mare
Nouissimo hunc ad vsque limpidum lacum.
Sed hæc prius fuere: nunc recondita
Senet quiete, séque dedicat tibi.
Gemelle Castor, & gemelle Castoris.

Faselus. *commendat faselum, quo diu vsus fuerat, eúmque Castoris ac Pollucis numini consecrat. Est autem carmen è meris Iambis: vt admirari liceat tantum lepôrem in tanta numerorum necessitate. talia non nulla sunt & in Priapeijs: quorum, vereor, ne magna pars ex hoc ipso fonte fluxerit. habet enim Catullus* γνήσιον *quiddam, quo se, etiam tacitus, prodit. detorsit hoc totum epigramma in Sabinum quendam incertus aliquis auctor, non sane inuenuste: hoc modo:*

Sabinus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus;
Nec vllius volantis impetum cisi
Nequisse præterire, siue Mantuam
Opus foret volare, siue Brixiam.

parcam cetera adscribere: sunt enim in promptu.

Faselus, *Campanum nauigium est, ait Nonius,*

Plura nihil necesse: Baifij enim scrinia, vt ille ait, compilare hoc loco nolumus. Faselus ille. *dicitur & femineo genere. Ouidius, - ventis discordibus acta faselus.* Celerrimus. *Graca constructio, qualis in illo Virgilij, - sensit medios delapsus in hostes. & in illo Horatij - patiens vocari Caesaris vltor. Aristoph. μανθάνεις, ὅς φησιν εἶναι; notauit hoc & Thomas Linacer.* Trabis, *nauis. hypallage. Virgilius, - vastúmque caua trabe currimus aequor. Horatius, - vt trabe Cypria Myrtoum pauidus nauta secet mare.* Siue palmulis. *ita pene cōmendat nauim quandam suam Ouidius,*

Siue opus est velis, minimam bene currit ad auram:
Siue opus est remo, remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta est vincere cursu:
Occupat egressas quamlibet ante rates.

Palmulis, *remis. Virgilius, Littus ama, & lauas stringat, sine, palmula cautes.* Minacis Adriatici. *Horat. - improbo iracundior Adria.* Negat negare, *affirmare ac testificari ait. duae igitur negationes affirmant, vt & supra,* Neque nequisse. *at olim, vt apud Graecos, magis etiam negabant. Lucillius libro satyrarum* XVII.

Cetera contemnit, & in vsura omnia ponit
Non magna, proprium vero nil neminem habere.

id est, neminem quidquam, aut nihil quenquam habere proprium. Varro Bimargo, Qui non modo ignorasse me clamat, sed omnino omnes heroas negat nescisse. Idem lib. II. *de vita pop. Rom. Qua abstinentia viri mulierésque Romanae fuerint, quòd à rege munera eorum nemo noluerit accipere. Id est, negat scisse, &, nemo voluerit.* Rhodúmve nobilem. *siue ob*

colossum, siue ob mercaturas. Horridam've Thraciam, *& à frigore, & ab incolarum immanitate.* Trucémve Ponticum sinum. *eum intelligit, qui olim Axenus, postea Euxinus vocatus est. In illo autem,* Propontida, *vltimam syllabam, propter principes dictionis, quæ subsequitur, literas, Græco more produxit: frustráque se torquent, qui versus caussa,* Propontidem *legere se aiunt. sic paulo infra, Et inde tot per impotentia freta: milléque aliis locis.* Nam Cytorio in iugo. *significat contextum esse ex arboribus è monte Cytoro cæsis.* Loquente sæpe sibilum edidit coma. *aiunt vitiosum esse, semel susceptam metaphoram non perducere ad extremum, neque in ea insistere, sed ab vna ad aliam transilire. hîc vero, talium præceptionum securus, tres hoc versu metaphoras permiscuit. nam & comam dixit pro frondibus, & comam loquentem; & postremo sibilum à serpentibus mutuatus est. Simili libertate supra in carmine ad passerem, cum ardorem pro dolore dixisset, quod ab igne sumptum est, addidit epitheton,* Grauis, *ductum non ab igne, sed ab iis corporibus, in quibus est pondus. cúmque ignem restinguere, & quæ grauia sunt, leuare dicamus, ipse aliunde accersiit verbum,* Acquiescat. *& paulo ante in hoc ipso carmine idem permisit sibi:* Neque vllius natantis impetum trabis Nequisse præterire, siue palmulis Opus foret volare, siue linteo. *natare enim aquatilium est, ire terrestrium, volare alitum.* Sibilum, *id quod Theocritus vocat ψιθύρισμα.* Cytore buxifer. *Virgilius, Seu iuuat vndantem buxo spectare Cytorum.* Vltima ex origine, *id est, à prima origine. sic enim Virg. — prima*

repe

repetens ab origine pandam. Et Ouidius, - primáque ab origine mundi. ſic Terentius extremam amoris lineam vocauit, quæ prima etiam dicitur. idque, quoniã, vt philoſophi docent, idem quodam modo eſt primum, & vltimum. Cicero, pueritiæ memoriam recordari vltimam. Virgilius, - isque parentem

Te Saturne refert: tu ſanguinis vltimus auctor.

Imbuiſſe. *imbuere proprie eſt tingere, aſpergere. Virgilius, - - illius aram*

Sæpe tener noſtris ab ouilibus imbuet agnus.

Idem, - ſanguis nouus imbuit arma.

inde transfertur ad alia. Horatius, Literulis Græcis imbutus, idoneus arti Cuilibet. Varro Agathone, Virgo de conuiuio abducatur ideo, quòd maiores noſtri virginis acerbæ aures Veneris vocabulis imbui noluerunt. M. Tullius in Hortenſio: Vti qui purpuram volunt, ſufficiunt priùs lanam medicamentis quibuſdam: ſic literis, talibúsque doctrinis ante excoli animos, & ad ſapientiam concipiendam imbui, ac præparari decet. in quo exemplo notandum eſt etiam verbum, ſufficere, aliter poſitum, quàm vulgo ſolet. Aequore. *Æquor maris. Virgilius, - longum maris æquor arandum eſt. Æquor terræ. Cicero, Babylonij in camporum patentium æquoribus habitantes. &, quod, haud ſcio, an quiſquam adhuc annotauerit, æquor cœli. Accius Atreo:*

Sed quid tonitru turbida toruo
Concuſſa repente æquora cœli
Senſimus ſonere?

Impotentia, *æſtuoſa.* Læua, ſiue dextera. *omiſit alterum, ſiue. vſitatius enim erat, ſiue læua, ſiue dextera. ſic Horatius, Cantamus, vacui, ſiue quid*

vrimur. Idem, Quo non arbiter Adriæ
Maior, tollere, seu ponere vult freta.
Idem, - & Sthenelus sciens Pugnæ, siue opus est imperitare equis, Non auriga piger, Iuppiter, *ventus. quidam enim philosophorum, vt Anaximander, & Stoici, putant, nihil aliud esse ventum, quàm agitatum aera, aut quendam aeris veluti fluxum. qua in sententia est etiam is, cuius est liber ad Alexandrum de mũdo. aerem porro ipsum antiqui vocabant Iouem. Horatius, - manet sub Ioue frigido Venator. Idem, Quod latus mundi, nebulæ malúsque Iuppiter vrget. Ennius, Aspice hoc sublime candens, quem vocãt omnes Iouem. Idem, Istic est is Iuppiter, quem dico, quẽ Græci vocant Aerem, qui ventus est, & nubes, imber postea, Atque ex imbre frigus, ventus, post fit aer denuo.*
Pedem, *velum. synecdoche. Facere pedem etiam dicitur pro, vela facere. Virgilius,*
Vna omnes fecere pedem, pariterque sinistros,
Nunc dextros soluere sinus.
Plautus Menæchmis remiges ipsos videtur vocasse nauales pedes. Asseruatote hoc, sultis, nauales pedes.
Littoralibus dijs, *nempe ijs, quos ait Virgilius, Glauco, & Panopææ, & Inoo Melicertæ.* Nouissimo. *hoc verbum refugisse Ciceronem annotat Gellius. falso: eo enim & in libris de oratore, & in oratione pro Q. Roscio comœdo vsus est, & in epistola ad Octauianum, si modo ea epistola Ciceronis est: quod non puto.* Lacum, *Benacum.* Senet. *Antiquum verbum. Pacuuius Peribœa, - corpúsque meum tali Mœrore, errore, macore senet.*
Actius, Iam iam stupido Thessala somno
Pectora languéntque, senéntque.

ele

eleganter autem, quod proprium est animalium, ad rem inanimam transtulit. Gemelle Castor, & gemelle Castoris: *hi enim dij sunt nauigantibus maxime propitij. Horatius,*

Clarum Tyndaridæ sidus ab intimis
Quassas eripiunt æquoribus rates.
vide Theocritum Dioscuris.

AD LESBIAM.

VIVAMVS *mea Lesbia, atque amemus,*
Rumorésque senum seueriorum
Omneis vnius æstimemus assis.
Soles occidere, & redire possunt:
Nobis, cum semel occidit breuis lux,
Nox est perpetua vna dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum:
Dein vsque altera mille, deinde centum,
Dein cum millia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus inuidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

Viuamus. *admonitu mortis, puellam ad fruendas secum voluptates cohortatur. Est autem hoc argumentum poetis perfamiliare. Virgilius,*

Pone merum, & talos: pereat, qui crastina curat.
Mors aurem vellens, viuite, ait, venio.

Tibullus,

Interea, dum fata sinunt, iungamus amores:
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.

Propertius,

Dum nos fata sinunt, oculos satiemus amore.
Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

Martialis,

Viuamus: mortem fallere nemo potest. Idem,
Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse deus.

Actius Sincerus.

Ah genus imprudens hominum, quid gaudia differs?
Falle diem: medijs mors venit atra iocis.

Horatius autem ea in re pene immodicus est. sed & scite admodum Bacchis Plautina hoc ipso argumento ad senem vtitur,

Non tibi venit in mentem, amabo, si, dum viuas, tibi benefacias, Iam pol id quidem esse haud perlonginquum? neque, si hoc hodie amiseris, Post mortem id euenturum esse vnquam? Porro hunc sermonem inter pocula vsitatũ fuisse, indicat Lucretius his versibus,

Hoc etiam faciunt, vbi discubuere, tenéntque
Pocula sæpe homines, & inumbrant ora coronis;
Ex animo vt dicant, breuis est hic fructus homullis.
Iam fuerit: neque post vnquam reuocare licebit.

Viuamus. *viuere sæpe dicunt poetæ pro eo, quod est, genialiter viuere; & vitam eam demum vocant, quæ voluptaria est. Martialis,*

Non est, crede mihi, sapientis dicere, viuam:
Sera nimis vita est crastina: viue hodie.

Idem,

Non impudenter vita, quod reliquum est, petit,
Cum fama, quod satis est, habet.

Cæcilius Hymnide,

Sex menses mihi satis sunt vitæ: septimũ Orco spondeo.

Lucillius,

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Varro περὶ φιλονεικίας,

Prope

Properate viuere puera, quas sinit ætatula ludere, esse, amare, & Veneris tenere bigas. Soles occidere. *argumentum à dissimili. non vt Soli, ita & homini fas est, vbi semel occidit, in vitam redire. Lucretius, -nec quisquam expergitus extat,*

Frigida quem semel est vitai pausa secuta.

Lux. *vita. Virgilius, -quæ lucis miseris tam dira cupido? hinc carentes luce, & cassos lumine pro mortuis poetæ dicunt: & lumina, aut lucem relinquere, mori. Virgilius,*

Quo magis inceptum peragat, lucémque relinquat.

Ennius,

Post quam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit.

quem versum pone totum vsurpauit Lucretius inquiẽs,

Lumina sic etiam solis bonus Ancu' reliquit.

Nouius, -vbi bipedes volucres lino linquant lumina.

Mox. *mortem indicat, quam & Græci poetæ* νύκτα *interdum vocant, &* χάλκεον ὕπνον. *est enim, vt docent Homerus, & Virgilius, consanguineus Lethi Sopor. sed & Orpheus ad Somnum,*

Αὐτοκασιγνῆτος γὰρ ἔφυς λήθης θανάτου τε.

Virgilius, Olli dura quies oculos & ferreus vrget Somnus: in æternam claudũtur lumina noctem. Lucretius, -vnus Homerus,

Sceptra potitus, eadem alijs sopitu' quiete est.

Horatius, Ergo Quintilium perpetuus sopor

Vrget? Propertius,

Nox tibi longa venit, nec reditura dies.

quæ omnia loquendi genera fluxere à falsa illa opinione, qua imbuti erant multorum animi, eadem nos in caussa mortuos fore, quà dormientes sumus. Lucretius,

Tu quidem vt es lecto sopitus, sic eris, æui

Quod superest, cunctis priuatu' doloribus ægris. *Anaxagoras dicebat, duarum rerum cogitatione posse nos intelligere, quales post mortem futuri essemus: somni, & eius temporis, quod nostrum cuiusque ortum antecessit. In diuinis quoque literis (sed longe alia de caussa) mors sæpe somni ac quietis nomine afficitur. unde & à nostræ religionis hominibus sepulcreta Græco vocabulo, quod à dormiendo inflexum est, κοιμητήρια nominatur.* Ne sciamus, Aut ne quis malus. *Putabatur enim fascinatio eis rebus nocere non posse, quarum vel nomen, vel numerus ignoraretur. nostrates quidem rustici, poma in nouellis arboribus crescentia numerare, hodiéque religioni habent.*

AD FLAVIVM.

FLAVI *delicias tuas Catullo,*
Ni sint illepidæ, atque inelegantes,
Velles dicere, nec tacere posses.
Verum nescio quid febriculosi
Scorti diligis: hoc pudet fateri.
Nam, te non viduas iacere noctes,
Ne quidquam tacitum cubile clamat,
Sertis, ac Syrio fragrans oliuo,
Puluinúsque peræque & hic, & illic
Attritus, tremulique quassa lecti
Argutatio, inambulatióque.
**Nam ni præualet ista, nil taceres*
**Cur non tam latera exfututa pandas,*
Ni tu quid facias ineptiarum?
Quare quidquid habes boni, malique,
Dic nobis. volo te, ac tuos amores
Ad cælum lepido vocare versu.

Flaui. *ex eo quod Flauius amores suos detegere nolebat*

bat, colligit eum laborare in vili aliqua morbosáq; meretrice: taménque ad id, quidquid est, libere detegendum inuitat. Non viduas. *non expertes Venereorum lusuum. Ouidius,*

Cur ego tot viduas exegi frigida noctes?

Veteres sæpe nuptialibus vocabulis ad omne libidinis genus abutebantur. Martialis,

Nolito fronti credere: nupsit heri. Idē,-ne Talassionem Indicas manibus libidinosis:

Et fias sine fœmina maritus. Plautus, hac quidem acastor quotidie viro Nubit, nupsitque hodie, nubet mox noctu, nunquam ego hanc Viduam cubare siui. nam si hac non nubat, lugubre Fame familia pereat. Demosthenes quoque Æschinis matrem meretricem fuisse indicans dicit eam solitam χρῆσθαι τοῖς μεθημερινοῖς γάμοις Ne quicquam tacitum cubile clamat. ἐξύμωρον, *quale illud Ciceronis in Verrem, si tacent, satis clamant. & in Catilinam, cum tacent, clamant. Frustra, inquit, cubile tuum tacitum est, vtpote inanimum. Ipsum enim, quamuis tacitum, clamat, id est, multis indicijs patefacit, te non pernoctare solum. Quæ autem ea indicia sint, statim aperit.* Sertis, ac Syrio fragrans oliuo. *nam in hac quoque palæstra luctaturi, prius odorato aliquo oleo corpora perungere solebāt, vt hac ratione & libidinis excitaretur ardor, & teter ille sudantium membrorum halitus depelleretur. Horatius,*

Quis multa gracilis te puer in rosa

Perfusus liquidis vrget odoribus,

Grato Pyrrha sub antro? Syrio. *E Syria præcipui odores afferebantur. infra,*

Fragrantem Assyrio venit odore domum. Tibullus,

Non

Non ſoror Aſſyrios cineri quæ dedat odores.

Argutatio. *creber ille ſucceſſi & identidem velut ingemiſcentis lectuli ſonus.nã argutare eſt tenui quodam ſono aurem ferire. Propertius,*

Illa mihi totis argutat noctibus ignes.

& ab eiuſmodi ſono argutam ilicem vocauit Maro, id eſt, ἡδὺ, καὶ λεπτόν τι ψιθυρίζουσαν. Nam, ni præualet iſta. *locum hunc integrum non eſſe conſtat. & video fuiſſe, qui ex ingenio emendare conati ſint: quos, quia neque quidquam adferunt magnopere probandum, & valde ab vſitata ſcriptura recedunt, non ſequor. quid, ſi quis ex tribus verſiculis faciat duos, hoc modo,*

Nam cur tam latera exfututa pandas,
Ni tu quid facias ineptiarum?

exhauſti enim nimia Venere, crebro, vt Plautino verbo vtar, pandiculari ſolent. in hoc autem libro tam multa impreſſa ſunt alienæ audaciæ veſtigia, vt verſus vnus facile additus eſſe poſſit. quod tamen, vt in re dubia, propoſitum à me, non etiam affirmatum velim. liber calamo exaratus, qui penes me eſt, habet, Nam in iſta preualet nihil tacere. vnde erant ex amicis meis, qui conijcerent legendum,

Nam iſta in parte valet nihil tacere.

Latera. *ea enim pars immoderato coitu inſigniter læditur. vnde eſt illud in Priapeijs,*

Defecit latus, & periculoſum
Cum tuſſi miſer expuo ſaluam. & alibi- vſque dum mihi Venus iocoſa molle ruperit latus. Martialis,
Tu tenebris gaudes: me ludere teſte lucerna,
Et iuuat admiſſa rumpere luce latus. Iuuenalis,
-nec queritur, quod

Et

Et lateri parcas, nec, quantum iussit, anheles. Ad cælum vocare. *antiqua locutio. Cicero in ijs legibus, quas ipse sciscit* II. *de legibus, Et ollos, quos endo cælo merita vocauerint. ita enim & in quibusdam libris legitur, & ego legendum puto.*

AD LESBIAM.

QVAERIS, *quot mihi basiationes*
Tuæ Lesbia sint satis, supérque?
Quàm magnus numerus Libyssæ arenæ
Laserpitiferis iacet Cyrenis,
Oraclum Iouis inter æstuosi,
Et Batti veteris sacrum sepulcrum:
Aut quàm sidera multa, cum tacet nox,
Furtiuos hominum vident amores,
Tam te basia multa basiare,
Vesano satis & super Catullo est:
Quæ nec pernumerare curiosi
Possint, nec mala fascinare lingua.

Queris. *infinitatem quandam basiorum à Lesbia petit.* Basiationes. *sic infra osculationem dixit. talia sunt apud Plautum, amatio, tactio: apud ciceronem debitio, aliáque id genus.* Libyssæ. *talia sunt illa Virgilij -vel qualis equos Threissa fatigat Harpalice. &, Inter quos Phœnissa recens à vulnere Dido. Idem etiam à nomine Libs, inflexit Libystida. Horridus in iaculis, & pelle Libystidis versa.* Laserpitiferis. *Cyrenaicus ager herba Laserpitio abundat. vide Plinium lib.* XIX. Iouis æstuosi. *Ammonis, cuius templum æstuosis admodum arenosisque extructum est locis, vide Lucanum libro nono, Q. Curtium libro* IIII. *Herodotum libro* II. Et Batti. *qui*

Cyrenem

Cyrenen condidit. Cum tacet nox. *vnde & conticinium dicitur.* Furtiuos. *occultos.furtum vocabant, quidquid oculte fieret. Tibullus,*

-Veneris per dulcia furta. Virgilius, -neque ego hanc abscondere furto Speraui, ne finge, fugam. Idem, -hic furto feruidus instat: cum de cæde, & strage nocturna loquatur. Vident. *nam & cæli oculos pro sideribus dicimus: vnde est mellitissimum illud Platonis poema, quo, cum puerum suum, cui nomen erat Stella, de nocte in cælum suspicientem videret, ipse cælum fieri optat, vt pluribus eum oculis obtueri queat. versus quoque, propter singularem ipsorum mollitiem, adscribam.*

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς Ἀστὴρ ἐμός. εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

id est,

Stella meus, stellas dum suspicis, ipse vtinam sim
Cælum, oculis vt te pluribus aspiciam.

eleganter quoque Papinius, cum Achilles, puellæ in modum ornatus, noctu in agris Deidamiæ pudicitiam eriperet, ita iucundum ait fuisse hoc spectaculum sideribus, vt etiam riserint. -risit chorus omnis ab alto Astrorum & teneræ rubuerunt cornua lunæ.

Curiosi. *verbum hoc fere semper in reprehensione ponebant. Cicero. nam vt Terentianus Chremes non inhumanus, qui nouum vicinum non vult*

Fodere, aut arare, aliquid ferre denique:

sic isti curiosi, quos offendit noster minime nobis iniucundus labor. Plautus Sticho,

Nam curiosus nemo est, quin sit maleuolus.

Nec mala. *de hoc aliquid supra tetigimus. Malam autem linguam eodem sensu dixit & Virgilius,*

-bacca

-baccare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro. & hic noster supra, Aut ne quis malus inuidere possit.

AD SE IPSVM.

MISER *Catulle desinas ineptire,*
Et, quod vides perijsse, perditum ducas.
Fulsere quondam candidi tibi soles;
Cum ventitabas, quò puella ducebat
Amata nobis, quantum amabitur nulla.
Ibi illa multa cum iocosa fiebant,
Quæ tu volebas, nec puella nolebat,
Fulsere vere candidi tibi soles.
Nunc iam illa non vult; tu quoq; haud potes. quare
Nec, quæ fugit, sectare; nec miser viue;
Sed obstinata mente perfer, obdura.
Vale puella: iam Catullus obdurat:
Nec te requiret, nec rogabit inuitam.
At tu dolebis, cum rogaberis nulli.
Scelestate ne? quæ tibi manet vita?
Quis nunc te adibit? cui videberis bella?
Quem nunc amabis? cuius esse diceris?
Quem basiabis? cui labella mordebis?
At tu Catulle destinatus obdura.

Miser Catulle. *à Lesbia sperni se videns, se ipsum ad eam vicissim spernendam cohortatur.* Scelesta, te ne? quæ tibi manet vita? *habui puer librum veterem, in quo memini versum hunc ita scriptum esse,* Scelesta, quæ nunc, quæ tibi manet vita? *neque tamen illam alteram scripturam improbandam puto.* Cui labella mordebis? *in Venereis delicijs, illud quoque numeratur, labella, inter basiandum teneris*

*teneris morsiunculis leniter stringere.itaque Flora meretrix,cui cum Cn. Pompeio stupri consuetudo fuerat, ita eum commendabat, quòd nunquam ab eo potuisset non morsa discedere.Plutarchus.*φλῶραν δὲ τὴν ἑταίραν ἔφασαν, ἤδη πρεσβυτέραν οὖσαν, ἐπιεικῶς ἀεὶ μνημονεύειν τῆς γενομένης αὐτῇ πρὸς τὸν Πομπήιον ὁμιλίας, λέγουσαν, ὡς οὐκ ἦν, ἐκείνῳ συναναπαυσαμένην, ἀδήκτως ἀπελθεῖν.

Plautus Pseudolo.

Iocũ ludus,sermo suauis,suauiatio,
Compressiones arctæ amantum compares,
Teneris labellis molles morsiunculæ,
Papillarum horridularum oppressiũculæ.Horatius,
-siue puer furens
Impressit memorem dente labris notam.

AD VERANNIVM.

VERANNI, *omnibus è meis amicis*
Antistes mihi millibus trecentis,
Venisti ne domum ad tuos penates?
Fratrésque vnanimos,tuámque matrem?
Venisti.ò mihi nuncij beati.
Visam te incolumem,audiámque Iberum
Narrantem loca,facta,nationes,
Vt mos est tuus,applicánsque collum
Iucundum os,oculósque suauiabor.
O quantum est hominum beatiorum,
Quid me lætius est,beatiúsve?

Veranni. *de Veranni ex Hispania reditu, & sibi, & ipsi gratulatur.* Antistes. *qui alios omnes antecedis. videtur ductum à militia: vt sit quasi* προστάτης, *aut* πρωτοστάτης. Millibus trecentis. *longissimo interuallo. & venuste: quasi de itinere aliquo sermo*

mo esset. Trecenta autem dicebant pro quamlibet multis. Sic infra,

Quare aut hendecasyllabos trecentos Expecta. &,
Quos simul complexa tenet trecentos,

Applicansq; collum, *id est, collum ad te molliter plicans, & inflectens. Hunc gestum ita expressit Horatius, Cum fragrantia detorquet ad oscula Ceruicem.* Suauiabor. *mos antiquus fuit, qui hodiéque in Italia viget, abeuntes ac redeuntes amicos exosculari. oculos autem præcipue petebant osculo; quòd ij sunt, vt ait Cicero, quasi fenestræ quadam animi: eósque (ait Plinius) cum osculamur, animum ipsum videmur attingere. Horatius:*

Qui nunc Hesperia sospes ab vltima
Caris multa sodalibus,
Nulli plura tamen diuidit oscula,

Quàm dulci Lamiæ. Q. *Cicero Tironi: Ego vos ad* III. *cal. videbo; tuósque oculos, etiam si te veniens in medio foro videro, dissuauiabor.*

DE VARI SCORTO.

VARVS *me meus ad suos amores*
Visum duxerat è foro ociosum,
Scortillum, vt mihi tum repente visum est,
Non sane illepidum, nec inuenustum.
Huc vt venimus, incidere nobis
Sermones varij, in quibus, quid esset
Iam Bithynia, quo modo se haberet,
Et quanto mihi profuisset ære.
Respondi, id quod erat, nihil neque ipsi,
Nec prætoribus esse, nec cohorti,
Cur quisquam caput vnctius referret,
Præsertim quibus esset irrumator

Prætor, nec faceret pili cohortem.
At certe tamen, inquiunt, quod illic
Natum dicitur, ære comparasti
Ad lecticam homines. ego, vt puellæ
Vnum me facerem beatiorum,
Non, inquam, mihi tam fuit maligne,
Vt, prouincia quòd mala incidisset,
Non possem octo homines parare rectos.
At mi nullus erat neque hic, neque illic,
Fractum qui veteris pedem grabati
In collo sibi collocare posset.
Hic illa, vt decuit cinædiorem,
Quæso, inquit, mihi mi Catulle paulum
Istos commodita: volo ad Serapin
Ferri mane. Mane, inquio puellæ:
Istud, quod modo dixeram me habere,
Fugit me ratio. meus sodalis
Cinna est Caius: is sibi parauit.
Verum vtrum illius, an mei, quid ad me?
Vtor tam bene, quàm mihi pararim.
Sed tu insulsa, male, & molesta viuis,
Per quam non licet esse negligentem.

Varus. *Quinctilium Varum Cremonensem dicit, hominem belli, pacisque artibus clarissimum, qui postea in Germania cum tribus legionibus cæsus est.* Vt mihi tum repente visum est, *quantum ego ex primo illo aspectu iudicare potui.* Bithynia, *ex qua ego haud ita pridem redieram, cum prætore Memmio illuc profectus.* Nec prætoribus. *puto locum hunc non vacare mendo. neque enim plures prætores in vnam prouinciam mittebantur. fortasse legendum sit, quæstoribus.* Cur quisquam caput vnctius referret, cur

cur quisquam, propter lucrum in prouincia factum, quidquam adijceret ad solitum victus cultúsque splendorem. Olim elegantiores homines odoratis vnguentis caput perfundere solebant. Horatius: -- coronatus niteneis Malobathro Syrio capillos. Martialis, Si sapis, Assyrio semper tibi crinis amomo Splendeat. Plautus Casina,

- vnde hic, amabo, vnguenta olent? St. oh, peri, Manufesto miser teneor, cesso caput pallio obtergere?

Prætor, c. *Memmius Gemellus.* Quod illic Natum dicitur ære, *pecunia, quam in prouincia quæsijsse diceris. Eadem autem figura dixit, as natum, qua, parere pecuniam, aut parere diuitias, dicimus.* Homines, *id est, seruos. ita enim non nunquam eos peculiariter nominabant: quódque nos vulgari lingua vtentes, huius aut illius hominem dicimus, cum seruum, aut certe famulum indicamus, id latine quoque probe admodum dicitur. Cicero, Hominem P. Quintij deprehendis in publico: conaris abducere; non patitur Alphenus.* Beatiorum, *diuitiorum, beatos enim vocabant, qui abundarent opibus. Plau. Pœnulo, Aurum in fortuna inuenitur; natura ingenium bonum. Bonam, ego, quàm beatam, me esse, nimio dici mauolo. sic & Græci non nunquam homines copiosos εὐδαίμονας vocant. Euripides,*

Πλούτου δ᾽ ἀποῤῥυέντος ἀσθενεῖς γάμοι.
Τὴν μὲν γὰρ εὐγένειαν αἰνοῦσι βροτοὶ,
Μᾶλλον δὲ κηδεύουσι τοῖς εὐδαίμοσι.

Non possem, *ex pecunia, quam in prouincia collegissem.* Parare, *emere. Cicer. ad Atti. Cogito trans Tiberim hortos aliquot parare. Atque inde intelligendum est illud Terētij, non satis à quoquam adhuc,*

quod sciam, animaduersum, Vah? quenquam ne hominem posse in animo instituere, aut Parare, quod sit carius, quàm ipse est sibi? in adoptione enim, de qua ibi sermo est, genus quoddam emptionis intercedebat. Inde &, reparare: quod est, nummis ex venditione conflatis aliquid aliud emere. Horatius, Vina Syra reparata merce. quomodo hoc verbum sæpe à iurisconsultis accipi, primus docuit Franc. Duarenus lib. 1. anniuersariarum. Cinædiorem, *molliorem, & improbiorem.* Serapin. *hic Aegyptius deus etiam Romæ templum habebat. In quibusdam est,* Ad Serapis: *quod non displicet: ita enim dicebant, ad Cereris, ad Dianæ, & similia; cum subintelligerent, templum.* Mane. Mane. *prius aduerbium est, posterius verbum. Est autem admodum iucunda* παρήχησις. Istud, quod modo dixeram, *id est, quantum attinet ad istud, quod modo dixeram.* Fugit me ratio. *hæc locutio est eius, qui aliud dixit, aliud dicere voluit. Plautus Amphitruone,*

Mer. Amphitruonis te esse aiebas Sosiam. Sos. peccaueram. Nam Amphitruonis socium ne me volui esse dicere. Mer. Scibam equidem nullum esse nobis, nisi me, seruum Sosiam. Fugit te ratio. Sos. vtinam istuc pugni fecissent tui. Cinna. *is est, qui Smyrnam, de qua infra agetur, nouem annis elaborauit. eundémque puto esse, cuius epigrammata citantur à Nonio; quæ quidam apud Gellium, vt illepida, calumniatur.* Quàm mihi pararim. *quàm si ipse mea eos pecunia emerim.*

AD FVRIVM, ET AVRELIVM.

FVRI, *& Aureli, comites Catulli,*
Siue in extremos penetrarit Indos,

Littus

Littus vt longe resonante Eoa
Tunditur vnda,
Siue in Hircanos, Arabásque molleis,
Seu Sacas, sagittiferósque Parthos,
Siue quà septemgeminus colorat
Æquora Nilus,
Siue trans altas gradietur Alpeis,
Cæsaris visens monimenta magni,
Gallicum Rhenum, horribiles, & vlti-
mósque Britannos.
Omnia hæc, quæcunque feret voluntas
Cælitum, tentare simul parati,
Pauca nunciate meæ puellæ
Non bona dicta.
Cum suis viuat, valeátque mœchis,
Quos simul complexa tenet trecentos,
Nullum amans vere, sed identidem omnium
Ilia rumpens;
Nec meum respectet, vt ante, amorem,
Qui illius culpa cecidit, velut prati
Vltimus flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est.

Furi, & Aureli. *per Furium & Aurelium, quasi nuncium remittit Lesbiæ.* Comites Catulli. *significat se ab eis valde amari. est enim magni amoris indicium, velle cum aliquo longum ac periculosum iter, ipsius caussa, suscipere.* Sic Horatius:

Septimi Gades aditure mecum, &
Cantabrum indoctum iuga ferre nostra, &
Barbara Syrteis, vbi Maura semper
Æstuat vnda.

Cum horum tamen vtroque graues postea inimicitias

gessit, eósque acerbissimis versibus insectatus est, tũ quòd ipsum vt mollem, notassent: tum quòd puerum ipsi carum Aurelius quidem tentasset, Furius vero etiam constuprasset. In extremos Indos. *in extremas Indiæ oras. Sic & apud Horatium,*

Impiger extremos curris mercator ad Indos.

Littus vt longe. *ita est in libris Aldinis, melius, puto, quàm in aliis, Longe vbi littus: nam particula* Vt, *in epigrammate quoque ad Coloniam, eodem modo vsus est.* Longe resonante, πολυφλοίσβῳ. Sagittiferósque Parthos. *annotandus est choreus in secunda sede Sapphici, vt & paulo post,*

Pauca nunciate meæ puellæ. & alibi,

Ocium Catulle tibi molestum est.

id ex posterioribus solus, quod sciam, imitari ausus est diuinus poeta, Michael Marullus. Sappho autem, quæ nomen huic generi versuum dedit, sæpe admodum id fecerat. Septemgeminus, *qui septem ostiis exit in mare. Virgilius,*

Et septemgemini turbant trepida ostia Nili.

Sic idem centumgeminum Briarea à centũ manibus, & tergeminum canem, Cerberum dixit: Colorat, *limo, cuius magnam copiam secum trahit.* Monimenta, *trophæa.* Gallicum Rhenum. *epitheton addit, ad discrimen Rheni Bononiensis.* Horribiles, *hospitibus feros, vt eos Horatius vocat. Vltimos autem, diuisos toto orbe, vt Virgilius loquitur. infra quoque, vltimam Britanniam vocat. Horatius, Serues iturum Cæsarem in vltimos Orbis Britannos.* Trecentos. *hyperbole.* Velut prati Vltimus flos. *vltimos prati flores vocamus, qui sunt proxime viam. ii autem fere aut viatorum pedibus, aut curruum prætereun*

tereuntium rotis obteri solent. Respicit autem Catullus ad vetus prouerbium, quo, cum, aliquid plane periisse, indicare volebant, dicebant, Tam perisse, quàm extremam fabam. Vide Festum.

IN ASINIVM.

MARRVCINE Asini manu sinistra
Non belle vteris in ioco, atque vino:
Tollis lintea negligentiorum.
Hoc salsum esse putas? fugit te inepte.
Quamuis sordida res, & inuenusta est.
Non credis mihi? crede Polioni
Fratri, qui tua furta vel talento
Mutari velit: est enim leporum
Disertus puer, ac facetiarum.
Quare aut hendecasyllabos trecentos
Expecta, aut mihi linteum remitte:
Quod me non mouet æstimatione,
Verum est μνημόσυνον mei sodalis.
Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus,
Et Verannius. hac amem, necesse est,
Vt Veranniolum meum, & Fabullum.

Marrucine Asini. *cum in veteribus libris aperte legeretur,* Marrucine Asini; *nescio, qua ratione moti eruditi quidam, illius loco substituerunt,* Inter cenam Asini; *vt ex Palladij interpretatione cognoscitur; qui etiam hoc ipsum sibi valde placere ait. mihi quidem, ne quid dissimulem, non placet, tum alijs de caussis, tum quia poeta ipse indicat furta hac non tam inter cenam fieri solita esse, quo tempore, vix est, vt quisquam patiatur sibi linteum suum eripi, quàm peracta iam cena, cum, sublatis epulis, iocari conuiua inter*

se, & maioribus poculis poscere consueuerant. id enim tempus non obscure innuit, cum ait, In ioco atque vino: *vt & infra,* Reddens mutua per iocum atque vinum. *Marrucinos quidem populos Italiæ esse constat. itaque nihil video, cur veterem scripturam mutare oporteat. non enim, si de hoc Asinio, qui Marrucinus fuerit, nihil alibi proditum est, idcirco à veterum librorum fide recedi par est.* Salsum. *vrbanum.* Fugit te, *erras.* Quamuis sordida, *id est, admodum sordida. Sic Plautus Menæchmis,*

Solet iocari sæpe mecum illo modo:

Quamuis ridiculus est, vbi vxor non adest. id est, nihil eo magis ridiculum ne optari quidem potest. Quo autẽ vitio notatur hic Asinius, eodem Martialis Hermogenem quendam notat, de quo ita scribit,

Ad cenam Hermogenes mappam non attulit vnquã:

A cena semper rettulit Hermogenes.

Mutari. *id est, qui ait cupere se furta tua vel talento redimere. Mutare autem, pro eo quod est emere, aut vendere, antiqui sæpe dicebant. Columella: Porcus lactens ære mutandus est. Idq; Græcorum exemplo, apud quos sæpe hoc ipso modo ponitur verbum ἀλλάττεσθαι. eo autem id fit, quia antiquissima ratio contrahendi, vt Aristoteles, & iurisconsulti docent, permutatio est. quin ipsum permutationis nomen commune est omnibus, vt prudentes loquuntur, contractibus. tantum enim valet Latine permutatio, quantum Aristoteli συνάλλαγμα. ideóque numeratur inter eos contractus, quibus proprium nomen inditum non est. Sed ijs de rebus à nobis & magis suo loco, & copiosius disputatum est in commentarijs, quos in quintum Ethicorum scripsimus.* Disertus puer. *in alijs, Disertus pater.*

pater.mihi, & si non sum nescius, patrem leporum ac facetiarum Latine admodum dici, & nomen, disertus, cum generandi casu, ita rarum esse, vt fortasse vix vsquam alibi legatur, tamen nescio quo modo prius illud venustius videtur. Sudaria setaba. *Ex lino setabo, quod optimum in Hispania crescit ad fluuium Tarraconem.*

AD FABVLLVM.

CENABIS *bene mi Fabulle apud me*
Paucis, si tibi dij fauent, diebus,
Si tecum attuleris bonam, at que magnam
Cenam, non sine candida puella,
Et vino, & sale, & omnibus cachinnis.
Hæc si, inquam, attuleris Fabulle noster,
Cenabis bene, nam tui Catulli
P*lenus sacculus est aranearum.*
Sed contra accipies meros amores,
Seu quid suauius, elegantiúsve est:
Nam vnguentum dabo, quod meæ puellæ
Donarunt Veneres, Cupidinésque:
Quod tu cum olfacies, deos rogabis,
Totum vt te faciant Fabulle nasum.

Cenabis. *Fabullum ad cenam inuitat, ea lege, vt Fabullus quidē cenam secum afferat, ipse autem nihil suppeditet præter vnguentum. Sciendum autē est, veteres floribus redimitos, vnguentísque delibutos cenitasse, vbi se liberalius inuitare decreuerant: tū voluptatis caussa, tum quòd crederent odoramentis ebrietatem impediri. Nonnunquam etiam, vt est apud Festū, auiculas quasdam corollis suis alligabant; quarum & cantu assiduo, & crebris rostri vnguiúmq; pūcturis efficeretur, ne ipsi inter potandum obdormiscerent. Horatius.*

Cur non sub alta vel platano, vel hac
Pinu, iacentes sic temere, & rosa
Canos odorati capillos
Potamus vncti? *Idem*:
Huc vina, & vnguenta, & nimium breueis
Flores amoenae ferre iube rosae.

ceterum huiusmodi conuiuatorem, qui vnguentum modo praeberet, alicubi irridet Martialis, hoc versu,

Vnguentum, fateor, bonum dedisti
Conuiuis here, sed nihil scidisti.
Res salsa est, bene olere, & esurire.
Qui non cenat, & vngitur, Fabulle,
Hic vero mihi mortuus videtur.

Paucis diebus. *intra paucos dies. Hoc modo etiam Propertius locutus est,*

Tu quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.

Sale, *facetiis.* Plenus sacculus est aranearum. *id est, pridem inanis est. Afranius apud Festum, Tam ne arcula tua plena est aranearum? Plautus Aulularia -an ne quis aedes auferat?*

Nam hic apud nos nihil est aliud quaesti furibus:
Ita inaniis sunt oppleta atque araneis.

Meros amores. *ita lego, non, vt alij, meos amores: & de ipso vnguento hoc dictum accipio.*

AD C. LICINIVM CALVVM.

NI te plus oculis amarem
Iucundissime Calue, munere isto
Odissem te odio Vatiniano.
Nam quid feci ego, quidve sum locutus,
Cur me tot male perderes poetis?

Isti

Isti dij mala multa dent clienti,
Qui tantum tibi misit impiorum.
Quod si, vt suspicor, hoc nouum, ac repertum
Munus dat tibi Sylla literator;
Non est mi male, sed bene, ac beate,
Quod non dispereunt tui labores.
Di magni horribilem, & sacrum libellum,
Quem tu scilicet ad tuum Catullum
Misisti, continuo vt die periret,
Saturnalibus, optimo dierum.
Non, non hoc tibi salse sic abibit.
Nam si luxerit, ad librariorum
Curram scrinia, Cæsios, Aquinos,
Suffenum, omnia colligam venena,
Ac te his supplicijs remunerabor.
Vos hinc interea valete, abite
Illuc, vnde malum pedem attulistis,
Sæcli incommoda, pessimi poetæ.

Ni te plus oculis. *non est, cur ambigatur, ad poetam Caluum, an ad oratorem scriptum fuerit hoc carmen. idem enim* C. *Licinius Caluus* C. *Licinij Macri filius, & poeta, & orator clarus fuit: ex quo imperiti duos, vnum poetam, & alterum oratorem, faciũt.* Odio Vatiniano. *Macrobius libro secundo. Lapidatus à populo Vatinius, cum gladiatorium munus ederet, obtinuerat, vt ædiles edicerent, ne quis in arenam, nisi pomum, misisse vellet. forte ijs diebus Cascellius iurisconsultus, consultus à quodam, num nux pinea pomum esset, si in Vatinium missurus es, inquit, pomum est. Cicero Interrogatione in Vatinium. Odio enim tui, in quo etsi omnes, propter tuum in me scelus, superare debeo, tamen ab omnibus pene vincor, &c. Hinc* intel

intelligi potest, cur dicat poeta Odium *Vatiniarium. eo autem libentius id facit, quòd Vatinium Caluus ipse accerbissimis orationibus insectatus erat: qua de re infra quoque agetur.* Munus. *fortasse, quòd ipsum in causa aliqua defenderis.* Sylla. *de Sylla grammatico nihil alibi legere memini: tantum reperio fuisse Cornelium quendam Epicadum, Syllæ libertum; qui, fieri potest, vt, cum sibi de more patroni nomen assumpsisset, etiam ipso eiusdem cognomine à populo afficeretur.* Literator. *ita vocabant grammaticos, id est, poetarum interpretes. Alij distinguebant ita, vt dicerent tantum interesse inter literatum, & literatorem, quantum inter grammaticum, & grammatistam. vide Suetonium in libello de claris grammaticis.* Non est mi male, sed bene ac beate. *gaudeo enim, quòd labores tuos tam bellis muneribus pēsari videam. Ironia est.* Sacrum. *Festus: homo sacer is est, quem populus indicauit ob maleficium: neque fas est eum immolari: sed, qui occidit, parricidij non damnatur. nam lege tribunicia prima cauetur, si quis eum, qui plebiscito sacer sit, occiderit, parricida ne sit. ex quo quiuis homo malus atque improbus sacer appellari solet. Afranius Fratribus,*

-o sacrum scurram, & malum. Turpilius Demetrio,
Etiā me irrides pessume, et sacerrume? Plau. Pœnulo:
Venditque has omneis, & nutricem, & virgines,
Presenti argento, homini (si modo leno est homo)
Quantum hominum terra sustinet, sacerrumo.

sic igitur dixit sacrum libellum, vt Virgilius sacram auri famem, &, -sacras depellere tedas. Saturnalibus optimo dierum. *nullum enim alium diē veteres tanta hilaritate celebrabāt. is dies erat* XIIII. *cal.*

cal. Ian. vide Macrobium. Non, non hoc tibi. *iocose ƒe Caluo par pro pari redditurum, & viciſſim quaſi ſtruem quandam peſſimorum poetarum ipſi miſſurum minatur.* Non, non. *eleganter geminata negatio. Sic Propertius,*

Non, non humani ſunt partus talia dona.

Interdum etiam aliquid interponebant. Cicero lib. x. ad Atticum: Non ſunt ab obſequio noſtro, non: habent ſuas radices: ita enim erudite hunc locũ emendat Manutius, qui etiam in eo explicando multa ſimilia exempla collegit. Salſe, *deriſor.* Sic, *impune.* Nam ſi luxerit, *id eſt, vbi primum dies apparere cœperit. Particula, Si, hoc loco non conditionem, ſed tempus indicat. Sic Virgilius,*

Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, ſtragéſq; ciebunt. Idem,
Præterea ſi nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiiſque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam certamina claſſis.

lucere autem valet, diem eſſe. Cicero ad Att. Catilina, ſi iudicatum erit meridie non lugere, certus erit competitor. Idem pro Sex. Roſcio, occiſus eſt à cena rediens. nondum lucebat, cum Ameriæ ſcitum eſt. Pro Cluētio, ante noctem mortuus, & poſtridie, antequam luceret, combuſtus eſt. Plautus Milite,

Priuſquam lucet, aſſunt: rogitant, noctu an ſomnium ceperim.

Nonnunquam etiam dicebant, lucet hoc, aut luceſcit hoc, cum videlicet cælum, aut inane illud ſpatium intelligerent. Plautus Amphitruone,

Eamus Amphitruo: luceſcit hoc iã. Idẽ Curculione,
Quid tu, Venerin' peruigilare te vouiſti Phædrome?

Nam

Nam hoc quidem æpol haud multo post luce lucebit. Idem Milite, Vigila, expergiscere, inquã: lucet hoc, inquam. Terentius Heauton timorumeno;
Lucescit hoc iam: cesso pultare ostium
Vicini, &c. Hunc autẽ postremum locum ita interpungendum esse, primus me, ante hoc biennium, admonuit vir omni elegantis doctrinæ genere politissimus, Adrianus Turnebus, regius Lutetiæ Græcarum literarum professor. Cæsios, Aquinos, Suffenum. *de Cæsio nihil memini legere. Aquinum quidem* M. *Tullius in Tusculanis nominat, vt poetam insigniter malum. de Suffeno inferius agetur.*

AD AVRELIVM

COMMENDO *tibi me, ac meos amores*
Aureli, veniam peto pudentem;
Vt, si quicquam animo tuo cupisti,
Quod castum expeteres, & integellum,
Conserues puerum mihi pudice:
Non dico, à populo: nihil veremur
Istos, qui in platea modo huc, modo illuc
In re prætereunt sua occupati:
Verum à te metuo, tuóque pene,
Infesto pueris bonis, malísque:
Quem tu, qua lubet, vt lubet, mouet
Quantum vis, vbi erit foris paratum.
Hunc vnum excipio, vt puto, pudenter.
Quòd si mala mens, furórque vecors
In tantam impulerit scelestè culpam,
Vt nostrum insidijs caput lacessas;
Ah tum te miserum, malique fati,
Quem, attractis pedibus, patente porta,
Percurrent rhaphanique, mugilésque.

Commendo. *hunc puerum postea Aurelius corrumpere conatus est; vnde graues inter eum, & Catullum inimicitiæ extiterunt.* Occupati. *ociosorum enim hominum hic morbus est.* Bonis malísque. *& formosis, & deformibus.* Attractis pedibus. *diductis, diuaricatis.* Patente porta. *τῷ πρωκτῷ. Portam autem dicit, vt indicet pathicum fuisse Aurelium, & vt Aristophanes loquitur, εὐρύπρωκτον. In Priapeijs,*

Iam primum stator hic libidinosus,
Alternis & eundo, & exeundo,
Porta te faciet patentiorem.

Percurrent rhaphaníque mugiléſque. *alludit ad supplicium, quo olim Athenienses afficiebant pauperes in adulterio deprehensos. eis enim depilabant nates cinere calido, deinde etiam rhaphanos prægrandes in podicem immittebant. hanc pœnam vocabant παρατιλμὸν, καὶ ῥαφανίδωσιν. Mugiles autem etiam interdum ad hanc rem adhiberi solitos, indicat Iuuenalis,*

--quosdam mœchos & mugilis intrat.

atque ita hunc locum recte ex interprete Aristophanis interpretatus est Parthenius.

AD AVRELIVM, ET FVRIVM.

PAEDICABO *ego vos, & irrumabo*
Aureli pathice, & cinæde Furi;
Qui me ex versiculis meis putastis,
Quòd sint molliculi, parum pudicum.
Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum; versiculos nihil necesse est:
Qui tum denique habent salem, ac lepôrem,
Si sint molliculi, ac parum pudici;
Et, quod pruriat, incitare possint,
Non dico pueris, sed ijs pilosis,

Qui

Qui duros nequeunt mouere lumbos.
Vos, qui millia multa basiorum
Legistis, male me marem putastis.
Si cui forte mearum ineptiarum
Lectores eritis, manúsque vestras
Non horrebitis admouere nobis,
Pædicabo ego vos, & irrumabo.

Pædicabo. *Furius & Aurelius de Catullo, tanquam effeminato, & impudico, ob mollitiem carminum, senserant. id nunc eis irascitur, negátque poetarum mores è scriptis spectari oportere. eadem excusatione vtitur Ouidius,*

Crede mihi, distant mores à carmine nostri.
Vita verecũda est, musa iocosa mihi. et Martialis,
Lasciua est nobis pagina, vita proba est.
& notum est illud in Voconium,
Lasciuus versu, mente pudicus eras.

Male marem. *& mollẽ effeminatum. mares enim vocabant fortes. Horatius,*

Et maribus Curijs, & decantata Camillis.

AD COLONIAM.

O COLONIA, *quẽm cupis ponte ludere longo,*
En salire paratum habes, sed vereris inepta
Crura ponticuli, sub his totus irrediuiuus
Ne supinus eat, cauáque in palude recumbat.
Sic tibi bonus ex tua pons libidine fiat,
In quo vel Salisubsuli sacra suscipiuntor.
Munus hoc mihi maximi da Colonia risus.
Quendam municipem meum de tuo volo ponte
Ire præcipitem in lutum, per caputq́, pedésque
Verum totius vt lacus putidæq́; paludis
Liuidissima, maximéque est profunda vorago.

Insul

Insulsissimus est homo, nec sapit pueri instar
Bimuli, tremula patris dormientis in vlna;
Cui cum sit viridissimo nupta flore puella,
Vt puella, tenellulo delicatior hœdo,
Asseruanda nigerrimis diligentius vuis;
Ludere hanc sinit, vt lubet, nec pili facit vni,
Nec se subleuat ex sua parte, sed velut alnus
*In fossa * Ligeris iacet separata securi,*
Tantūdem omnia sentiens, quàm si nulla sit vsquā.
Talis iste meus stupor nil videt, nihil audit,
Ipse quis sit, vtrum sit, an non sit, id quoque nescit.
Hunc ego volo de tuo ponte mittere pronum,
Si pote stolidum repente excitare veternum,
Et supinum animum in graui derelinquere cœno,
Ferream vt soleam tenaci in voragine mula.

O Colonia. *de genere ipso carminis ad finem disputabimus: valde enim inepta sunt, quæ hoc loco à ceteris afferuntur. nunc quidem argumentum epigrammatis, quantum in nobis erit, coniectura comprehendere studeamus. Coloniam (fortasse oppidum haud procul Verona, quod hodiéque nomen illud retinet) alloquitur: & , vt mihi videtur, de duobus agit: quorum alterum ipsi Coloniæ subodiosum fuisse significat, cum ait,* Quem cupis &c. *neque tamen ita infensum, vt eum vellent ciues insigniter lædere: idque ex eo intelligitur, quòd vereri eos ait, ne ille, quisquis erat, irrediuinus in palude recumberet. atque eum quidem videtur præsentem sistere, quasique obijcere, vt de ponte præceps agatur; cum ait,* En salire paratum habes. *Agi autem postea, non de eodem, sed de alio quopiam, vel id satis argumento est, quod, quasi nouam quandam narrationem exorsus, ait,* Quendam munici-

pem meum &c. *absurda enim plane fuerint hæc, si ad eum referantur, de quo paulo ante, & quasi ipsi Coloniæ noto, dixerat.* Quem cupis, *& quasi præsente,* En salire paratum habes. *agit igitur de alio quodam, eóque Veronensi: quem, cupere se ait, de ponte deturbari: idque, magni muneris loco, sibi à Colonia concedi petit. quod certe non faceret, si de eo ageret, quem ipsa suapte sponte Colonia, vt initio dictum est, deijcere cupiebat.* Ludere, *ita est in quibusdam libris: egóque ita malo, quàm, vt in alijs,* Lædere. *ludibrij enim potius, quàm atrocis contumeliæ caussa, comparatum hoc fuisse, indicant illa, salire; &, sed vereris inepta; &, Munus hoc mihi maximi da Colonia risus.* Crura *Sublicas dicit, siue columellas ligneas, quibus pons fulciebatur.* Ponticuli, *quo modo ponticulum vocat, quem antea pontem longum dixerat? an, quòd parum latus esset, an quòd infirmus?* Totus irrediuiuus, *ita vt extrahi postea non queat.* Sic tibi. *eiusmodi obsecrationibus vti solemus, vbi aliquid petituri sumus.* Ex tua libidine, *arbitratu tuo.* In quo vel Salisubsuli. *ita latus, firmúsque, vt etiam possit Martis sacra peragentes salios sustinere. Salisubsulum vocat Martem Pacuuius,*

Pro imperio sic Salisubsulus vostro excubet.

Municipem meum, *Veronensem.* Vt, *qua parte.* Vt puella, *delicatior tenello hœdo: quantum tanta teneritas potest in puellam conuenire. Significat enim ita delicatam esse, vt tamen sit in ea roboris ad rem gerendam, quantum in puella est satis.* Nec se subleuat ex sua parte, *assentior ijs, qui hoc ad Venereos lusus referendum putant.* In fossa Ligeris. *fossam*

ſam vocare videtur ipſum alueum fluminis. Ligeris autem, fluuius Galliæ. Alij legunt, In foſſa Liguri, aut Liguris. amplius igitur quærendum eſt. Separata, *Exciſa. Politianus legebat, expernata, aut, quod magis ſuſpicor, ſuppernata: vt eſſet metaphora ducta ab ijs, quibus, in morem pernarum ſuillarum, femina exciſa ſunt. Marullus autem, qui, quaſi dedita opera, omnes Politiani emendationes irridebat, hanc exagitauit hoc epigrammate,*

Quid ſeparatam, inſane, ſupernas, rogo,
Alnum Catulli nobilem?
Plebiocioſa ſcilicet riſum parans,
Oblitus, vt ſoles, pedis.

non putauit igitur Marullus, in hoc verſu, quarto loco ſpondæum recipi poſſe: in quo falſus eſt, vt infra docebimus. vſitatam tamen lectionem ſequendam puto. Si pote ſtolidum. *recte emendauit Victorius hunc locum, cum antea legeretur, Si poteſt olidum: magnúmque putarent feciſſe ſe, qui cauſſas exquirebant, cur Catullus olidum veternum nominaſſet.* Supinum animum, *ſtuporem illum, torporémque animi.*

Nunc, vti recepimus, de genere ipſo carminis diſſeremus. Eſt igitur genus quoddam hexametri, ex heroico effictum: ſed molle, eneruatúmque, deſcribendiſque rebus tantum ludicris, non etiam ſerijs & grauibus aptũ. Priapeium Cenſorinus vocat: ponitque hoc exemplum,
Hunc lucum tibi dedico, conſecróque Priape.
& addit, tertium pedem pro dactylo creticum eſſe debere: alioqui enim hexametrum heroicum fore. Quod tamen non perpetuo verum eſt. Diomedes vocat Angelicum, à Terpſichoro repertum. additque exemplum,
Incidi patulum in ſpecum, procumbente Priapo.

Terentianus autem Maurus,qui asperitatem grāmaticarum praeceptionum inusitata quadam numerorum suauitate condiuit,ita de hoc genere versus disputat.

Hexametrum pedibus cernes constare receptis,
Qui tamen heroum factis indignus habetur.
Nanque tome media est versu non apta seuero:
Fitque soluta magis,quoties spondaeus inest pes
*Tertius & quartus. non hunc * incolumem ergo,*
Sed de commatibus tradunt constare duobus.
Ipse enim sonus indicat esse hoc lusibus aptum.
Et ferme modus hic datur à plerisque Priapo,
Inter quos cecinit quoque carmen tale Catullus.
Hunc lucum tibi dedico,consecróque Priape,
** Qua domus tua Lampsaci est, * quáque Priape.*
Nam te praecipue in suis vrbibus colit ora
Hellespontia,ceteris ostriosior oris.
Et similes plures sic conscripsisse Catullum
Scimus.

hac verba optimi ac festiuissimi grammatici apposuimus,vt ex eis intelligeretur, quanta esset huius versus cum heroico affinitas: tanta ea quidem, vt Virgilius quoque in hoc genus interdum incidat,non in Bucolicis modo,

Quod nunquam veriti sumus,vt possessor agelli;
aut Georgicis,
Cui non dictus Hylas puer,& Latonia Delos?
sed in ea etiam,qua vna Graeciae fastum retundit, Aeneide,
Troas,relliquias Danaum,atque immitis Achilli.

Vt tamen versus hic insigni aliqua nota ab heroico distingueretur; receptum est,vt,primo quartóque loco, pro spondeo choreus, iambúsve; tertio,creticus pro da-

ftylo poneretur. Quoniam autem Terentianus admonet, hortorum deo cecinisse Catullum huius generis versus: extantq́; inter Virgilianos lusus non nulli, quos eruditi homines Catullo tribuunt, & nos quoque nunquam aliter credidimus, ascribemus eos, tum vt, quasi postliminio, ad auctorem redeant suum; tum vt cursim à nobis non nulla in eis, quæ ceteros fugêre, annotentur.

PRIAPVS.

HVNC *ego iuuenes locum, villulámque palustrem,*
Tectam vimine iunceo, caricisque maniplis,
Quercus arida, rustica conformata securi
Nutriui: magis, & magis vt beata quotannis.
Huius nam domini colunt me, deúmque salutant,
Pauperis tuguri pater, filiúsque *
Alter assidua colens diligentia, vt herba
Dumosa, asperáque à meo sit remota sacello;
Alter parua ferens manu semper munera larga.
Florido mihi ponitur picta vere corolla
Primitu, & tenera virens spica mollis arista:
Luteæ violæ mihi, luteúmque papauer,
Pallentésque cucurbitæ, & suaue olentia mala,
Vua pampinea rubens educata sub vmbra.
Sanguine hanc etiam mihi (sed tacebitis) aram
Barbatus linit hirculus, cornipésque capella.
Pro queis omnia honoribus hac necesse Priapo
Præstare, & domini hortulum, vineámque tueri.
Quare hinc ò pueri malas abstinete rapinas.
Vicinus prope diues est, negligénsque Priapus.
Inde sumite. semita hac deinde vos feret ipsa.

Hunc ego. *putabatur hic deus, quibus in agris statueretur, coleretúrque, eis fœcunditatem afferre. Hoc*

igitur se facere prædicat, additque caussam, nempe quod ab agelli dominis diligenter ac religiose colatur. Ad postremum admonet pueros, ne quid ex eo agro furentur, cui sit & dominus pauper, & ipse diligens additus custos: indicatque eis agrum vicinum, vnde commodius eripere aliquid possint, quod & dominum diuitem habeat, & negligentem Priapum. Porro Priapum Orpheus deorum antiquissimum esse dicit: videturque eundem cum Sole, ac Baccho facere. Dictus est autem πρίηπος *vel quasi* βριήπυος, *id est, clamosus, propter clamores, qui in Bacchi sacris excitabantur, vel quasi* προϊέμενος τὸ σπέρμα, *vt annotat interpres Theocriti.* Magis, & magis vt beata quotannis, *ita vt assidue posterior annus prioris fertilitatem vinceret.* Primitu. *antiquum aduerbium, quale apud Plautum, situ. Qui autem vocem hanc, vt insolentem, aspernati, eius loco substituerunt, Primitiæ, deprauarunt versum.* Sanguine hanc, &c. aram. *in aliis, Sanguinea arma, contra metri legem. Hunc autem locum ex ingenio emendauimus: neque sane dubitauimus, quin omnes intelligentes homines nobis sint assensuri. Sic & Græci* αἱμάσσειν βωμοὺς *dicunt* ἀντὶ τοῦ ἱεροποιεῖν. Sed tacebitis. *hoc inserit, quia, legibus* XII. *sacra facere peregrinis diis, nisi qui publice asciti essent, non licebat.* Hæc necesse *in aliis, hoc necesse: contra grammatices regulas. Addemus & aliud eiusdem argumenti: quod ipsum quoque Catulli esse, eruditis hominibus ita iudicantibus assentimur.*

PRIAPVS.

EGO *hæc, ego arte fabricata rustica,*
Ego arida, o viator, ecce populus

Agel

Agellulum hunc, sinistra, tute quem vides,
Tuor, malásque furis arceo manus.
Mihi corolla picta vere ponitur:
Mihi rubens arista sole feruido:
Mihi virente dulcis vua pampino:
Mihíque glauca duro oliua frigore.
Meis capella delicata pascuis
In vrbem adulta lacte portat vbera:
Meísque pinguis agnus ex ouilibus
Grauem domum remittit ære dexteram.
Tenérque, matre mugiente, vaccula
Deum profundit ante templa sanguinem.
Proin' viator hunc deum vereberis,
Manúmque seorsum habebis. hoc tibi expedit.
Parata nanque crux, sine arte mentula.
Velim pol, inquis. at pol ecce, villicus
Venit; valente cui reuulsa brachio
Fit ista mentula, apta claua dexteræ.

Sinistra, *è regione agelli ad sinistram sita.* Tuor. *antique, pro tueor.* Malas manus. *sic Tibullus,*

Quid fraudare iuuat vitem crescentibus vuis,
Et modo nata mala vellere poma manu?

Mihíque glauca. *in alijs, Mihi glauca dura cocta oliua frigore. in Aldinis, Mihi glauca duro cocta oliua frigore. in quibusdam veteribus, Mihi glauca duro oliua frigore. vnde apparet vocem, cocta, additam ab aliquo, qui versum mutilum perficere vellet. sed, cum è meris iambis carmen hoc sit, prastare opinor, vt legamus, Mihíque glauca, & illud, cocta, repudiemus.* Adulta, *distenta.* Agnus ex ouilibus. *Virgilius, - ab ouilibus imbuet agnus.* Grauem domum remittit ære dexteram. *Virgilius,*

Nõ vnquam grauis ære domum mihi dextra redibat.
Tenérque. *ita legendum, non, vt in alijs,* Teneráque, *carmen enim, vt ante dixi, est ex solis iambis. Neque est, quod cuiquam perturbata generibus videri debeat oratio, qui meminerit, vnum ouem, non vnam ouem, veteres protulisse. Præterea nomina, quæ er syllaba finiuntur, veteribus, maximam partem, communia fuerunt. non ea tantum, quæ generibus variari non possunt, vber, celer, & similia, sed alia quoque. pauperem feminam dicimus, cum tamen pauperam dicere liceat. Terentius,*

Quæ sese inhoneste optauit parere hic ditias
Potius, quàm in patria honeste paupera viuere.

ita enim locus ille legendus est, ex veteribus libris, & ex Prisciano. Cato I I. *originum, Itaque res vber fuit, antequam vastassent regienes. Næuius de bello Punico,*

Fames acer augescit hostibus. Ennius,

æstatem autumnus sequitur, post acer hiems hunc. at vtrobique acris dici poterat. Pueram nonnunquam dicebant. Liuius Odyssea,

Mea puera, quid verbi ex tuo ore profluit?

quo versu interpretatus est illum Homericum,

Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

At puerum tamen vtroque genere efferebant. Næuius secundo belli Punici,

Prima incedit Cereris Proserpina puer.

Seorsum habebis, *continebis, ne quid præripias. In* seorsum *antem est synæresis, qualis in illo Virgilij,*

Vna eadémque via sanguisque animúsque sequuntur.

& in illo Propertij,

Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos.

Sine

Sine arte mentula, *in veteribus*, Parata nanque crux * arte mentula. *itaque alij fecerũt, Parata nãque crux & arte mentula: in quo illud, &, redundare, nemo non videt: alij, Parata nanque crux est arte mentula: sed hos ipsa versus ratio coarguit. nos, quod reposuimus, verum esse arbitramur.* At pol *repetitio eiusdem verbi valde irrisioni conueniens. Est autem iocus elegans, sed obscœnus. cum enim diceret viator, se nihil metuere, aut appetere etiam vsitatũ illud supplicium; illudens deus, longe alio eum, quàm putabat, modo acceptum iri respondet.*

AD AVRELIVM.

AVRELI *pater esuritionum,*
Non harum modo: sed quot aut fuerunt
Aut sunt, aut alij erunt in annis,
Pædicare cupis meos amores,
Nec clam: nam simul & iocaris vna,
Hæres ad latus: omnia experiris,
Frustra: nam insidias mihi instruentem
Tangam te prius irrumatione.
Atqui, si id faceres satur, tacerem:
Nunc ipsum id doleo, quòd esurire
Ne meus puer, & sitire discet.
Quare desine, dum licet pudico;
Ne finem facias, sed irrumatus.

Aureli. *irascitur Aurelio, quòd puerum, quem, vt ex superioribus intelligitur, ipse eius fidei commiserat, corrumpere moliatur.* Pater esuritionum. *significat eum sordide & tenuiter conuiuari, ita vt cenæ ipsius nõ cenæ vocandæ sint, sed esuritiones. Cenæ patrem vocabant* τὸν ἑστιάτορα, *quem etiam Cicero dominum epuli vocat. Horatius,*

In primis Lucanus aper leni fuit austro
Captus, vt aiebat cenæ pater.

Nonius eum & dominũ conuiuij, & dominum, sine vl la additione, vocari solitum admonet. Non harum modo. *hæc gradatio familiaris est huic poetæ.*

Sic infra,

O, qui flosculus es Iuuentiorum,
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac alijs erunt in annis. &,
Disertissime Romuli nepotum,
Quot sunt, quótque fuere, Marce Tulli,
Quótque post alijs erunt in annis.

Experiris. *in antiquis codicibus* Experibis, *quod non temere reijciendum est. ita enim multa veteres dixere agendi voce, quæ nunc tantum ea, quæ patiendi est, efferuntur: & contra. Quin hoc quoque ipso alicubi vtitur Plautus.* Tangam te prius. *est genus figuræ, quod Græci μείωσιν, Latini imminutionem aut extenuationem vocant. eo qui vti volũt, vbi quis alium percusserit, pupugeritve, aut insigniter etiam læserit, tetigisse dicunt. ea caussa est, cur nonnunquam ipsum tangendi verbum idem valeat, quod percutere, pungere, lædere. Terentius Eunucho, Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio. id est, acerbo aculeatóq; dicto quasi pupugerim. Propertius,*

Quem tetigit iactu certus ad ossa deus.

Vbi etiam videtur ducta tralatio à sagittarijs, qui tangere dicuntur, ὅταν τοῦ σκοποῦ ἐπιτυγχάνωσι.

Plautus Pseudolo,

Si neminem alium potero, tuum tangam patrem. id est, eum multabo hoc damno, emungam eum hac pecunia. idem Pœnulo,

Quia

Quia cernit amare, hominem volt leno tangere.
Catullus supra, -*velut prati*
Vltimus flos, prætereunte postquam
Tactus aratro est. Græci quoque ἁψάμενον γυναικὸς *dicunt eum, qui mulierem quampiam depereat, modo & Latini dicunt amore percussum. Virgilius,*
Quarum sacra fero ingenti percussus amore. Lucretius,
Percussit thyrso laudis spes magna meum cor.
Si id faceres satur. *sic Martialis,*
Denique pædica Mamuriane satur.
Etenim, cum saturi, & delicijs affluentes homines ista conquirunt, minus mirum est, at, si idem faciant inopes, & famelici, id vero indomitæ libidinis signum est.
Dum licet pudico. *impudicos vocabant, qui parte aliqua corporis sui alienam libidinem excepissent: pudicos, qui nihil tale perpessi essent. in Priapeijs,*
Prædictum tibi ne negare possis,
Si fur veneris, impudicus ibis. Plautus Amphitruone,
Ego tibi istā hodie scelestæ cōprimā linguā. S. haud potes
Bene pudicéque asseruatur. *Et pudicas virgines vocabant, quarum nemo pudicitiam delibasset Plautus Curculione,* -*iam ne ea fert iugum?*
Tam à me pudica est, quasi soror mea sit. et paulo post,
At illa est pudica, neque dum cubitat cum viris.

AD VARVM.

SVFFENVS *iste Vare, quem probe nosti,*
Homo est venustus, & dicax, & vrbanus,
Idémque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi millia aut decem, aut plura
Perscripta, nec sic, vt fit, in palimpsesto
Relata: charta regia, noui libri,
Noui vmbicili, lora rubra, membrana

Desecta

Defecta, plumbo, & pumice omnia aequata.
Haec cum legas, tum bellus ille, & urbanus
Suffenus, unus caprimulgus, aut fossor
Rursus videtur: tantum abhorret, ac nutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra,
Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure,
Simul poemata attigit; neque idem unquam
Aeque est beatus, ac poema cum scribit:
Tam gaudet in se, támque se ipse miratur.
Nimirum idē omnes fallimur; neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. suus cuique attributus est error:
Sed non videmus, manticae quod in tergo est,

Suffenus. *vereor, ne Fufenum hoc loco, non Suffenum, legere, oporteat. sic enim & apud Liuium pro Fufetio vulgo legitur Suffetius.* Vrbanus. *urbani non nunquam dicuntur, qui doctis dictis victum aucupantur, quos & ab affectandis diuitibus scurras vocabant. itaque urbani nomen saepe idem, quod ridiculum, valet.*

Horatius,

Menius, ut, rebus maternis atque paternis
Fortiter absumptis, urbanus coepit haberi,
Scurra vagus, non qui certum praesepe teneret.

Plautus Trinummo,

Nihil est profecto stultius, nec stolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque periurius,
Quàm urbani assidui ciues, quos scurras vocant.

Cicero in Bruto. Tu elegans, tu solus urbanus. Idémque longe plurimos facit versus. *propria, ac pene perpetua malorum poetarum nota.* Sic, *negligenter.*

Vt

Vt fit, *vt fieri solet.* In palimpsesto. *in charta deleticia,id est,ex qua deletum est aliquid,vt aliud denuo scriberetur. Cicero Trebatio, Nam quod in palimpsesto,laudo equidem parsimoniam:sed miror,quid in illa chartula fuerit,quod delere malueris:nisi forte tuas formulas.non enim puto te meas epistolas delere, vt reponas tuas. Locus autem ille Ciceronis in vulgaribus libris,vocularũ aliquot interpositu,deprauatus est.* Hæc cum legas. *vbi carmina illa tam diligenter, támque eleganter ornata legere incipias.* Tum bellus ille,& vrbanus Suffenus. *tum Suffenus ille,qui antea tam bellus, támque vrbanus videbatur,* Vnus caprimulgus,aut fossor Rursus videtur. *ita inelegantes, & illepidos versus facit.* Aut si quid hac re. *facete adhibet rei nomen, quasi scurras hominum nomine satis dignos non putet. Sic Cicero Verrem,importunum animal vocat.* Tritius. *insalse legunt alij,tristius.in quo risi equidem non mediocriter & Parthenium,& Guarinum:qui cum viderent in scurras,homines ad risum factos,nullo modo tristitiam conuenire; tristésque homines vulgari Italorum lingua vocari scirent homines nequam,ac nullius bonæ frugi;hoc loco,tristius,idem,quod peius,valere dixerunt. Tritius,legẽdum est. scurrarum enim est,tritos esse atque exercitatos in omni genere rerum agendarum,omninóque minime fatuos,vt qui & sibi ex aliena fatuitate victum colligant, & omnibus se omniũ negocijs immisceant:vt præclare describit Plautus eo ipso, quem paulo ante citauimus,loco.* Neque idem vnquam. *beati sunt, qui suo contenti sunt. Quod igitur ait, nunquam æque esse beatum Suffenum, atque cum versus facit, significat videlicet,eũ nunquam sibi*

ſibi magis placere, nunquam ſibi magis ſatisfacere. Porro cum omnibus in rebus verum illud eſt, ſuum cuique opus placere; tum nuſquam verius, quàm in ratione ſcribendorum carminum. id & hoc tempore experimur, quo ſe homines ita imperiti, vt in ipſa ſyllabarum ratione ſæpe peccent, non poetas modo tamen, ſed etiam illuſtres poetas inſcibere audent: & celeberrimi olim ſcriptores memoriæ prodiderunt. nam & apud Platonem Socrates, cum admirari ſe dixiſſet, quòd Cephalus, qui opes ſuo ipſe ſibi labore pepererat, immodice eas tamen non amaret, hac comparatione vſus eſt, ὥσπερ γὰρ οἱ ποιηταὶ τὰ αὑτῶν ποιήματα, καὶ οἱ πατέρες τοὺς παῖδας ἀγαπῶσι, ταύτῃ τε δὴ καὶ οἱ χρηματισάμενοι περὶ τὰ χρήματα σπουδάζουσιν, ὡς ἔργον ἑαυτῶν; quem locum Ariſtoteles in quartum de moribus ad Nicomachum tranſtulit: qui cum dixiſſet eo propenſiores eſſe ad liberalitatem eos, qui opes à parentibus accepiſſent, quàm qui eas induſtria quæſiſſent ſua, quòd illi inopiam nunquam experti eſſent; addit ſtatim aliam cauſſam, inquiens, καὶ πάντες ἀγαπῶσι μᾶλλον τὰ ἔργα αὑτῶν, ὥσπερ οἱ γονεῖς, καὶ οἱ ποιηταί. idémque hoc etiam apertius ponit nono eorundem librorum, his verbis, πᾶς γὰρ τὸ οἰκεῖον ἔργον ἀγαπᾷ μᾶλλον, ἢ ἀγαπηθείη ἂν ὑπὸ τοῦ ἔργου ἐμψύχου γενομένου. μάλιστα δ' ἴσως τοῦτο περὶ τοὺς ποιητὰς συμβαίνει. ὑπεραγαπῶσι γὰρ οὗτοι τὰ οἰκεῖα ποιήματα, στέργοντες, ὥσπερ τέκνα. ſed & M. Tullius Tuſculanarum diſputationum libro quinto, cum de Dionyſio tyranno loqueretur, Muſicorum vero, inquit, perſtudioſum accepèrimus, poetam etiam tragicum; quàm bonum, nihil ad rem. in hoc enim genere neſcio quo pacto magis, quàm in aliis, ſuum

ſuum cuique pulchrum eſt. Adhuc neminem cognoui poetam (& mihi fuit cum Aquino amicitia) qui ſibi non optimus uideretur. Sic ſe res habet: te tua, me delectant mea. & libro ſecundo ad Q. fratrem. Non mehercule quiſquam μουσοπάταγος libentius ſua recentia poemata legit, quàm ego te audio Nimirum idem omnes fallimur. *grauis ſententia, & ab optimis quibuſque auctoribus maximopere celebrata.* Idem fallimur. *eadem in re fallimur. Horatius, Vt ſcriptor ſi peccat idem librarius.* Suffenum, *Suffeni ſimilem, ad ſua uitia conniuentem, nimium amantem ſui. Quo modo autem quiſque ſe ipſum amare debeat, præclare diſputat Ariſtoteles libro nono de moribus.* Sed non uidemus. *reſpicit ad fabulam Æſopicam, quæ his verbis apud Stobæum explicata legitur,* Αἴσωπος ἔφη, δύο πήρας ἕκαστον ἡμῶν φέρειν, τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δὲ ὄπισθεν· καὶ εἰς μὲν τὴν ἔμπροσθεν ἀποτιθέναι τὰ τῶν ἄλλων ἁμαρτήματα, εἰς δὲ τὴν ὄπισθεν τὰ ἑαυτοῦ. διὸ οὐδὲ καθορῶμεν αὐτά.

AD FVRIVM.

FVRI, *cui neque ſeruus eſt, neque arca,*
Nec cimex, nec araneus, nec ignis,
Verum eſt & pater, & nouerca, quorum
Dentes vel ſilicem comeſſe poſſunt,
Eſt pulchre tibi cum tuo parente,
Et cum coniuge lignea parentis.
Nec mirum, bene nam valetis omnes:
Pulchre concoquitis: nihil timetis,
Non incendia, non graues ruinas,
Non facta impia, non dolos veneni,
Non caſus alios periculorum.

Atqui

Atqui corpora ſicciora cornu,
Aut ſi quid magis aridum eſt, habetis,
Sole, & frigore, & eſuritione.
Quare non tibi ſit bene, ac beate?
A te ſudor abeſt, abeſt ſaliua,
Mucciúſque, & mala pituita naſi.
Hanc ad munditiem adde mundiorem,
Quòd culus tibi purior ſalillo eſt;
Nec toto decies cacas in anno:
Atque id durius eſt faba, & lapillis:
Quod tu ſi manibus teras, fricéſque,
Non vnquam digitum inquinare poſſis.
Hæc tu commoda tam beata Furi
Noli ſpernere, nec putare parui;
Et ſeſtertia, quæ ſoles, precari
Centum, deſine: nam ſat es beatus.

Furi, cui neque. *iratus Furio Piſaurenſi, quòd is Iuuentio puero, quem ipſe diligebat, ſtuprum obtuliſſet, paupertatem illius ſalſiſſimo iucundiſſimóque verſu inſectatur.* Neque ſeruus. *talem quempiam deſcribit Lucillius his verſibus, qui ſunt apud Nonium,*

Cui neque iumentum eſt, nec ſeruus: nec comes vllus.
Bulgã, & quidquid habet nummorũ, ſecũ habet ipſe:
Cum bulga cœnat, dormit, lauit. omnis in vna
Spes hominis bulga: hac deuincta eſt cetera vita.

Nec cimex, nec araneus. *facete, vt omnia deeſſe dicat, ea quoque deeſſe dicit, quæ vſum nullum habent, quæq; nõ habere potius quilibet, quàm habere, præoptet ſibi.* Nec ignis. *ſummam paupertatem notat. quippe & Tibullus, cum paupertatem à ſe non deprecetur, hanc tamen exceptionem adhibet, vt ſibi focus perpetuo luceat.*

Me, inquit, mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.

In ædibus quoque senis illius Plautini, qui in summis opibus summa inopia laborabat, tamen ignis fuisse dicitur, sed quem ipse abiens extingui imperat. & vero quoniam locus ipse Plauti, vbi hoc agitur, deprauatus est, neque adhuc à quoquam, quod sciam, animaduersus; dabunt mihi, opinor, lectores hanc veniam, vt, paulisper digrediens à re proposita, auctori optimo opis aliquid afferã. locus igitur in impressis libris sic habet.

Caue quenquam alienum in adeis intromiseris.
ST. *Quid si quispiam ignẽ quærit? Eu. extingui volo,*
Ne caussa quid sit, quo te quisquam quæritet.
Nam, si ignis viuet, tu extinguere extemplo.

at in calamo notatis hæc omnia continenter ab Euclione dicuntur, multo sane rectius.

Caue quenquam alienum in adeis intromiseris.
Quòd quispiam ignem quærat; extingui volo,
Ne caussæ quid sit, cur te quisquam quæritet.
Nam, si ignis viuet, tu extinguere extempulo.

Occasionem vero præsidentibus hominibus deprauandi loci dedit ignorata vis particulæ, Quòd; *qua hic senex indicat, si quis, vt inter vicinos assolet, ignem quærere se dicat, nihilo magis ea de caussa, velle ipsum intromitti, immo velle etiã ignem extingui, vt omnis einsmodi tollatur occasio. atque hoc non tam verbis exprimi, quàm prolatis exemplis patefieri potest. Plautus ipse Asinaria,*

Alienum hominem intromittat ad se neminem.
Quòd ila aut amicum eum, aut patronum nominet,
Aut quòd ila amicæ amatorem esse prædicet,
Fores occlusæ sint omnibu', nisi tibi.

& vno versu interiecto,

Aut quòd ila dicat peregre allatam epistulam,
Ne epistula quidem sit vlla in ædibus.

Idē Milite, qui etiā locus in impressis deprauatus est.

Quæque à milite hic videritis hominē in nostris tegulis,
Extra vnum Palæstrionem, hunc deturbatote in viam.
Quòd ille gallinam aut columbam se sectari, aut simiam
Dicat, periistis, nisi vsque ad mortem multatis male.

Ouidius quoque eodem modo locutus videtur,

Illa quòd est virgo, quòd tela Cupidinis odit,
Multa dedit multis vulnera, multa dabit.

Et quidam in Priapeijs,

Quod sim ligneus, vt vides, Priapus,
Et falx lignea, ligneúsque penis,
Prendam te tamen, & tenebo prensam.

ita enim & in veteribus, & in Gryphianis legitur.

Est pulchre tibi. *pulchrum non nunquam valet beatum. Cicero pro Murena. Prætor quoque ne se pulchrum ac beatum putaret. Idem, de natura deorum. Propone ante oculos deum nihil aliud in omni æternitate cogitantem, nisi, mihi pulchre est, & ego sum beatus, &c.* Sole, & frigore, & esuritione. *sol exsiccat, frigus contrahit, esuritio extenuat.* Pituita. *diæresis, vt cum siluam tribus syllabis dicimus: nam pituita naturaliter trisyllabum est. Horatius,*

Præcipue sanus, nisi cum pituita molesta est.

Purior salillo. *summam veteres puritatem tribuebant sali. Ouidius,*

Mica salis puri pacificabat heros. Idem,
Far erat & puri lucida mica salis. Horatius,
-purum & sine labe salinum. Idem, - cui paternum
Splendet in mensa tenui salinum.

Et

Et sestertia. scio Budæum reprehensum esse à multis, quòd sestertia & sestertios distinxisset, tradidissétque singula sestertia valere mille sestertijs nummis. at ego eos, qui sestertia & sestertios pro eodem accipiunt, longe ipsos errare arbitror. nam quis tandem credat, Furium hunc nõ plus sibi optare solitum à dijs, quàm centum sestertios? multo vero diuitior fuisset, si moneta nostra tres aureos nummos, aut paulo amplius habuisset. infra quoque, in epigrammate,

Aut sodes mihi redde decẽ sestertia Silo; credimus, poetam, si decem modo ei sestertios id est aurei nummi minus tertiam partem, dedisset, tantillæ pecuniæ rationem habiturum fuisse? quid apud Horatium, vbi Philippus Vulteio,

Dum septem donat sestertia, mutua septem
Promittit, persuadet, vti mercetur agellum:

qualem tandem illum agellum fuisse dicemus? nempe minorem eo de quo est apud Martialem:

Donasti Lupe rus sub vrbe nobis:
Sed rus est mihi maius in fenestra:

& eo, de quo Cicero:

Fundum Varro vocat, quem possim mittere funda:
Ni tamen exciderit, qua caua funda patet.

certe enim talem fuisse oportet: cuius pretium essent quatuordecim sestertij.

AD IVVENTIVM, PVERVM.

O QVI flosculus es Iuuentiorum
Non horum modo, sed quot aut fuerunt,
Aut posthac alijs erunt in annis,
Mallem delicias mihi dedisses,
Quàm isti, cui neque seruus est, neque arca;
Quàm sic te sineres ab isto amari.

Cui nil est. homo bellus, inquies, est:
Sed bello huic neque seruus est, neque arca.
Hec tu, quàm lubet, abijce, eleuáque:
Nec seruum tamen ille habet, neque arcam.

O qui flosculus. *conqueritur cum Iuuentio, quòd Furium, mendicum pene hominem, potissimum elegerit, cui se attrectandum, florémque ætatis suæ fruendum daret. Idem argumentum est epigrammatis alternis im paribus numeris facti, cuius principium est.*
Nemo ne in tanto potuit populo esse Iuuenti.
Porro hoc commune vitium esse puerorum omnium, qui sibi conscij sunt alicuius elegantiæ, vt ex amatoribus suis vilissimum fere quenque & abiectissimum amplexentur, ex Aristophanis equitibus annotat amœnissimi homo ingenij, eruditionisque summæ, Petrus Victorius Variarū lectionum lib. XXII. *cap.* XI. *vbi multa disserit, quæ valde pertinent ad percipiendam huius carminis venustatem.* Flosculus. *Præcipuum Iuuentiæ familiæ ornamentum. Quod in quaque re pulcherrimum, purissimúmque est, id floris nomine indicatur. sic Theocritus Hyla, Argonautas vocauit diuinum heroum florem. sic honestissimus ille adolescens, qui amatorios diuini Platonis versus diuine interpretatus est, puriorem illam animæ partem, quæ basiando attrahitur, florem spiritus nominat:*
Dum semihulco suauio
Meum puellum suauior,
Dulcémque florem spiritus
Duco ex aperto tramite.
sic Plautina quædam vetula generosum vinum, florem Liberi vocat. sic ab Ennio Cethegus elegantissime dictus est

Flos

Flos inlibatus populi, suadaeq; medulla.
Simonides in epigrammate, quo Sophoclem laudat,
Ἐσβέσθης γηραιὲ σοφοκλέες, ἄνθος ἀοιδῶν.
Plautus Casina, Ea tempestate flos poetarum fuit.
Lucanus, Tunc flos Hesperiae, Latij tum sola iuuentus
Concidit. Catullus infra,
Ego Gymnasi fui flos, ego eram decus olei.
Et alibi, Flos Veronensum depereunt iuuenum.
sed & apud Ciceronem saepissime. Mallem delicias mihi dedisses, Quàm isti. *hoc vel iniurato facile credi potest. Terentius,*
Verum illud verbum est, volgo quod dici solet,
Omnes sibi melius malle esse, quàm alteri.

AD THALLVM.

CINAEDE *Thalle mollior cuniculi capillo,*
Vel anseris medullula, vel hinnula tenella,
Vel pene languido senis, sitúque araneoso,
Idémque Thalle turbida rapacior procella,
Cum diua mater alites ostendit occinentes,
Remitte pallium mihi meum, quod inuolasti,
Sudariúmque setabum, catagrophónque linum,
Inepte, quae palam soles habere, tanquam auita:
Quae nunc tuis ab vnguibus reglutina, & remitte:
Ne laneum latusculum, manusque mollicellas
*Inusta turpiter tibi flagella * conscribillent,*
Et insolenter aestues, velut minuta magno
Deprensa nauis in mari, vesaniente vento.

Cinaede Thalle. *rationem horum versuum Diomedis verbis explicabo. Septenarium, ait ille, versum Varro fieri dicit hoc modo. cum ad iambum trimetrum syllaba, & pes additur, fit tale,*
Quid immerentibus noces? quid inuides amicis?

Similis in Terentio,

Nam si remittant quippiam Philumenæ dolores.

& in Plauto sæpius tales reperiuntur. Sed & apud Græcos, ut

Ὡς ἥδομαι, καὶ τέρπομαι, καὶ βούλομαι χορεῦσαι.

Citat & tales Nonius ex Varronis satyra, quæ inscribitur, ὄνος πρὸς λύραν. Cinæde Thalle. *rapacitatem, commune* τῶν πόρνων *vitium, in Thallo quodam exagitat.* Vel anseris medullula. *imitatus est hoc nescio quis in Priapeijs,*

Quidam mollior anseris medulla
Furatum venit huc amore pœnæ.

Vel hinnula tenella. *sic supra, tenellulo hœdo delicatiorem puellam dixit.* Cum dia mater. *Tethys videlicet, quæ eadem est cum mari. Mater autem dicitur, quod, ex Thaletis Milesij sententia, principium ceterarum omnium rerum aqua sit. Notum vero est, Platoni quoque primam illam rerum materiam, matrem vocari. Sed & Homerus,*

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Et eadem de caussa cecinisse creditur Pindarus, Ἄριστον μὲν ὕδωρ. Alites. *fulices intelligit, quæ fugientes è mari, cantu suo tempestatem iam iámque imminere indicant. Cicero Prognosticis,*

Cana fulix itidem fugiens è gurgite ponti
Nunciat horribiles clamans instare procellas,
Haud modicos tremulo fundens è gutture cantus.

Catagraphónque linum, *linteum varijs figuris notatum, & depictum.* Reglutina. *facete: siquidem etiam vulgari ioco furum manus visco esse illitas dicimus.* Conscribillent. *aptum omnino est hoc verbum ad sententiam. nam & Plautus virgis dorsum scribere*

bere eodem modo dixit: & ipsum siue conscribillandi, siue conscribellandi verbum (vtroque enim modo legitur) antiquum, & Varroni quoque vsitatum esse, ex Nonio constat. sed repugnare videtur syllaba modus. itaque alij hoc loco legunt, Consigillent. *ego interponere me in istam dissensionem non audeo, donec veterem aliquem librum, qui me adiuuet, viderim.* Insolenter. *insolens enim, & inusitatum erit tibi tam tenero, támque delicato, verberibus cadi.* Aestues. *aestuare dicuntur, qui in aliquam difficultatem adducti, neque quid agant, neque quid consilij capiant, sciunt. aestuare etiam est, fluctuum in morem, modo huc, modo illuc agi. Horatius;*

Aestuat, & vitae disconuenit ordine toto.

Et aestuare, calere. Plau. nunc dum scriblitae aestuant.

AD FVRIVM.

FVRI, *villula nostra non ad austri*
Flatus opposita est, nec ad fauoni,
Nec saeui boreae, aut apheliotae;
Verum ad millia quindecim, & ducenta.
O ventum horribilem, atque pestilentem.

Furi. *vrget adhuc Furij paupertatem, cuius villulam, quae ei, vt verisimile est, vnica erat, dicit non eo incommodam esse, quòd ad huius aut illius venti flatū opposita sit, sed, quod omni vento deterius est, quòd opposita sit pignori pro tanta pecunia, vt nihil iam sit, cur eam Furius suam dicere debeat. iocatur autem in ambiguitate vocabuli, opposita.* Villula nostra. *aut legendum vestra, aut ex sua persona dicit, quod tamen de Furio intelligi cupit.* Ad millia quindecim & ducenta, *subaudiendum,* HS.

AD PVERVM SVVM.

MINISTER *vetuli puer Falerni*
Ingere mi calices amariores,
Vt lex Postumiæ iubet magistræ,
Ebriosa acino ebriosioris.
At vos,quò lubet, hinc abite lymphæ,
Vini pernicies,& ad seueros
Migrate:hic merus est Thyonianus.

Minister veteli puer Falerni. *hic vna voce à Græcis* οἰνοχόος, *à Latinis pocillator dicitur, aut, vt hic, minister. nam & in hac re ministrandi verbum proprie admodum ponitur. Cicero Frumentaria: Cum in eis conuiuijs symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur.* Ingere mi. *aut notandus est dactylus in prima sede: aut pro, Ingere, legendum, Inger.* Calices amariores, *meraciores,& vetustioris vini, in quo sentitur amarus quidam sapor. Erat autem hæc à Græcis ducta consuetudo, procedente conuiuio, poscendi maioribus assidue,& meracioribus poculis.cuius consuetudinis siue Alexander Aphrodisiensis,siue quis alius auctor est eorum problematum,quæ sub ipsius nomine circunferuntur, & meminit problemate* LXXX, *& caussas quasdam probabiles reddit.* Vt lex Postumiæ iubet magistræ. *in conuiuijs olim mos erat,talorum iactu vnum aliquem creare,qui præscriberet, quantum quisque, & quo modo temperatum biberet. eum Græci* συμποσίαρχον, *aut etiam* βασιλέα, *rem vero,id est, potestatem ipsam,* ἀρχιποσίαν *vocabant. Horatius regnum vini,& bibendi arbitrum dicit.*

Nec regna vini sortiere talis. *& alibi,*
Quem Venus arbitrum Dicet bibendi?

Varro modiperatorem. Magistros etiam eos, & hanc ludicram dignitatem magisterium nominabant. Cicero de senectute, Me vero & magisteria delectant à maioribus instituta, & is sermo, qui more maiorum à summo adhibetur magistro in poculo. Postumiam igitur eodem sensu magistram vocari intelligo. Ebriosa acino. *de hoc loco vide Gellium cap.* x x. *lib.* v i i. Thyonianus. *nomen Liberi patris, à Thyone matre ipsius; quæ & Semele dicitur.*

AD VERANNIVM, ET FABVLLVM.

PISONIS *comites, cohors inanis,*
Aptis sarcinulis, & expeditis,
Veranni optime, túque mi Fabulle,
Quid rerum geritis? satisne cum isto
Vappa frigoráque & famem tulistis?
Ecquidnam in tabulis patet lucelli
Expensum? vt mihi, qui, meum secutus
Prætorem, refero datum lucello.

Pisonis comites. *iocatur cum Verannio, & Fabullo; indicátque ipsos, Pisonem in Hispaniam secutos nihilo plus lucri fecisse, quàm ipse lucri fecerat, Memmium in Bithyniam secutus.* Vappa, *homine nihili.* Patet. *verbum valde proprium in hac ratione tabularum; vt & verbum referendi, quo statim vtitur. Cicero pro Roscio comœdo: Non habere se hoc nomen in codice accepti, & expensi relatum confitetur, sed in aduersarijs patere contendit.* Expensum. *iucunde, & παρὰ προσδοκίαν. id enim, quod expensum est, non in lucro, sed in damno potius ponitur. sed videlicet indicat in eorum tabulis nihil patere præter expensum; lucri eos nihil omnino fecisse.* Refero datum lucello. *significat se quoque nihil lucri fecisse; itaque in tabulis suis nihil*

patere, præter ea quæ ipse Memmio prætori dederat, eáque lucri locum occupare.

IN MEMMIVM.

O MEMMI, *bene me, ac diu supinum*
Tota ista trabe lentus irrumasti:
Sed, quantum video, pari fuisti
Casu: nam nihilo minore verpa
Es fartus, pete nobiles amicos.
At vobis mala multa di, deæq;
Dent, opprobria Romuli, Remique.

O Memmi. *nisi me valde animus fallit, poeta hic non ex sua persona loquitur, sed imitatur vocem alicuius, qui à Memmio prætore turpitudinem hanc passus fuerat. nam neque credendum est, generosæ hominem indolis tantum suo corpore spurcitiem pertulisse; neque, si eò vsque processisset impudētiæ, tamen fuisse tam prodigiose stultum, vt eam notam sibi ipse versibus suis inurere voluerit.* Trabe. *quam trabem dicat, notum est. eandem & columnam, & pyramidem vocabant, vt in Priapeijs,*

Nimirum tibi salsa res videtur
Astans inguinibus columna nostris. & *alibi,*
Accedit istis impudentia signum,
Libidinoso tēta pyramis neruo. & *palum. Horatius,*
Obscœnóque ruber porrectus ab inguine palus.

Nam nihilo minore verpa Es fartus. *significat, Memmium quoque eodem modo acceptum ab alio quopiam æque bene, atque ipse erat, peculiato. Verpam autem vocabant eam partem à verrendo. In Priapijs,*

Quæ quot nocte viros peregit vna,

Tot verpas tibi dedicat salignas.

Pete nobiles amicos. *hactenus ex aliena, nunc ex sua persona loquitur. I nunc, inquit, quisquis es, & te ad nobiles amicos applicato, à quibus tam pulchra facinora edi videas.* At vobis mala multa di deæq; Dent. *contra Plautus Pœnulo,*

--o, multa di tibi dent bona,

Quom hoc mi obtulisti tam lepidum spectaculum. & in eadem fabula,

Di deaq; vobis multa bona dent, cum mihi

Et bene præcipitis, & bonam prædam datis. & rursum, Multa tibi di dent bona, cum me saluum esse vis. Opprobria Romuli, Remíque. *ita eos vocat, quòd factorum suorum turpitudine veteribus Romanis, ipsisque adeo vrbis fundatoribus dedecori esse viderentur.*

IN CAESAREM.

QVIS *hoc potest videre? quis potest pati?*
Nisi impudicus, & vorax, & aleo?
Mamurram habere quod comata Gallia
Habebat omnis, vltima & Britannia?
Cinade Romule hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Et ille nunc superbus, & superfluens
Perambulabit omnium cubilia,
Vt albulus columbulus Dioneus.
Cinæde Romule hæc videbis, & feres?
Es impudicus, & vorax, & aleo.
Eo ne nomine imperator vnice
Fuisti in vltima occidentis insula,
Vt ista vestra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties?

Quid

Quid est? an hæc sinistra liberalitas
Parum expatrauit? an parum helluatus est?
Paterna primum lancinata sunt bona,
Secunda præda Pontica, inde tertia
Ibera, quam scit amnis aurifer Tagus.
Hunc Galliæ timent, timent Britanniæ?
Quid hunc (malum) fouetis, aut quid hic potest,
Nisi uncta deuorare patrimonia?
Eo ne nomine vrbis opulentissimæ
Socer, generque perdidistis omnia?

Quis hoc poteſt videre. *indignatur, Mamurram Formianum stulta Cæsaris, cum quo stupri consuetudinem habebat, liberalitate ad tantas pecunias venisse, vt solus aliquot prouinciarum opes possidere videretur. De huius opibus, & luxuria vide Plinium lib.* XXXVI. *Est autem memorabile, quod narrat Tranquillus, ita leni Cæsarem fuisse ingenio, vt, cum sibi perpetua his versibus imposita esse stigmata intelligeret, tamen Catullum satisfacientem sibi (id est, testibus præsentibus affirmantem, pœnitere se, quòd ea scripsisset: hanc enim esse vim in his rebus verbi, satisfacio, satis ex Anphitruone Plauti, & Terentij Adelphis, & Cicerone pro Roscio comœdo intelligi potest) eadem die adhibuerit cenæ, hospitioque patris ipsius, sicuti consueuerat, vti perseuerauerit.* Comata Gallia. *ita omnem transalpinam Galliam nominabant.* Cinæde. *notum est illud,*

Ecce Cæsar nunc triumphat, qui subegit Gallias.
Nicomedes non triumphat, qui subegit Cæsarem.

Romule. *hoc nomine sæpe vtebantur in eos, quos significare volebant dissimillimos esse Romuli, multumq́ ab illius præstanti virtute abesse. auctor declamationis*

illius in Ciceronem, quæ tribuitur Sallustio, Oro te Romule Arpinas. Persius, -num Romule cæues? Superfluens. *ita vocantur, qui, vt vulgo loquimur, continere se in sua pelle præ superbia non queunt. atque hoc vitium in iuuenibus notatum puto ab Homero, cum eos dixit esse ὑπερφιάλους. etsi non sum nescius, Græcos grammaticos longe aliter hanc vocem interpretari. sed de hoc alias. metaphora est à vasis nimium plenis.* Dioneus. *Venerius. Detrita autem est vna litera è diphthongo, propter metrum. rectum enim erat, Dionæus. Virgilius,*

Sacra Dionææ matri, diuisque ferebam.

Ducenties, aut trecenties. *id est, ducenties, aut trecenties centena millia* HS. *ducenties autem efficiunt monetæ Venetæ aureos nummos* 588 235. *& præterea marculos quadraginta: trecenties,* 882 353 *aureos nummos, octo marculis minus, ea ratione, vt sestertios quidem singulos quaternis marculis, aureos autem singulos tricenis quaternis grossulis æstimemus.* Sinistra. *stulta, & præpostera. nam & Græci sæpe σκαιὸν pro stulto dicunt. sic & Horatius,*

-o ego læuus,

Qui purgor bilem verni sub temporis horam.

Expatrauit. *libidinibus absumpsit. Patrare, honestum olim verbum, postea ad obscœnitatem tralatum fuisse indicat Fabius libro octauo. Quo autem sensu, ex Boetio de definitione intelligitur; qui patrationem esse ait fractæ Veneris lacrymas. itaque Persius oculum molliter ac libidinose natantem, patrantem vocauit.*

-patranti fractus ocello. quod id videlicet, in re Venerea perficientibus eueniat. Iuuenalis,

-oculósque in fine trementes.

Hellua

Helluatus est? *de Cæsare ipso loquitur.* Præda Pontica. *superato Pharnace Mithridatis, aut, vt ego in tribus peruetéribus æreis nomismatis Græce insculptũ animaduerti, Mithridatis filio, de quo notũ est illud Cæsaris, Veni, vidi, vici.* Ibera. *superatis in Hispania Petreio, & Afranio. historia satis nota est.* Hunc ἐρωτηματικῶς, *& cum indignatione legendum est.* Huncc*ine, tantum belluonem, Gallia, & Britannia timent?* Quid hunc (malum) fouetis? *apostrophe ad populum Romanum.* Vncta, *pinguia, opulenta, & copiosa.*

AD ALPHENVM.

ALPHENE *immemor, atq; vnanimis falsę sodalibus,*
Iam te nil miseret dure tui dulcis amiculi?
Iam me prodere, iam non dubitas fallere perfide.
Nec facta impia fallacum hominũ cælicolis placent.
Quæ tu negligis, ac me miserum deseris in malis,
Eheu quid faciant, dic, homines, cuive habeant fidẽ?
Certe tute iubebas animam tradere inique me,
Inducens in amorem, quasi tuta omnia mi forent;
Idem nunc retrahis te, at tua dicta omnia, factáque
Ventos irrita ferre ad nebulas aerias sinis.
Si tu oblitus es, at di meminerunt, meminit Fides,
Quæ te vt pœniteat post modo facti faciet, tui.

Alphene. *Alphenum, (nescio an iurisconsultum illum Ser. Sulpicij discipulum, cuius frequens & in Pandectis, & in alijs scriptis veterum mentio est) vt in ratione colendæ amicitiæ perfidiosum, accusat; minatúrq; fore, vt dij tandem meritas ab eo violatæ fidei pœnas exigant. Facile autem crediderim, etiam carmen infra positum, cuius principium est,* Desine de quoquam, *ad hunc ipsum Alphenum pertinere.* Nec facta impia

pia. *expressisse videtur versum Homeri,*

οὐ γὰρ σχέτλια ἔργα θεοὶ μάκαρες φιλέουσι.

Tute iubebas animam tradere, *tu ipse iubebas, vt tibi animam traderem, id est, vt me totum ad te amandum darem.* At di meminerunt. *in meo illo libro, cuius bonitatem nunquam tantopere perspexi, quàm cum hæc scriberem: (eo autem magis memini, quod eo vtens, totum Catullum, etiam tum puerulus, sæpe relegendo edidiceram) in eo igitur versus hic ita scriptus erat,* Si tu oblitus es, at di meminere, at meminit Fides. *quæ lectio quanto sit elegantior, nemo non videt.* Fides. *hanc quoque inter deos numeratam fuisse, omnes iam sciunt.*

AD SIRMIONEM, PENINSVLAM.

PENINSVLARVM Sirmio, insularúmque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis,
Marique vasto fert vterque Neptunus,
Quàm te libenter, quámque lætus inuiso,
Vix mi ipse credens, Thyniam, atque Bithynos
Liquisse campos, & videre te in tuto.
O quid solutis est beatius curis?
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum,
Desideratóque acquiescimus lecto.
Hoc est, quod vnum est pro laboribus tantis.
Salue o venusta Sirmio, atque hero gaude:
Gaudete vósque Lydiæ lacus vndæ:
Ridete quidquid est domi cachinnorum.

Peninsularum. *gaudet, gratulatúrque sibi, è Bithynia in insulam Sirmionem reuersus. Sirmio autem putatur esse in agro Veronensi, quem hodie Gardæ lacum vocant*

vocant. ibi possessiones habuit Catullus. Ocelle. *locum hunc summa elegantia tractat Petrus Victorius, variarum lectionum libro* I X. *cap.* I X. *eodem autem modo Cytheronem montem in Phœnissis Euripides Dianæ oculum vocat, & apud eundem Andromacha filium, quem è Pyrrho susceperat, vocat oculum vitæ suæ.* Vterque Neptunus. *mare superum, & inferum significat.* Vix mi ipse credens. *nam, quæ nimiopere optamus, difficillime credimus. inde sunt illa,*

Teneon' ego te Antiphila? &,
Verane te facies, verus mihi nuncius offers,
Nate dea? & similia. Thyniam. *vt Syriam, & Assyriam, ita Thyniam, & Bithyniam pro eodem sæpe dicebant. neque sum nescius, aliam Syriam esse, aliam Assyriam: sed à poetis hæc nomina confundi aio.* O quid solutis. *quinque, meo quidem animo, supra quàm dici potest, pulcherrimis versibus exponit voluptatē, qua perfunduntur ij, qui ex longa laboriosáque peregrinatione reuersi domum, omnia ibi quieta, & composita reperiunt. Et solutas autem curas, vt hic, & solutum curis animum, vt sæpe Cicero, & simpliciter solutum animum pro libero, & quiéto dicimus; vt in his pulcherrimis Varronis versibus, qui quoniam apud Nonium deprauati leguntur, ascribam equidem eos ita, vt emendandos puto.*

Varro ἀνθρωποπεργία, ἢ περὶ γενεθλίων:
Non fit thesauris, non auro pectu' solutum.
Non animis demunt curas, ac relligiones
Persarum montes, non atria diuiti' Crassi.

Salue o venusta Sirmio. *mos erat, vt, qui primum ingrederentur regionem aliquam, ad eámve ex interuallo*

uallo reuerterentur, religiose eam salutarent: idque, quoniam cuique loco suum quendam genium praeesse arbitrabantur. itaque Pythagorici ob id alijs alios locis fortunatiores esse rebantur: prout videlicet cum cuiusque loci genio cuiusque hominis genius conueniret. Virgilius, Ignarus, genium ne loci, famulum ne parentis Esse putet. Idem,

Sic deinde effatus, frondenti tempora ramo
Implicat, & geniúmque loci, primámque deorum
Tellurem, nymphásque, & adhuc ignota precatur
Flumina. Ouidius,
Cadmus agit grates, peregrinaéque oscula terræ
Figit, & ignotos montésque, agrósque salutat.
& quidam apud Menandrum,
χαῖρ᾽ ὦ φίλη γῆ, διὰ χρόνου πολλοῦ σ᾽ ἰδὼν
Ἀσπάζομαι. & seruus quidã Plautianus, Bacchidibus,
Herilis patria salue, quam ego biennio
Postquam in Ephesum abij, conspicio lubens.
& alter in Sticho,
Saluete Athenæ, quæ nutrices Graciæ.
O terra herilis patria, te video lubens.

Lydię lacus vndæ. *vndas Benaci Lydias vocat à similitudine quadam: nam vt Pactolus, ita Benacus quoque aureas arenas voluere dicitur. forte etiam Lydias vocat Etruscorum ditioni subditas, quòd à Lydis Etrusci originem ducunt.*

AD IPSITHILLAM.

AMABO *mea dulcis Ipsithilla,*
Meæ deliciæ, mei lepores,
Iube, ad te veniam meridiatum.
Quod si iusseris, illud adiuuato,
Ne quis liminis obseret tabellam,

Neu tibi lubeat foras abire:
Sed domi maneas, parésque nobis
Nouem continuas fututiones.
Verum, si quid ages, statim iubeto.
Nam pransus iaceo, & satur supinus
Pertundo tunicámque, palliúmque.

Adiuuato, *antique, pro, addito.*

IN VIBENNIOS.

O FVRVM *optime balneariorum*
Vibenni pater, & cinæde fili,
(Nam dextra pater inquinatiore,
Culo filius est voraciore)
Cur non exilium, malásque in oras
Itis? quandoquidem patris rapinæ
Notæ sunt populo, & nates pilosas
Fili non potes asse venditare.

O furum optime balneariorum. *fures balnearios vocabant, qui surripere solerent vestimenta eorum, qui lauatum ierant. hi autem capitali supplicio afficiebantur; cum ceteris dupli tantum pœna proposita esset. cuius rei multas caussas reddit Aristoteles in problematis. Primum, quòd facillimum est in balneis furari. quare, ne magna illa efficiendi facultas cuiquam occasionem peccandi daret, voluit legislator quasi ex aduerso opponere maioris pœnæ metum. Deinde, si quis tuum aliquid è domo tua surripuerit, iam tua, ex parte aliqua, culpa est; qui non vel fores occluseris, vel quoquo modo parum tibi spectatæ fidei hominem adium tuarum aditu prohibueris. at balneator, velit, nolit, omnes sine discrimine in balineas recipere cogitur. merito igitur lex plus ei opis afferre debuit. Adde, quòd, qui conuicti sunt furti alicuius alio in loco nō ita celebri admissi,*

postea

poſtea tamen interdum ſeſe ad bonam frugem recipiũt, omnique ſtudio moliuntur efficere, vt maculam illam inſequentis vitæ continentia deleant: at hi, qui prauitatem ſuam toti populo patefactam vident, abiecta omni ſpe, fore vt illud famæ diſpendium vlla vnquam ratione ſarcire poſſint, ne conantur quidem animum ad bonas partes adducere: itaque merito, tanquam depoſiti penitus, deſperatique, à corpore reipublicæ excindun tur. Præterea, vt qui publice egregium aliquod facinus obeunt, plus præſtant reip. quàm qui priuatim; ideóque maioribus præmijs honorantur: ita qui publice ſcelus aliquod obeunt, inſignius lædunt ciuitatem, quàm ſi eodem ſe, aliquibus in latebris, contaminarent: neque facto tantum, verum etiam exemplo nocent: quare & grauioribus eos ſupplicijs affici par eſt. Addit & alias quaſdam, quibus, ne nimium excreſcat oratio, recenſendis ſuperſedebimus. Lepide autem optimum furem dixit Catullus, cum callidiſſimum, & furaciſſimum ſignificet: quaſi vlla in vitijs bonitas eſſe poſſit.

SAECVLARE CARMEN AD DIANAM.

DIANAE *ſumus in fide*
Puellæ, & pueri integri.
Dianam pueri integri,
Puellæq; canamus.
O Latonia maximi
Magna progenies Iouis,
Quam mater prope Deliam
Depoſiuit oliuam,
Montium domina vt fores,
Siluarúmque virentium,
Saltuúmque reconditorum,

Amniúmque sonantum;
Tu Lucina dolentibus,
Iuno dicta puerperis,
Tu potens Triuia,& notho es
Dicta lumine luna.
Tu cursu dea menstruo
Metiens iter annuum,
Rustica agricolæ bonis
Tecta frugibus exples.
Sis quocunque tibi placet
Sancta nomine, Romulique
Antiquam, vt solita es,bona
Sospites ope gentem.

Dianæ sumus in fide. *ludis sæcularibus,pueri puellæq́ Apollinis ac Dianæ laudes canere consueuerant. In eum igitur vsum hymnus hic factus est, quo Dianæ laudes continentur. Tres eiusdem generis hymni apud Horatium leguntur. De his autem ludis multa admodum digna cognitu collegit Politianus in miscellaneis.* In fide, *in tutela,in clientela.* Integri. *nam & ipsa virgo est; vtq́ semper virgo esse posset, recens nata,obtinuit à Ioue.vnde apud Ouidium Daphne,*

Da mihi perpetua genitor carissime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianæ.

quo loco dubium non est, quin Ouidius Callimachum exprimere voluerit,apud quē Diana ipsa ita loquitur,

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Quin & Socrates apud Platonem in Cratylo,cum varias caussas tradat,cur hæc dea Græce ἄρτεμις *nominetur, illam primam ponit, quòd* ἄρτεμες *integrum valeat, & incorruptum; ideóque rectè illi hoc nomen tribui,* διὰ τὴν τῆς παρθενίας ἐπιθυμίαν. Deposiuit, *enixa est.*

xa est. ἀπεθήκατο κόλπων, *Callimachus. Deposuit autem antique, pro deposuit. Priscianus lib.* x. *Antiqui, inquit, & posiui protulisse inueniuntur. Plautus in Vidularia,*

Nunc apud sequestrum vidulum posiuimus.

Appuleius in primo Hermagoræ, Et cibatum, quem iocundum esse nobis animaduerterant, eum apposiuerunt. Prope Deliam oliuam. *de Latonæ partu varia antiqui scriptores literis prodiderunt. Sunt, qui dicant ab ea in Delo Apollinem Dianámque vno partu editos. Cicero in Verrem, Si in pueritia non iis artibus & disciplinis institutus eras, vt ea quæ literis mandata sunt, disceres atque cognosceres: ne postea quidem, cum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoriæ ac literis? Latonam ex longo errore, & fuga, grauidam, & iam ad pariendum vicinã, temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi Apollinẽ, Dianámque peperisse: qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur. Atque ea sententia plurimos assertores habet. unde Latonam Orpheus* διδυματόκον, *Ouidius gemelliparam vocat. Alij Apollinem & Dianam ne eodem quidem loco, nedum eodem partu, editos esse aiunt, sed Dianam quidem in Ortygia, Apollinem vero in Delo. idque ex Orpheo ipso colligunt.*

Γειναμένη φοῖβόν τε, καὶ ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Τὴν μὲν ἐν ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ δήλῳ.

Sed & Homerus,

Χαῖρε μάκαιρ᾽ ὦ λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα,
Ἀπόλλωνα τ᾽ ἄνακτα, καὶ ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Τὴν μὲν ἐν ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ δήλῳ.

Rursum alij Ortygiam & Delum eandem esse dicunt.

Ouidius, - *tempúsque fuit, quo nauit in vndis,*
Nunc sedet Ortygie: *vbi aperte Ortygiam, Delum vocat. Strabo quoque Delum olim Ortygiam vocatam admonet. distinguuntur tamen in iis, quos citauimus, Orphei, & Homeri versibus; & Strabo ipse libro* XIIII, *aliam quandam à Delo Ortygiam describit, vbi de non nullorum sententia ait Dianam & Apollinem natos esse. Neque minus habet dubitationis, ad quam arborem Latona pepererit. Catullus hic oliuam nominat; in eadémque sententia sunt Strabo, & Hyginus. at palmam, ait Plinius, in Delo, Apollinis & Dianæ natalibus nobilem conspici. idque Homerus, Theognis, Callimachus comprobant. interpres quoque Apollonii, Mos, inquit, parturientium est, proxima quæque apprehendere, vt sic dolores aliqua ex parte subleuent: sic Latona palmam apprehendit. interpres Iliados Homericæ vtrãque arborem ponit, & palmam videlicet, & oliuam: idémque etiam Ouidio placuit, cuius illud est,*

Illic incumbens cum Palladis arbore palmæ,
Edidit inuita geminos Latona nouerca.

at Plutarchus in Pelopida, & in libro de defectu oraculorum, Deli, qui Bœotiæ mons est, accolas Apollinis & Dianæ ortum sibi vendicare ait; illic esse Apollinis Gyræi ædem, ad cuius posteriorem partem duos fontes fluere aqua dulcissima, plurima, frigidissima; quorum alterum palmam, alterum oliuam vocari. Euripides autem in Hecuba, duas arbores è terra extitisse in Delo, palmam, & laurum; cum ibi Latona partu leuaretur. Montium domina. *sic Horatius,*

Montium custos, nemorúmque virgo. *& ipsa apud Callimachum Iouem alloquens,* Δὸς δ' ἔμοι οὔρεα πάντα.

& pau

& paulo post, Οὔρεσιν οἰκήσω. Tu Lucina. *eadem est Iuno Lucina, & Diana Lucifera, vt ex hoc loco cognoscitur, & ex Cicerone* 11. *de natura deorum. Sic Heratius,*

Siue tu Lucina probas vocari, Seu genitalis Diua. Idem, Rite maturos aperire partus Lenis Ilithyia tuere matres.

Hesiodus tamen, & Pindarus, & Callimachus aliam à Diana Ilithyian faciunt: immo vero parienti Latonæ ait Pausanias Ilithyian affuisse; cum ex Hyperboreis ad eam parturientem accurrisset. Seruius, Dianam ipsam matri obstetricis munus præstitisse. Apud Callimachum Diana sibi datum ait à fatis, vt parientibus opituletur, quòd ipsa sine vllo materno dolore edita fuerit. Contra Homerus, totos nouem dies laborasse Latonam, donec Iris partu eam leuatura, inscia Iunone, adueniret. Sed quis in fabulis firmum aliquid, aut constans requirat? Potens Triuia. *eadem enim est cum Hecate, quæ in triuijs colebatur. Virgilius,*

Nocturnisque Hecate triuijs vlulata per vrbes.

Potentis autem epitheton ei proprium est. Idem,

Voce vocans Hecaten, cæloque ereboque potentem.

Notho lumine, *lucet enim aliena luce, vt ait Cicero. Vnde & mulos eius vehiculo dabant; quòd vt mulus non suo genere, sed equis creetur, sic ea solis, non suo, fulgore luceat. auctor Festus.* Tu cursu dea menstruo. *vnde & mensis ipse dictus est,* ἀπὸ τῆς μήνης. Rustica agricolæ. *Callimachus,*

Οὓς δέ κεν εὐμειδής τε καὶ ἵλαος αὐγάσσεαι,
Κείνοις εὖ μὲν ἄρουρα φέρει στάχυν.

hoc autem non sine ratione physica dictum est. humo-

ri enim praeſt Luna, quo omnia nutriuntur. Sis, quocunque tibi placet. *erudite, & eleganter explicat hunc locum Petrus Victorius Variarum lectionum lib.* XIII, *cap.* II. Bona ope. *ſic infra,*

Salue, téque bona Iuppiter auctet ope.

Soſpites. *ſoſpitare eſt bona ſpe afficere, aut bonam ſpem non fallere. Feſtus. Soſpitent, ſeruent. Ennius Menalippa, Regnúmque voſtrum ſoſpitent, ſuperſtiténtque. Nonius.*

CAECILIVM ACCERSIT.

POETAE *tenero, meo ſodali,*
Velim Cæcilio papyre dicas,
Veronam veniat Noui relinquens
Comi mœnia, Lariúmque littus.
Nam quaſdam volo cogitationes
Amici accipiat ſui, meíque.
Quare, ſi ſapiet, viam vorabit.
Quamuis candida millies puella
Euntem reuocet, manúsque collo
Ambas iniyciens roget morari;
Quæ nunc, ſi mihi vera nunciantur,
Illum deperit impotente amore.
Nam quo tempore legit incohatam
Dindymi dominam, ex eo miſellæ
Ignes interiorem edunt medullam.
Ignoſco tibi Sapphica puella
Muſa doctior: eſt enim venuſte
Magna Cæcilio incohata mater.

Poetæ tenero. *Cæcilium Nouocomo Veronam accerſit.* Dicas. *chartæ enim tabulæq́; quodam modo loqui videntur.* Lariúmque littus. *Lacus Lary ripã.* Incohatam Dindymi dominam, *incohatũ à Cæcilio poema*

poema de Cybele. Interiorem edunt medullam. *sic Virgilius,*

-est mollis flamma medullas. Catullus ipse infra,
-cuius me magnus edebat Amor. Virgilius,
Nec te tantus edat tacitam dolor. Cicero,
Ipse suum cor edens, hominum vestigia vitans.
Horatius, -si, quod
Est animum, differs curandi tempus in annum.

quæ exempla congessi, vt magis perspiciatur huius verbi in talibus exprimendis elegantia. Sapphica musa. *Sapphicam musam vocat Sappho ipsam, quam Græci poetæ, propter suauitatem versuum, decimam musam esse dixerunt.*

IN ANNALES VOLVSII.

ANNALES *Volusi, cacata charta,*
Votum soluite pro mea puella.
Nam sanctæ Veneri, Cupidinique
Vouit, si sibi restitutus essem,
Desisséque truces vibrare iambos,
Electissima pessimi poetæ
Scripta tardipedi deo daturam
Infelicibus vstulanda lignis.
Et hoc pessima se puella vidit
Iocose, & lepide vouere diuis.
Nunc o cæruleo creata ponto,
Quæ sanctum Idalium, Vriósque apertos,
Quæq; Ancona, Cnidúmque arundinosam
Colis, quæq; Amathunta, quæq; Golgos,
Quæq; Dyrrhachium, Adriæ tabernam,
Acceptum face, redditúmque votum,
Si non illepidum, neque inuenustum est.
At vos interea venite in ignem

Pleni ruris, & infacetiarum
Annales Volusi, cacata charta.

Annales Volusi. *siue hoc verum est argumentum, siue fictum, nihil falsius dici potuit in annales Volusianos. sed, quia ceteri interpretes huius carminis sensum satis non sunt assecuti, faciendum est mihi, vt illius argumentum explicem. Catullus, vt in amore sæpe accidere solet, puellæ suæ iratus erat, cœperátque in eam versus iambicos scribere: quorum illa aculeos extimescens, Veneri ac Cupidini vouerat, si Catullus sibi restitutus foret, se pessima pessimi poetæ scripta igni daturam. quod votum suum cum mitigato iam ipsi aperuisset, ridens Catullus, Volusianos annales, vt ipsa voti religione soluatur, cremandos esse ait. eius autem libri ineptiam alio etiam loco notat, affirmans, vsum illius, nisi in complicandis scombris, nullum fore.* Annales Volusi. *suspicatus sum aliquando, horum annalium mentionem fieri à Seneca, lib.* XIIII. *epistolarum, his verbis: Et paucorum versuum liber est, & quidem laudandus, atque vtilis, annales Volusij. scis, quàm non decori sint, & qui vocentur. Hæc autem postrema verba huc referebam, vbi eos Catullus chartam cacatam vocat. sed tamen hoc non valde asseueranter affirmauerim. etenim apud Senecam, Tamusij, non Volusij, legitur.* Restitutus. *reconciliatus, non, vt alij exponunt, reuersus ex Bithynia. sic & infra,*

Quòd te restituis Lesbia mi cupido.

Tardipedi deo, *Vulcano: qui eo claudus fingitur, quòd flamma trepido sursum motu tendens quasi claudicare videatur.* Infelicibus. *quæ dicantur infelices arbores, vide Macrobium.* Nunc ò cæruleo

creata

creata ponto. *Venerem inuocat, ut libro comburendo assit, puellámque voti religione liberet. Vt autem dea illa è mari enata fuerit, copiose enarrat Hesiodus Theogonia.* Quæ sanctum Idalium. *enumerat multos locos Veneri sacros, more veterum, qui in dijs appellandis celebrandísque solebant multa ipsorum epitheta congerere, ac percensere locos, quibus ipsi præessent: quod in Homeri præcipue, Orpheíque hymnis animaduerti potest.* Vriósque apertos. *plano ac patēte sites loco. In quibusdã scriptis libris, Ærios, non Vrios legitur: suntq́ue, qui populos Cypri dicant. ego de Ærijs nihil reperio. Vriæ oppidi meminit & Homerus in Bœotia,* Οἵθ' Υρίην ἐνέμοντο: *& Dionysius, qui Vrium vocat: & Herodotus in Polymnia, & Strabo: & Stephanus, & alij. sed cum eo nomine varia diuersis locis oppida fuisse reperiam: illud nondum reperire potui, ecquod illorum Veneri sacrum fuerit.* Dyrrhachium Adriæ tabernam, *quòd illuc diuertere solerent, qui per Adriaticum nauigassent.* Acceptum face. *verbum sumptum ab argentarijs, qui acceptam, redditámve pecuniam facere dicuntur, cum in tabulas suas referunt, eam sibi solutam fuisse.* Pleni ruris. *ita, legendum, non, ut vulgo, turis. atque hoc rectè ex veteribus libris emendauit Palladius. Rus autem pro rusticitate dicit, ut supra, Idem infaceto est infacetior rure. Sic ancilla quædam, apud Plautum Truculento, seruum, à quo rustice excipiebatur, rus merum esse dicit.*

AD CONTVBERNALES.

SALAX *taberna, vósque contubernales,*
A pileatis nona fratribus pila,
Solis putatis esse mentulas vobis?

Solis

Solis licere, quidquid est puellarum,
Confutuere, & putare ceteros hircos?
An, continenter quòd sedetis insulsi
Centum, aut ducenti, non putatis ausurum
Me vna ducentos irrumare sessores?
Atqui putate: nanque totius vobis
Frontem tabernæ scipionibus scribam.
Puella nanque, quæ meo sinu fugit,
Amata tantum, quantum amabitur nulla,
Pro qua mihi sunt magna bella pugnata,
Consedit istic. hanc boni, beatique
Omnes amatis, & quidem, quod indignum est,
Omnes pusilli, & semitarij mœchi;
Tu præter omnes vne de capillatis,
Cuniculosæ Celtiberiæ fili,
Egnati; opaca quem bonum facit barba,
Et dens Ibera defricatus vrina.

Salax taberna. *minitatur & verbera, & multo fœdius aliquid contubernalibus quibusdam, qui puellam, quæ ab ipso aufugerat, detinebant.* Taberna, *συνεκδοχικῶς tabernam pro ipsis contubernalibus ponit: itaque, quod addit,* Vósque contubernales, *quasi expositio quædam est eius, quod præcesserat. Contubernales, ait Festus, dicuntur à tabernis, quæ fiebant ex tabulis: vnde & tabernacula sunt dicta, licet ex tentorijs, & pellibus fiant.* A pileatis nona fratribus pila. *indicat, quos contubernales alloquatur; eos nempe, qui tabernam haberent ad pilam nonam à Castorum templo, quod in foro ad lacum Iuturnæ fuit, à Castore tantum nominari solitũ: etsi tum ipsi, tum Polluci sacrum foret. Castorem autem & Pollucem pileatos fratres vocat, quòd eis, vtpote Laconibus, eo ornatu statuæ ponerentur*

rentur. Hircos, *ita fœdos, vt eorum congressum puellæ omnes æque, atq; hircorum, refugere, atque aspernari debeant.* Nanque totius vobis Frontem tabernæ scipionibus scribam. *etsi scipionem proprie dicimus baculum, quo infirmiores inter incedendum niti solent: tamen hic scipiones eos vocat, è quibus merces in taberna appenderentur. eis igitur ait se scripturum contubernalibus frontem, id est, ita valide percussurum, vt cicatrices imprimantur.* Puella nanque, quæ. *in alijs, Puella nam, modo quæ è meo sinu fugit. quæ lectio mihi quidem magis probatur.* Boni beatíque. *ironia.* Pusilli, *abiecti, & contemptæ sortis.* Et semitarij, *qui plerunque vulgaria modo scorta, & in semitis prostantia consectemini. in alijs sellularij.* Tu præter omnes. *hos versus temere ab alijs loco motos è veteribus libris hic reposuimus. Hic autem, quisquis est, Egnatius vnus videlicet ex illis contubernalibus fuit: qui quòd, se formosum putans, puellam præter ceteros assectaretur, ei quoque poeta præter ceteros irascitur.* Vne. *Priscianus libro quinto, de nomine, vnus, loquens, De cuius, inquit, vocatiuo quia quidam dubitant, Caper, doctissimus antiquitatis perscrutator, ostendit hoc vsum Catullum, & Plautum. Catullus,*

Tu præter omnes vne de capillatis.

Plautus in Fribolaria,

O amice & multis, at mihi vne Cephalio.

Egnati, opaca quem bonum facit barba, Et dens, *&c. qui nihil habes, quo bonus, id est, formosus, videri queas, præter opacam barbam, & dentium candorem multa vrinæ fricatione quæsitum.*

AD CORNIFICIVM.

MALE *est Cornifici tuo Catullo,*

Male est, Hercule me, & laboriose,
Et magis magis in dies, & horas;
Quem tu, quod minimum, facillimúmque est,
Qua solatus es allocutione?
**Irascor tibi. sic meos amores?*
**Paulum quidlubet allocutionis*
**Mæstius lacrumis Simonideis.*

Male est Cornifici. *conqueritur cum Cornificio, qui ipsum, in magno dolore animi positum, ne allocutione quidem vlla solatum accesserat.* Et magis magis. *ita est in meo manuscripto, aliisque veteribus: & sic quoque Catullus alio loco locutus est,*

Post, vento crescente magis magis increbrescunt.
vt, quin hæc vera lectio sit, dubitari non oporteat. Allocutione. *proprie admodũ. Varro, Allocutum mulieres ire aiunt, cum eunt ad aliquam locutum, consolandi caussa. ita enim eum locum Varronis, ope veteris libri, emendauit Victorius, cum in aliis legeretur, consulẽdi.* Sic meos amores? *post hunc versum, equidem non dubito, quin aliquid desit, sine quo insequentium versuum sententia explicari non queat. sunt tamen quidam in primis eruditi homines, qui putent fieri posse, vt nihil desideretur: exponántque ad hunc modum: adhibuisse quidem Cornificium Catullo consolationem aliquam, sed & breuem, & eiusmodi, vt lamentationi alicui, quàm consolationi, similior videretur: hanc autem orationem concisam esse, & ἐλλειπτικὴν, ad indicandam vim & magnitudinem doloris: vt intelligamus,* Sic meos amores? *id est: siccine meos amores à te parui fieri, vt meliorem mihi consolationem nullam afferas? quid enim tandem à te allatum est?* Paulum

quid

quidlubet allocutionis, *atque id quoque ipsum* Mæstius lacrumis Simonideis. *excelluisse autem Simonidem poetam in tractatione rerum tristium, cum aliunde, tum ex Fabij testimonio intelligi potest. sunt, vt dixi, qui hunc locum ita interpretetur. ego deduci de sententia non possum: omninóque deesse aliquid existimo.*

IN EGNATIVM.

EGNATIVS, *quód candidos habet dentes,*
Renidet vsquequaque: seu ad rei ventum est
Subsellium, cum orator excitat fletum,
Renidet ille: seu pij ad rogum fili
Lugetur, orba cum flet vnicum mater,
Renidet ille. quidquid est, vbicunque est,
Quodcunque ait, renidet; hunc habet morbum,
Neque elegantem, vt arbitror, neque vrbanum.
Quare mouendus est mihi, bone Egnati,
Si vrbanus esses, aut Sabinus, aut Tiburs,
Aut parcus Vmber, aut obesus Etruscus,
Aut Lanuuinus ater, atque dentatus,
Aut transpadanus, vt meos quoque attingam,
Aut quilibet, qui puriter lauit dentes,
Tamen renidere vsquequaque te nollem.
Nam risu inepto res ineptior nulla est.
Nunc Celtiberus, Celtiberia in terra
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem, atque rufam defricare gingiuam:
Vt, quo iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

Egnatius. *ineptiam Egnatij exagitat; qui cum de candore dentium, quem sibi spurcissime parabat, vt de* magno

magno aliquo bono, magnopere se amaret, eius ostentandi caussa, sæpe, nulla occasione, ridebat, aut ea etiam excipiebat risu, quæ lacrymis potius excipi par foret. Eodem morbo Alexis comicus mulieres quoque laborare ait, lepidissimis versibus, quos è Clemente Alexandrino Petrus Victorius in libros suos trãstulit: quos, quoniam nondum satis emendatos puto, ita proferam, vt legi oportere arbitror: neque me id etiam cum bona ipsius Victorij gratia facturum esse diffido. sunt autem trochaici octonarij catalectici.

Εὐφυεῖς ὀδόντας ἔχειν; ἐξ ἀνάγκης δεῖ γελᾷν.
Ἵνα θεωρῶσιν οἱ παρόντες, τὸ στόμ' ὡς κομψὸν φέρει.
Ἐὰν δὲ μὴ χαίρῃ, γελῶσα διατελεῖ τὴν ἡμέραν,
Μυῤῥίνης ξυλύφιον ἔχουσα λεπτὸν ἐν τοῖς χείλεσιν,
Ὥστε τῷ χρόνῳ σεσηρέν', ἄντε βούλετ', ἄν τε μή.

Renidet, *ridet. Renidere dicitur, quidquid hilarem aliquam speciem præsefert. quo sensu transfertur etiam ad inanimata.* Seu ad. *huius* συνεκφωνήσεως *rara admodum exempla reperiri puto.* Seu ad rei ventum est Subsellium, *siue quis eum amicus in graui aliqua caussa periclitans aduocatum adduxit sibi. quis autem locus alienior à risu, quàm iudicium?* Cum orator excitat fletum, *cum ad eam orationis partem ventum est, in qua orator, velut habenas eloquentiæ laxans, omnia permiscet affectibus, ita vt sæpe è corona astante ij quoque, ad quos nihil res attinet, lacrumare cogantur; eo inquam tempore, quo subsellia ceterorum gemitu, plãctúque resonant,* Renidet ille. *Addit etiam, quod sit absurdius.* Seu pij ad rogum fili Lugetur; orba cum flet vnicum mater. *in singulis autem verbis inest pondus. nam & nullus acerbior luctus est, quàm*

ob

ob amissum filium; & in eo minus sibi matres, quàm patres temperant: idque præcipue, si lugeatur & pius, & vnicus, & eo maxime temporis puncto, quo miseræ matres illa sibi tantopere dilecta ora flammis feralibus pasci vident: in quo tanti eiulatus excitari solent, vt ipsa pene saxa perrumpat dolor. At Egnatius, dum dentes ostendat, istis rebus non valde mouetur. itaque in tam mæsto spectaculo, lamentantibus ceteris, Renidet ille. *ac denique,* Quidquid est, vbicunque est. Quodcunque agit, renidet. hunc habet morbum. *morbos vocabant prauitates quasdam animi, consuetudinésque vitiosas. Cicero in Verrem, de signis. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium; vt amici eius, morbum, & insaniam; vt Siculi, latrocinium. Apposite autem id verbi adhibuit poeta, quo in amicorum vitijs vterentur; qui & se amicum esse Egnatio simulet, & admonere eum, quasi amice, velit.* Quare monendus est mihi. *hactenus de eo locutus est: nunc ad eum orationem conuertit, inquiens,* Bone Egnati, &c. *subest autem vis argumenti ἀπὸ τοῦ ἐλάττονος hoc modo. Etiam si oriundus esses ex aliqua earum gentium, quæ sibi dentium candorem sine vlla spurcitia comparant: tamen, ita frequenter, ac nulla occasione eos retegere, ineptum esset. quanto igitur id ineptius est, cum originem ex ea gente hominum ducas, quæ sibi non horret quotidie vrina confricare gingiuas, vt dentes efficiat candidos,* Si vrbanus esses. *id est, in vrbe natus.* Aut parcus Vmber. *videtur frugalitatem & parsimoniam Vmbris tribuere. contra tamen eorum luxus à multis idoneisque scriptoribus incessitur.* Aut obesus Etruscus, *è copiosis videlicet, frequentibúsque sacrificiorum epu-*

lis, quibus ea gens plurimum dedita fuisse dicitur. Aut Lanuuinus ater. *in alijs, acer.* Vt meos quoque attingam. *Verona enim est ex Italia transpadana.* Lauit. *ita dicebant veteres, non, vt nunc, lauat. Virgilius, – lauit improba teter Ora cruor.* Nam ri[illegible] inepto. *ob id etiam Graci, quos significare volunt insigniter fatuos,* ἀχρειογέλωτας *vocant.* Celtiberia in terra. *antique additum, terra.*

AD RAVIDVM.

QVAENAM *te mala mens miselle Rauide*
Agit præcipitem in meos iambos?
Quis deus tibi non bene aduocatus
Vecordem parat excitare rixam?
An ne vt peruenias in ora vulgi?
Quid vis? qualubet esse notus optas?
Eris, quandoquidem meos amores
Cum longa voluisti amare pœna.

Quænam te mala mens. *huius versus postrema syllaba à principe subsequentis absumitur.* Agit præcipitem. *cum enim meos amores attentare audes, tum videris vltro in ipsam meorum versuum aciem incurrere, téque in eos præcipitem dare.* Quis deus. *à dijs enim iratis mala consilia in hominum mentes immitti putabant. Cicero pro Milone, Hic dij immortales, vt supra dixi, mentem dederunt illi perdito, ac furioso, vt illi faceret insidias. aliter perire pestis illa non poterat. Aut ad eorum sententiam respicit, qui affectiones, quibus agitatur animus, deos vocabant. in Græcorum enim cōmentarijs reperio, dei nomen quinque fere modis vsurpari solere, vt modo sapientes homines, modo reges ac potentes deos vocemus, modo elemen-*

ta,

ta, modo fatum, modo etiam facultates animi, ipsásque illius agitationes. quò etiam respexit Virgilius,

- dij ne hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido?

Vt peruenias in ora vulgi? *vt meis versibus traductus ad infamiam, nobilis, & decantatus euadas? Hec autem locutio, venire in ora, & in vitio, & in laude etiam ponitur. Liuius libro* I I. *timorem iniecit, ne in ora hominum pro ludibrio abiret.* Propertius,

Crede mihi; magnos aequabunt ista triumphos
Indicia; & venies tu quoque in ora virum.

IN ACMEN.

ACME *illa, illa puella defututa,*
Tota millia me decem poposcit,
Ista turpiculo puella naso,
Decoctoris amica Formiani.
Propinqui, quibus est puella curae,
Amicos, medicósque conuocate.
Non est sana puella; nec rogare,
Qualis sit, solet hac imaginosum.

Acme illa. *indignatur, Acmen ausam esse à se decem millia pro mercede concubitus poscere.* Turpiculo. *Cicero* I I. *de Oratore, Grauitas honestis in rebus seuere, iocus in turpiculis, & quasi deformibus ponitur.* Formiani, *Septimij; vt infra, Acmen Septimius suos amores.* Propinqui. *aduocandos ait esse amicos puellae, & medicos ad eam curandam: furere enim, & atra bili percitam esse.* Nec rogare, Qualis sit, solet hæc imaginosum. *id est, speculum de forma sua consulere non solet. id enim si faceret, quamuis sana non est, cognosceret ta-*

men deformiorem esse se, quàm vt tantum poscere debeat. Imaginosum autem vocat speculum à reddendis intuentium imaginibus.

IN QVANDAM.

ADESTE *hendecasyllabi, quot estis*
Omnes vndique, quotquot estis omnes.
Iocum me putat esse mœcha turpis;
Et negat, mihi vestra reddituram
Pugillaria, si pati potestis.
Persequamur eam, & reflagitemus.
Quæ sit, quæritis? illa, quam videtis
Turpe incedere, myrmice, ac moleste,
Ridentem catuli ore Gallicani.
Circumsistite eam, & reflagitate.
Mœcha putida redde codicillos.
Redde putida mœcha codicillos.
Non assis facis o lutum, lupanar,
Aut si perditius pote est quid esse.
Sed non est tamen hoc satis putandum.
Quòd si non aliud pote est; ruborem
Ferreo canis exprimamus ore.
Conclamate iterum altiore voce,
Mœcha putida redde codicillos,
Redde putida mœcha codicillos.
Sed nil proficimus; nihil mouetur.
Mutanda est ratio, modúsque vobis,
Si quid proficere amplius potestis.
Pudica, & proba redde codicillos.

Adeste hendecasyllabi. *hendecasyllaborum opem implorat, ad exterquenda pugillaria, sibi à meretrice quadam subrepta: ac primum quidem eam conuicijs persequitur, ad postremum etiam blanditijs tentat.*

Quot

Quot estis, *id est,quotquot estis. sic supra,Et quantum est hominum venustiorum, pro quantum quantum est. sic sæpe apud Ciceronem, quo modo,pro quoquo modo, & cuiusmodi, pro cuicuimodi. sic quot calen- Plautus,& nos quotannis, pro eo quod Varronem quotquot annis dicere solitum tradunt:quam Varronis consuetudinem imitatus videtur Horatius illo versu,*

Non si trecentis,quotquot eunt dies,

Amice places illacrymabilem Plutona tauris.

Vestra, *scribendis vobis quasi dicata.* Turpe, *turpiter.* Myrmice. *pari figura formicinum gradum dixit Plautus Menæchmis.* O lutum. *eodem modo seruus quidam in Persa lenonem,lutum lenonium vocat. hac quoque contumelia Cicero in Pisonem vsus est.* Quod si non aliud pote est. *si nihil,inquit, aliud possumus, saltem incutiamus ei ruborem. et si hoc propter ipsius impudentiam difficile erit.* Ferreo. *impudentiam significat, vt apud Aristophanem σιδηρᾶς, ἀνήρ. sic & apud Ouidium,*

-- duri puer oris,& audax.Cicero quoque pro P. *Quintio,eodem sensu,durissimo ore esse eos ait,qui præsente Roscio gestum agere conarentur. Idem valet, quod statim additur,* Canis: *nota enim est eius bestiæ impudentia: vnde & Homericum illud κυνώπης, & Cynicorum appellatio fluxit. sed & apud Terentium Eunucho & canis,& os durum, impudentiam significant; vt pridem in eam fabulam scripsimus.*

IN ACMEN.

SALVE *nec minimo puella naso,*
Nec bello pede,nec nigris ocellis,
Nec longis digitis,nec ore sicco,
Nec sane nimis elegante lingua,

Decoctoris amica Formiani.
Ten' prouincia narrat esse bellam?
Tecum Lesbia nostra comparatur?
O sæclum insipiens, & infacetum,

Salue. *enumerat multa in Acme, quæ parum venusta sint. tum vrbane admodum admiratur, infacetos vsque eò esse homines, vt eam non modo bellam putent, sed etiam cum Lesbia comparare, audeant.* Nec bello pede. *breuitas pedis in puellis laudatur. Ouidius,*

Pes erat exiguus. pedis hæc aptissima forma est.

Contra Vergilius de rustica, - spatiosa prodiga planta. Horatius, De pygis, nasuta, breui latere, ac pede longo. Aristoteles quoque (si eius sunt τὰ φυσιογνωμονικὰ) longum latúmque pedem roboris, breuem mollitiei notam esse affirmat; virísque illum, hunc mulieribus esse aptiorem. Nec nigris ocellis. *nigros oculos antiqui in non minima pulchritudinis laude ponebant. Horatius, Et Lycum nigris oculis, nigróque*
Crine decorum. Idem,
Spectandum nigris oculis, nigróque capillo.

Pindarus Pythijs ἑλικώπιδα *Venerem vocat, Hesiodus Theogonia* ἑλικοβλέφαρον. *Homerus primo Iliados Chryseida* ἑλικώπιδα κούρην, *idémque in hymno Castorum Musas* ἑλικώπιδας *nominat.* Nec longis digitis. *contra Propertius de Cynthia,*

Fulua coma est, longæq; manus, & maxima toto
Corpore, & incedit vel Ioue digna soror.

Nec ore sicco. *significat eam frequenter spuere: quod cum omnibus, tum puellis præcipue indecorum est. sic Iuuenalis nasum siccum vocauit eius mulieris, quæ non sæpe emungeretur.*

IN FVNDVM.

O FVNDE *noster, seu Sabine, seu Tiburs,*
(Nam te esse Tiburtem autumant, quibus non est
Cordi Catullum lædere; at, quibus cordi est,
Quouis Sabinum pignore esse contendunt,)
Sed seu Sabine, siue verius Tiburs,
Fui libenter in tua suburbana
Villa, malámque pectore expuli tussim:
Non immerenti quam mihi meus venter,
Dum sumptuosas appeto, dedit, cenas.
Nam Sextianus dum volo esse conuiua,
Orationem in Actium petitorem
Plenam veneni, & pestilentiæ legit.
Hic me grauedo frigida, & frequens tussis
Quassauit, vsque dum in tuum sinum fugi,
Et me recuraui ocymóque, & vrtica.
Quare refectus maximas tibi grates
Ago, meum quòd non es vltu' peccatum.
Nec iam recuso, si nefaria scripta
Sexti recepso, quin grauedinem, & tussim,
Non mi, sed ipsi Sextio ferat frigus,
Qui tunc vocat me, cum malum legit librum.

O funde noster. *mos antiquis fuit, vbi quid scripserant, conuocare amicos, eisque illud. quidquid erat, recitare, ac ipsorum iudicio subiicere, antequam ederetur. Cum igitur Sextius orationem quandam scripsisset, eámque recitaturus, lautum amicis aliquot conuiuium apparasset; ait Catullus se, sumptuosæ cenæ (sed hoc ioco dictum accipio) cupiditate motum, venisse vna cum reliquis, ibíque, audienda illa oratione, tantum contraxisse frigoris, vt postea necesse habuerit, valetudinis caussa, in suburbanam villam ad dies aliquot*

ſecedere. Agit igitur gratias fundo,in quo priſtinam firmitatem recuperarat; ſeque poſtea nihil tale admiſſurum pollicetur. Seu Sabine, ſeu Tiburs. *erat videlicet fundus hic in vtriuſque regionis confinio; ideóque,vtrius eſſet, ambigebatur.* Nam te eſſe Tiburtem. *Tiburtinæ regionis ſumma amœnitas fuit: ita vt Horatius & nobiliſſimis quibuſque Græciæ ciuitatibus eam anteponat,& alio loco eam ſedem ſenectuti optet ſuæ. itaque magno in pretio erant Tiburtina prædia. quo fit,vt Catullus fundum ſuum dicat ab ijs, qui ſibi gratificari velint, Tiburtem, Sabinum ab alijs nominari. ad dignitatem enim fundi putabat pertinere, vt Tiburs potius, quàm Sabinus, diceretur.* Tiburs. *Tibur à Tiburno nomen accepit. Virgilius,*

Fratris Tiburni dictam cognomine gentem.

quo loco vulgati codices pro, Tiburni, male habent; Tiburti. cum tamen & Seruius Tiburnum agnoſcat; & Pierius in Romano codice, Tiburni, affirmet legi, & Tiburni Priſcianus quoque meminerit.ſed &,cum mihi,odas Horatij Lutetiæ publice interpretanti,Petrus Gallandius, Latinarum literarum profeſſor regius, homo optimus,& eruditiſſimus, Horatium perueterem vtendum dediſſet,eúmque vnà ego,&,flos Galliæ, Adrianus Turnebus euolueremus,animaduertimus in eo locum hunc aperte ita ſcriptum eſſe,

Quàm præceps Anio,& Tiburni lucus,& vda
Mobilibus pomaria riuis.

neque dubitauimus,quin ea vera ſcriptura eſſet: cum tamen in impreſſis omnibus, Tiburti, legatur. Autumant, *dicunt.* Non immerenti quam mihi meus venter. *alij, vertitur mens: alij, verenti mens: alij,*

verti

vertitur mensa: alij, meretur mens. quorum nullum recipi potest. Dionysius Lambinus, homo eruditissimus, mihique summe amicus ait, se vidisse librum, in quo esset, Vorax venter. ego, cum in meo manuscripto reperissem, meus vertet, suspicatus sum, legendum, meus venter. Ocymo. *ita legendum, non, vt in alijs, ocio.* Grates ago. *locutio poetica; qua tamen Cicero sexto de rep. vsus est. Grates, inquit, tibi ago summe Sol. Liuius lib.* V. *plena omnia templa Romanarum matrum, dijs grates agentium, erant.* Deprecor, *recuso.* Recepso. *antique, pro recepero. Virgilius,*

Cetera, quà iusso, mecum manus inferat arma.

poeta quidam vetus apud Ciceronem de officijs,

Quòd ni Palamedis perspicax prudentia
Istiu' percepset malitiosam audaciam. Pacuuius,
Haud sinam quicquam profari, priusquam accepso, quod peto.

Non mi, sed ipsi Sextio. *iocus* παρὰ προσδοκίαν, *Plauto valde vsitatus.*

DE ACME, ET SEPTIMIO.

ACMEN *Septimius, suos amores,*
Tenens in gremio, mea, inquit, Acme,
Ni te perdite amo, atque amare porro
Omneis sum assidue paratus annos,
Quantum qui pote plurimum perire;
Solus in Libya, Indiáque tosta,
Caesio veniam obuius leoni.
Hoc vt dixit, Amor sinistra, vt ante
Dextra, sternuit approbatione.
At Acme leuiter caput reflectens,
Et dulcis pueri ebrios ocellos
Illo, purpureo ore suauiata,

Sic inquit: mea vita Septimille,
Huic vni domino vsque seruiamus,
Vt multo mihi maior, acriórque
Ignis mollibus ardet in medullis.
Hoc vt dixit, Amor sinistra, vt ante
Dextra, sternuit approbatione.
Nunc ab auspicio bono profecti,
Mutuis animis amant, amantur.
Vnus Septimius misellus Acmen
Mauult, quàm Syrias, Britanniásque.
Vno in Septimio fidelis Acme
Facit delicias, libidinésque.
Quis vllos homines beatiores
Vidit? quis Venerem auspicatiorem?

Acmen Septimius. *exponit blanditias, quas sibi inuicem dicebant, faciebántque Septimius, & Acme: eísque εἰρωνευόμενος, nihil esse beatius scribit.* Cæsio à parte totũ, συνεκδοχή. Hoc vt dixit, Amor, sinistra, vt ante Dextra, sternuit approbatione. *cum Septimius ardorem amoris in Acmen sui verbis aperuisset; Cupido, ait Catullus, vtrinque sternuens, quæ ab eo dicta erant, comprobauit.*

Incertũ autem est, ex vtra parte prius sternuisse Amorem dicat. sunt enim, qui ita distinguant,

- Amor sinistra, vt ante
Dextra, sternuit approbatione. *alij ita,*
- sinistra vt ante, Dextra sternuit approbatione.

Porro veteres sternutationem medium quoddam omen esse arbitrabantur, id est, quo modo boni aliquid, modo mali portenderetur: vt annotant interpretes Theocriti in locum illum ex Thalysiis,

Σιμ-

Σιμιχίδᾳ μὲν ἔρωτες ἐπέπταρον, ἦ γὰρ ὁ δειλὸς
Τόσσον ἐρῇ Μυρτοῦς, ὅσον εἴαρος αἶγες ἔρανται.

ſæpius tamen in bonam partem accipiebatur, præcipue ſi dextrorſum quis ſternuiſſet, vt in VII. *Iliados annotat Euſtathius. itaque & Odyſſeæ* XIIII. *Penelope è ſternutatione Telemachi, gaudio perfunditur, quem in locum idem interpres ſatis multa ad hanc rem pertinentia congerit: & apud eum, quem ſupra nominaui, Theocritum in Helenes epithalamio iſta ponuntur:*

Ὄλβιε γάμβρ᾽ ἀγαθός τις ἐπέπταρεν ἐρχομένῳ τοι
Ἐς Σπάρταν. *ſed & illud Propertij non alienum eſt;*
Num tibi naſcenti, primis, mea vita, diebus,
Aridus argutum ſternuit omen Amor?

quem in locum plura dicemus, cum eum poetam interpretabimur. Ab auſpicio bono profecti, *ductis à tam bono auſpicio amoris ſui principijs.* Mutuis animis amant, amantur. *Summa in amore felicitas, inuicem æque amari. eum amorem Plautus cultu optimum vocat.*

Is amabat meretricem natam Athenæ Atticis,
Et ila illum contra: qui eſt amor cultu optimus.

hoc etiam eſt, quod de ſe & puero ſuo Theocritus apud poſteros prædicari optat, fuiſſe videlicet duos homines, qui ſe, æqua veluti lance, mutuo amauerint; fuiſſéque tunc homines plane aureos, cum, qui amaretur, viciſſim amaret.

Ἀλλήλους δ᾽ ἐφίλησαν ἴσῳ ζυγῷ. ἦ ῥα τότ᾽ ἦσαν
Χρύσειοι πάλαι ἄνδρες, ὅκ᾽ ἀντεφίλησ᾽ ὁ φιληθείς.

Huc pertinet & illud Bionis,

-καλὸν δ᾽ ἔτ᾽ ἐρασσαμένῳ συνερᾶσθαι.

AD

AD SEIPSVM DE ADVENTV VERIS.

IAM *ver egelidos refert tepores,*
Iam cœli furor, æquinoctialis
Iucundis Zephyri silescit auris.
Linquantur Phrygij Catulle campi,
Nicæáque ager vber æstuosæ:
Ad claras Asiæ volum us vrbes.
Iam mens prætrepidans auet vagari:
Iam læti studio pedes vigescunt.
O dulces comitum valete cœtus,
Longe quos simul à domo profectos,
Diuersos variæ viæ reportant.

Iam ver. *carmen hoc in Bithynia factum esse opinor; cum illuc Memmium prætorem secutus esset.* Egelidos tepores, *moderates illos calores, quorum fotu omnia vegetantur. Egelidum est tepidum, vt in illo optimo, sed in multis libris deprauato, Ouidij versu,*

Et gelidum Borean, egelidúmque Notum.

Cæli furor, *horrificus ille stridor ventorum tumultuantium.* Aequinoctialis Zephyri. *sub vernum æquinoctium flantis.* Nicææ. *vrbs est Bithyniæ, quæ olim ab insigni agri vbertate Olbia dicebatur. qui eam Prusiada vocant, errant videlicet de male intellectis, deprauatísque Plinij verbis.* Ad claras Asiæ volemus vrbes. *Troiam, inter ceteras; quo ad inferias fratri soluendas profectus est.*

AD PORCIVM, ET SOCRATIONEM.

PORCI, *& Socration, duæ sinistræ*
Pisonis scabies, faméque mundi,
Vos Veranniolo meo, & Fabullo
Verpus præposuit Priapus ille.

Vos

Vos conuiuia lauta sumptuosè
De die facitis, mei sodales
Quærunt in triuio vocationes.

Porci, & Socration. *indignatur, Porcio, & Socrationi Verannium & Fabullum à Pisone posthaberi. Socrationis nomen Græcum est, non Romanum. forsitan liberti alicuius nomen fuerit.* Pisonis scabies, *qui Pisoni prurientem illum libidinis ardorem excitatis.* Famésque mundi. *in alijs faméſque Memmi.* Priapus, *libidinosus, qualis Priapus à poetis fingitur.* Lauta. *Lautitia, ait Festus, epularum magnificentia *alij à lauatione dictum putant: quia apud antiquos hæ elegantiæ, quæ nunc sunt, non erant, & raro aliquis lauabatur. Cogitandum autem, num in illis Festi verbis tale aliquid desit, à Græco λαύζω: vt prius Græcam, postea Latinam eius verbi originem tradat. qui manuscriptos libros habent, de hac mea coniectura iudicabunt. Quoniam autem verba quædam Phauorini leguntur apud Gellium, quibus mirifice aperitur, quod lautum conuiuium veteres dixerint, ea quoque ipsa ascribam. Præfecti popinæ, atque luxuriæ negant cenam lautam esse, nisi, cum libentissime edis, tum auferatur, & alia esca melior, atque amplior succenturietur. is nunc flos cenæ habetur inter istos. quibus sumptus & fastidium pro facetijs procedit; qui negant vllam auem, præter ficedulam, totam comesse oportere: ceterarum auium, atque altilium nisi tantum apponatur, vt à cluniculis inferiori parte saturi fiant; conuiuium putāt inopia sordere: superiorē partem auium atque altilium qui edint, eos palatum non habere: si pro portione crescit luxuria, debere & epulas crescere. Videte, quid relinquitur, nisi vt delibari sibi cenas iubeant, ne edendo defatigen-*

fatigentur: quando stratus auro, argento, purpura amplior aliquot hominibus, quàm dijs immortalibus adornatur. De die. *de nocte, quàm de die, indulgere Genio, tolerabilius habebatur: diem enim agēdis rebus, noctem curandis corporibus, hilarandóque animo impendi volebant. itaque Catonem quoque ipsum largius se ac prolixius de nocte inuitare solitum accepimus. quo nomine cum à quodam reprehenderetur; Cicero, qui tum forte aderat, debueras, inquit, illud adijcere, eum totos dies aleam ludere: cum illud videlicet ex contrario indicaret, homini, qui totos dies susceptis pro republica curis laboribúsq; traduceret, noctem liberam concedi oportere.* Quærunt in triuio vocationes. *stant in triuijs expectantes, dum se aliquis ad cenam vocet. vocare, antiqui sæpe sine vlla adiectione dicebant, cum, ad cenam, subintelligerent. Catullus ipse supra, Qui tūc vocat me, cum malum legit librum. Parasitus quidā apud Plautum Sticho,*

Negare nulli soleo, si quis me vocat. *quo loco male quidam libri habent, esum vocat, contra veterum librorum fidem, & rationem metri. Vocatores quoque nominabant seruos, quorum opera in vocandis conuiuis vterentur. Quod in quibusdam libris, vorationes, legitur, operarum vitio factum est, non quòd quisquam locum ita immutandum putarit.*

AD IVVENTIVM.

MELLITOS *oculos tuos, Iuuenti,*
Si quis me sinat vsque basiare;
Vsque ad millia basiem trecenta:
Nec vnquam saturum inde cor futurum est,
Non si densior aridis aristis
Sic nostra seges osculationis.

Melli

Mellitos. *nemine͂m fore arbitror, qui non potius horum versuum suauitatem admiraretur, quàm cuiusquam in eis explicandis industriam requirat.*

AD M. TVLLIVM.

DISERTISSIME *Romuli nepotum,*
Quot sunt, quótque fuere, Marce Tulli,
Quótque post alijs erunt in annis,
Gratias tibi maximas Catullus
Agit, pessimus omnium poeta,
Tanto pessimus omnium poeta,
Quanto tu optimus omnium patronus.

Disertissime. *agit gratias* M. *Tullio; quod ob beneficium ab eo acceptum, diuinare non possumus. nam, qui ad fundum Tiburtem hoc loco confugiunt, nihil aliud, quàm inscitiam patefaciunt suam.*

AD LICINIVM.

HESTERNO, *Licini, die ociosi,*
Multum lusimus in meis tabellis,
Vt conuenerat esse: delicatos
Scribens versiculos vterque nostrum,
Ludebat numero modo hoc, modo illoc,
Reddens mutua per iocum, atque vinum.
Atque illinc abij tuo lepore
Incensus Licini, facetiísque,
Vt nec me miserum cibus iuuaret,
Nec somnus tegeret quiete ocellos;
Sed toto indomitus furore lecto
Versarer, cupiens videre lucem,
Vt tecum loquerer, simúlque vt essem.
At defessa labore membra postquam
Semimortua lectulo iacebant,

Hoc

Hoc iucunde tibi poema feci,
Ex quo perspiceres meum dolorem.
Nunc audax caue sis, precésque nostras,
Oramus, caue despuas ocelle,
Ne pœnas Nemesis reposcat à te.
Est vehemens dea, lædere hanc caueto.

Hesterno. *epigramma hoc est ad Caluum, de quo supra egimus.* Vt conuenerat esse. *vbi vterque nostrum ad cenam condixerat. Esse enim hoc loco expono, cibum capere.* Nec somnus tegeret quiete ocellos. *hac locutione infra quoque vsus est, Piger iis, labante langore, oculos sopor operit.* Semimortua, *propter illam mentis agitationem, dormiendique difficultatem.* Poema. *Varro Parmenone, Poema est* λέξις ἔνρυθμος, *id est, verba plura modice in quandam coniecta formam. itaque etiam distichon, epigrammation, vocant poema. Poesis est perpetuum argumentum è rhythmis, vt Ilias Homeri, & annales Ennij. Poetice est ars earum rerum.* Despuas, *contemnas.* Ocelle, *ita sæpe vocabant eos, quibus blandiebantur. exempla apud Plautum satis creba sunt.* Nemesis. *hæc enim dea fastum & arrogantiam punire credebatur.*

AD LESBIAM.

ILLE *mi par esse deo videtur,*
Ille, si fas est, superare diuos,
Qui sedens aduersus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omneis
Eripit sensus mihi, nam, simul te
Lesbia aspexi, nihil est super mi
*

Lingua

Lingua sed torpet, tenuis sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tinniunt aures, gemina teguntur
Lumina nocte.
Ocium Catulle tibi molestum est:
Ocio exultas, nimiúmque gestis.
Ocium & reges prius, & beatas
Perdidit urbes.

Ille mi par esse. *beatum esse ait, quicunque Lesbiæ aspectu, & alloquio frui possit. post castigat se ipsum, affirmans, tales cogitationes non nisi ex ocio nasci: additque grauem sententiam; ocium multis regibus, multisque urbibus exitij caussam fuisse. Secundæ strophes vltimus versus desideratur. is autem qui vulgo legitur,* Quod loquar amens, *non Catulli est, sed Parthenij: ideóque eum sustulimus.*

hoc enim perpetuo tenere decreuimus, vt ne quid alienum veterum scriptis scientes admisceamus. alioqui enim reijciendus ille versiculus non erat; cum ad sententiam mirifice quadret. Libet autem hoc potissimum loco singularem gratiam inire ab ijs omnibus, qui antiquitatis studio, & delicatorum versuum suauitate capiuntur. Etenim, cum Dionysij Longini libellum περὶ ὕψους, *qui nondum à quoquam editus est, hortante eodem, qui me ad hæc scribenda impulit, singularis doctrinæ, eximiæq; virtutis viro, Paulo Manutio, Latine interpretari cœpissem, vt eodem tempore optimus liber & Græcus, & mea opera Latinus factus ederetur; cum alia in eo sane plurima deprehendi digna, propter quæ liber ipse communi omnium elegantium hominum desiderio expetatur, tum oden suauissimam poetriæ Sapphus, quam ijs, qui proxime antecesserunt, versibus*

maxima ex parte Catullus expressit. quis autem est, duntaxat eorum, qui aliquem literarum, atque humanitatis sensum habent, qui non summam voluptatem capiat, mulieris in hoc genere longe post homines natos præstantissimæ, & poetæ Latinorum omnium mollissimi versibus inuicem comparandis? eam autem oden, cum locis aliquot deprauata esset, versúsque ipsi permisti, cōfusiq́; inuicem essent, iam ante, quàm liber in meas manus veniret, emendauerat, distinxerátque homo & Latinarum & Græcarum literarum cognitione excellēs, Franciscus Portus, qui idem cum in aliis optimis vtriusque linguæ scriptoribus, tum in Aeschylo multa felicissime emendauit, quæ adhuc in omnibus impressis libris deprauata circumferuntur. eum igitur merita laude fraudare nolui. Sed iam neminem esse arbitror, qui non decimam illam Musam audire gestiat.

φαίνεταί μοι κεῖνος ἴσος θεοῖσιν
ἔμμεν' ἀνὴρ, ὅς τις ἐναντίον τοι.
ἰζάνει, καὶ πλασίον ἁδὺ φωνού-
σας ὑπακούει.
καὶ γελώσας ἱμερόεν, τό, μοι τὰν
καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν.
ὡς ἴδον σε. βρόγχον ἐμοὶ γὰρ αὐδᾶς
οὐδέν ἔθ' ἥκει.
ἀλλὰ καμμὲν γλῶσσ' ἔαγ', ἂν δὲ λεπτὸν
αὐτίκα χρῶ πῦρ ὑποδεδρόμακεν.
ὀμμάτεσσιν δ' οὐδὲν ὅρημι: βομβεῦ-
σιν δ' ἄκουαί μοι:
κὰδ δ' ἱδρὼς ψυχρὸς χέεται: τρόμος δὲ
πᾶσαν ἄγρει: χλωροτέρη δὲ ποίας
ἐμμί: τεθνᾶναι δ' ὀλίγω δέουσα
φαίνομαι ἄπνους.

AD

AD SE IPSVM DE STRVMA, ET VATINIO.

QVID est Catulle, quod moraris emori?
Sella in curuli Struma Nonius sedet:
Per consulatum peierat Vatinius.
Quid est Catulle quod moraris emori?

Quid est Catulle? *secum indignatur, homines indignissimos, Nonium cognomento Strumam, & Vatinium, illum quidem ad aedilitatem, praturámve (non enim memini quidquam hac de re certi proditum esse) illum etiam ad consulatum peruenisse: idque ita iniquo animo fert, vt nihil sibi caussae esse dicat, cur non à vita potius recedat, quàm vt ista spectacula videat.* Per consulatum. *solebant enim per ea iurare, quae carissima haberent.* Peierat. *per consulatum iurare intolerabilis arrogantiae esset: at in peierando etiam aliud flagitium est. Fuit autem* P. *Vatinius consul vna cum* Q. *Fusio Caleno: valdéque errant hoc loco omnes interpretes, qui, quae de Caninij consulatu dicta sunt, ea ad Vatinium referunt. sed erroris sui ducem atque auctorem habent Macrobium, qui, in percensendis Ciceronis iocis, Vatinium vbique pro Caninio nominat: si tamen impressi libri vacant mendo.*

DE QVODAM, ET CALVO.

RISI nescio quem modo in corona,
Qui, cum mirifice Vatiniana
Meus crimina Caluus explicasset,
Admirans ait haec, manúsque tollens,
Dij magni salicippium disertum.

Risi nescio quem. *Caluus exiguae staturae fuit, sed acer & vehemẽs in dicendo. is in controuersia quadam, ne propter corporis paruitatem minus conspicuus esset,*

imponi se supra cippum iusserat; vt est apud Senecam. Ait igitur Catullus valde risisse se, quod, cum Caluus mira orationis vehementia in Vatinium dixisset, quidam è corona, admiratus in tantulo corpusculo tantam eloquentiæ vim latere, sublatis manibus, Di magni, dixerit, salicippium disertum; respiciens videlicet ad id, quod paulo ante narrauimus. Ridendi autem occasionem cepit poeta ex eleganti nouitate vocis, quam ille, quisquis fuit, à saliendo in cippum, vrbane admodum, venustéque confinxerat. Cum autem alij monstra quædam vocabulorum in hunc locum inuexissent, eaq; barbare, & insulse interpretati essent; primus Paulus Manutius animaduertit, & hic, & apud Senecam, salicippium, eo quo diximus sensu, legi oportere. In corona. *ita vocabant multitudinem, quæ in forum confluebat. Cicero. Non enim corona consessus vester cinctus est, vt solebat.* Vatiniana crimina. *ex oratione Calui in Vatinium, citat hæc verba Seneca libro* XVI. *epistolarum. Factum esse ambitum scitis: & hoc vos scire, omnes sciunt.* Manúsque tollens. *gestus admirantium. Cicero ad Cæsarem, Sustulimus manus & ego, & Balbus. tanta fuit opportunitas, vt illud nescio quid non fortuitum, sed diuinum videretur. & in Academicis, Hortensius autem vehementer admirans: quod quidem perpetuo, Lucullo loquente, fecerat, vt etiam manus sæpe tolleret.*

*

* *Othonis caput oppido est pusillum.*
* *Heri rustice semilauta crura*
* *Subtile, & leue peditum Libonis*
* *Sed non omnia displicere vellem*
* *Tibi, & Suffetio seni recocto.*

** Irascere iterum meis iambis*
** Immerentibus vnice imperator.*
Othonis caput. *hos quidem versus, nisi sibylla, vt ille ait apud Plautum Pseudolus, legerit, interpretari alium posse reor neminem.*
omnino constat, fragmenta esse diuersorum epigrammatum, sed ita lacera, vt non sperem vnquam intellectum iri. vetat autem Hippocrates, desperatis adhibere medicinam.

AD CAMERIVM.

ORAMVS, *si forte non molestum est,*
Demonstres vbi sint tuæ latebræ.
Te quæsiuimus in minore campo,
Te in circo, te in omnibus tabernis,
Te in templo supero Ioui sacrato,
In Magni simul ambulatione.
Femellas omnes amice prendi,
Quas vultu vidi tamen serenas.
Has te sic tantum ipse flagitabam,
Camerium mihi pessimæ puellæ.
Quædam, inquit, nitidum sinum reducens,
En hic in roseis latet papillis.
Non custos si fingar ille Cretum,
Non si Ladas, pennipésve Perseus,
Non si Pegaseo ferar volatu,
Non Rhesi niueis, citisque bigis.
Adde huc plumipedas, volatilésque,
Ventorúmque simul require cursum,
Quos iunctos Cameri mihi dicaris,
Defessus tamen omnibus medullis,
Et multis langoribus peresus
Essem, te mihi amice quæritando.

Sed, te quærere iam Herculis labos est.
Tanto ten' fastu negas amice?
Dic nobis vbi sis futurus, ede
Audacter, comiti licenter ede:
Num te lacteola tenent puellæ?
Si linguam clauso tenes in ore;
Fructus proÿcies amoris omnes.
Verbosa gaudet Venus loquela.
Vel, si vis, licet obsceres palatum,
Dum vestri sim ego particeps amoris.

Oramus. *exponit, quantopere se, quærendo Camerio, defatigauerit; rogátque eum, tum vt, vbi sit futurus, indicet, tum vt amores detegat suos. In magna autem parte horum versuum spondæus secundo loco ponitur: quod cum quibusdam videretur absurdum, discessum est à veterum librorum fide, variéque mutata quãplurima. ego veterem scripturam, quantum in me fuit, reposui.* In minore campo, *qui ad campum Martium fuisse dicitur.* In circo. *circum maximum intellige.* Te in *litera e non eliditur.* Omnibus tabernis, *quæ in foro dispositæ erant.* In templo. *Capitolium dicit.* In Magni simul ambulatione, *in porticu Pompeiana.* Femellas. *iocose. Sciebam te magnum esse affectatorem feminarum, in quibus aliqua esset formæ elegantia. itaque ex eiusmodi omnibus de te percontabar.* Sic tantum, *nulla longiore vtens oratione, quoniam videlicet te videre properabam.* Camerium mihi. *indicate, subintelligendum.* Quædam, *illudens mihi, simúlque occasionem quærens, qua mihi pectoris sui candorem & pulchritudinem ostenderet.* Non custos si fingar ille Cretum, *non si Dædalus fiam. custodem autem Cretum*

tum vocat, quòd ei Minos proficiscens aduersus Athenienses, regni custodiam commiserit. ita enim à quibusdam, sed non valde idoneis auctoribus, traditum est. an potius Talum dicit? hunc enim tantæ celeritatis fuisse aiunt, vt totam Cretam vno die pedibus obiret. quod tamen equidem nusquam adhuc reperire potui, nisi apud eos, qui ita hunc Catulli locum interpretantur. ego, quæ de Talo apud scriptores ἀξιολόγους *comperi, afferam: deinde suum cuique iudicium relinquã. Hũc igitur toto corpore æreum fuisse accepimus, præter tuberculum quoddam in imo calcaneo, tenui membranula tectum; qua dirupta, mors ei fataliter constituta esset. hunc Iuppiter rapta Europa, & in Cretam abducta dono dedit, qui insulæ custos foret, térque totam insulam obiret: die, an mense, an anno, nihil diserte ab Apollonio expressum est, quo loco narrat, quem in modum hic Argonautas, à Colchica expeditione redeuntes, ne in Cretam, vt volebant, appellerent, prohibuerit. eius è libro quarto hæc sunt.*

Τοὺς δὲ Τάλως χάλκειος ἀπὸ στιβαροῦ σκοπέλοιο
Ῥηγνύμενος πέτρας, εἶργε χθονὶ πείσματ᾽ ἀνάψαι,
Δικταίην ὅρμοιο κατερχομένους ἐπ᾽ ἰωγήν.
Τὸν μὲν χαλκείης μελιηγενέων ἀνθρώπων
Ῥίζης λοιπὸν ἐόντα μετ᾽ ἀνδράσιν ἡμιθέοισιν
Εὐρώπῃ Κρονίδης νήσου πόρεν ἔμμεναι οὖρον,
Τρὶς περὶ χαλκείοις Κρήτην ποσὶ δινεύοντα. *id est,*

Aereus hosce Talus lapides è monte reuulsos
Proyciens, vetuit terræ religare rudentes,
Ostia cum cursu peterent Dictæa citato.
Iuppiter hunc, reliquum ex hominum arboribus natorũ
Aerea progenie, cum semideum comitatu,
Custodem Europæ dederat, qui littora Cretæ

Ter, quàm longa forent, pedibus lustraret ahenis.

ÿs autem, qui consequuntur, versibus, qua illum arte Medea interfecerit, exponitur. In Orphei quoq; Argonauticis hæc de eo leguntur.

Ὅσσα τ᾽ ἄρ ἐν Κρήτῃ πάθον ἄλγεα τετληῶτες,
Χάλκειον τριγίγαντα διοκεύμενοι. ὄφρ᾽ ἱκόμεσθα,
Ὅς ῥά σφ᾽ οὐκ εἴα λιμένων ἔντοσθεν ἱκέσθαι.

Quid memorē, ad Cretā quot dura & acerba tulerunt,
E solido vastum spectantes ære gigantem,
Illos qui optato vetuit succedere portu?

meminit eius & Lucianus in φιλοψευδεῖ, *his verbis.* Ὅρα τοίνυν, ἣν δ᾽ ἐγὼ, μὴ οὐχὶ Πέλιχος ὁ ἀνδριὰς, ἀλλὰ Τάλως ὁ Κρὴς ὁ τοῦ Μίνωος ᾖ. καὶ γὰρ ἐκεῖνος χαλκοῦς τις ἦν, τῆς Κρήτης περίπολος. *Eustathius in vicesimum Odysseæ narrat, eum mira quadam ratione solitum enecare hospites, qui in Cretam appulissent. desiliebat enim in ignem: (poterat autem id impune facere, cum æneus esset) ibique ita se concalefaciebat, vt canderet. comprehensos igitur hospites, & pectori suo admotos, ridens ipse, exurebat. etsi Eustathius, non hunc, sed alium quendam, quem Vulcanus fabricatus esset, Europæ custodem datum, innuere videtur. Plato in Minoe narrat, duos affuisse Minoi, quibus ipse ad legum custodiam vteretur, Rhadamanthum, & Talum; quorum illi res vrbanas, huic ceteram Cretam curæ fuisse. Talum itaque solitum ter quotannis obire omnes Cretensis agri pagos, ferentem secum leges in æs incisas: vnde datam fabulæ occasionem, vt æneus diceretur. Fuerunt & alÿ hoc nomine: sed nihil ad eum, in quo nunc versamur, locum.* Non si Ladas. *Solinus, Primam palmam velocitatis Ladas quidam adeptus est, qui ita supra cauum pulucrem cursitauit,*

tauit, vt, arenis pendentibus, nulla indicia relinqueret vestigiorum. *Pausanias Corinthiacis*, τοῦ ναοῦ δέ ἐστιν ἐντὸς λάδας, ποδῶν ὠκύτητι ὑπερβαλόμενος τοὺς ἐφ' αὐτοῦ. *loquitur autem de templo Apollinis Ly*[cij]. *Idem Laconicis*, προελθόντι δὲ αὐτόθεν σταδίους εἴκοσι, τοῦ εὐρώτα τὸ ῥεῦμα ἐγγυτάτω τῆς ὁδοῦ γίνεται, καὶ λάδα μνῆμά ἐστιν ὠκύτητι ὑπερβαλομένου ποδῶν τοὺς ἐφ' αὐτοῦ. καὶ δὴ καὶ ὀλυμπιάσιν ἐστεφανοῦτο δολιχῷ κρατῶν. δοκεῖ δέ μοι, κάμνων αὐτίκα μετὰ τὴν νίκην ἐκομίζετο, καὶ συμβάσης ἐνταῦθά οἱ τελευτῆς, ὁ τάφος ἐστὶν ὑπὲρ τὴν λεωφόρον. *meminit & in Arcadicis. sed & Martialis,*

Habeas, licebit, alterum pedem Ladae;
Inepte, frustra crure ligneo curres.

nominat eum & Cornificius libro quarto ad Herennium. Perseus. *de hoc multa Ouidius, multa Hyginus; longe plurima autem interpres Apollonij in quartum Argonauticorum. Multa etiam Pausanias in Corinthiacis.* Non si Pegaseo. *Pegasi fabula notior est, quàm vt hoc loco explicari debeat.* Non Rhesi. *fabula est apud Homerum Iliados* κ. Niueis citísque. *Homerus,*

Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

Virgilius vtrunque complexus est, cum equos illos ardentes vocauit. Bigis. *equos ipsos ad currum iunctos significat. Deficit autem hoc loco oratio, si animaduertas: est enim sensus: Si hæc omnia vera essent, non tamen tantum itineris sine lassitudine obire possem. Talia exẽpla satis multa in antiquis scriptoribus reperiri queunt.* Plumipedas, volatiléſque. *admonent, & recte, omnes Catulliani interpretes, versum hunc non de auibus solum, sed etiam de Zethe, & Calai, Boreæ filijs,*

intelligendum esse. fabulam narrant Apollonius lib. secundo, & Valerius Flaccus libro quarto Argonauticon. meminit & Pindarus Pythijs. Quos iunctos, *quorum omnium coniunctam celeritatem.* Mihi dicaris, *mihi dederis. Virgilius,*

--propriámque dicabo.

& in tribus verbis praetoris, Do, dico, addico: est enim à dicando, non à dicẽdo: quod nostri iurisconsulti parum intelligere videntur. Quaeritando. *antiquum verbum. Plautus Menachmis,*

Hodie in Epidamnum venit cum seruo suo,
Hunc quaeritatum geminum germanum suum.

Si linguam. *si amores tuos mihi celare perges, priuabis te gaudiorum tuorum longe maximo fructu. crescunt enim gaudia, quae cum amicis communicantur. Tibullus tamen,*

Qui sapit, inquit, in tacito gaudeat ille sinu.

Verbosa gaudet. *contra Tibullus,*

-celari vult sua furta Venus. Vel si vis. *si vis, inquit, per me licet, alios omnes celatos habeas, dum vnus ego sim tuarum voluptatum conscius.*

AD CATONEM.

O REM *ridiculam Cato, & iocosam,*
Dignámque auribus, & tuo cachinno.
Ride, quidquid amas Cato Catullum.
Res est ridicula, & nimis iocosa.
Deprendi modo pupulum puellae
Trusantem: hunc ego, si placet Dionae,
Pro telo rigida mea cecidi.

O rem ridiculam. *ad quem è Catonibus scriptum hoc carmen fuerit, sciri posse non puto. neque vero magni interest. hoc modo teneatur, ad eum, qui se Vticae interfe-*

cit

cit, non pertinere, neque enim, vt cetera omittam, suspicio hæc in illius seueritatem cadit. Trusantem, *siculam suam in puellæ vaginam intrudere molientem.* Dionæ, *Veneri, aut Veneris matri.* Pro telo. *simile quiddam narrat Appuleius libro* I X. *de pistore, qui puerum formosum cum vxore deprehenderat.*

IN MAMVRRAM, ET CAESAREM.

PVLCHRE *conuenit improbis cinædis*
Mamurræ pathicóque, Cæsarique.
Nec mirum: maculæ pares vtrisque,
Vrbana altera, & illa Formiana,
Impressæ resident, nec eluentur.
Morbosi pariter, gemelli vtrique,
Vno in ludulo eruditulí ambo.
Non hic, quàm ille, magis vorax adulter,
Riuales socij & puellularum.
Pulchre conuenit improbis cinædis.

Pulchre conuenit. *Cæsaris & Mamurræ amicitiam exagitat, affirmans eam non aliunde, quàm ex vitiorum similitudine, conglutinatam.* Vrbana altera, & illa Formiana. *fortasse, quod Cæsar in vrbe, Mamurra Formiis ætatis suæ teneritudinem alienæ libidini prostituerit.*

AD COELIVM DE LESBIA.

COELI *Lesbia nostra, Lesbia illa,*
Illa Lesbia, quam Catullus vnam
Plus, quàm se, atque suos amauit omnes,
Nunc in quadriuijs, & angiportis,
Glubit magnanimos Remi nepotes.

Cœli

Cœli. *memoriæ proditum ab Appuleio est, puellam, quæ in amoribus ac delicijs huic poetæ fuit, quámque ipse Lesbiam nominauerit, Clodiam illam,* P. *Clodij sororem, fuisse; cuius à fratre primum delibata pudicitia vniuersæ postea iuuentutis Romanæ libidini exposita prostitit. Eius igitur consuetudine cum* M. *Cœlius diu, multúmque vsus fuerit; assentior eruditissimo homini, Victorio, qui carmen hoc ad* M. *Cœlium refert.* Glubit. *ad Veneream turpitudinem potius, quàm ad fortunarum spoliationem, referri puto.* Magnanimos. *ex contrario intelligendum.*

DE RVFA.

BONONIENSIS *Rufa Rufulum fellat*
Vxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis, ipso carpere è rogo cenam,
Cum deuolutum ex igne prosequens panem,
A semiraso tunderetur vstore.

Bononiensis Rufa. *Rufam quandam, vt mendicam, & vt fellatricem, notat.* Ipso carpere è rogo cenam. *epulas in rogum conijcere solebant: locúmque, in quo illæ comburerentur, culinam vocabant. auctor Festus. Extremæ autem mendicitatis signum est, quod hic affert poeta. & tale est illud Terentij,*
E flamma te cibum petere posse arbitror. Semiraso, *ex igne.*

*

NVM *te leæna montibus Libyssinis,*
Aut Scylla latrans infima inguinum parte,
Tam mente dura procreauit, ac tetra,
Vt supplicis vocem in nouissimo casu
Contemptam haberes? ah nimis fero corde.

Num te leæna. *ad quem scribatur hoc carmen, sciri non*

non potest.sed & fragmẽtum potius esse, quàm epigramma integrum, existimo.

IN NVPTIAS IVLIAE ET MANLII.

COLLIS ò Heliconij
  Cultor, Vraniæ genus,
  Qui rapis teneram ad virum
  Virginem, o Hymenæe Hymen,
  Hymen o Hymenæe.
Cinge tempora floribus
  Suaue olentis amaraci.
  Flammeum cape. lætus huc
  Huc veni, niueo gerens
  Luteum pede soccum:
Excitúsque hilari die,
  Nuptialia concinens
  Voce carmina tinnula,
  Pelle humum pedibus, manu
  Spineam quate tædam.
Nanque Iulia Manlio,
  Qualis Idalium colens
  Venit ad Phrygium Venus
  Iudicem, bona cum bona
  Nubit alite virgo.
Floridis velut enitens
  Myrtus Asia ramulis,
  Quos Hamadryades deæ
  Ludicrum sibi roscido
  Nutriunt humore.
Quare age huc aditum ferens
  Perge linquere Thespiæ
  Rupis Aonio specus,

Nympha

Nympha quos super irrigat
Frigerans Aganippe;
Ac domum dominam voca
Coniugis cupidam noui,
Mentem amore reuinciens,
Vt tenax edera hac,& hac
Arborem implicat errans.
Vos item simul integræ
Virgines,quibus aduenit
Par dies,agite,in modum
Dicite,o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenææ:
Vt lubentius audiens,
Se citarier ad suum
Munus, huc aditum ferat,
Dux bona Veneris, boni
Coniugator amoris.
Quis deus magis optimis
Expetendus amantibus?
Quem colant homines magis
Cælitum?o Hymenæe Hymen,
Hyemen o Hymenææ.
Te suis tremulus parens
Inuocat:tibi virgines
Zonula soluunt sinus:
Te timent:cupida nouos
Captat aure maritos.
Tu fero iuueni in manus
Floridam ipse puellulam
Matris è gremio suæ
Dedis,o Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenææ.

Nil potest sine te Venus,
Fama quod bona comprobet,
Commodi capere:at potest
Te volente.quis huic deo
Compararier ausit?
Nulla quit sine te domus
Liberos dare,nec parens
Stirpe dicier:at potest
Te volente:quis huic deo
Compararier ausit?
Quæ tuis careat sacris,
Non queat dare præsides
Terra finibus:at queat
Te volente.quis huic deo
Compararier ausit?
Claustra pandite ianuæ.
Virgo adest. viden' vt faces
Splendidas quatiunt comas?
Sed moraris.abit dies.
Prodeas noua nupta.
Tardat ingenuus pudor,
Quom tamen magis audiens
Flet,quòd ire necesse sit.
Sed moraris.abit dies.
Prodeas noua nupta.
Flere desine:non tibi
**Herculeia periculum est,*
Ne qua femina pulchrior
Clarum ab Oceano diem
Viderit venientem.
Talis in vario solet
Diuitis domini hortulo

Stare

Stare flos hyacinthinus.
Sed moraris.abit dies.
Prodeas noua nupta.
Prodeas noua nupta,si
Iam videtur,& audias
Nostra verba.viden'? faces
Aureas quatiunt comas.
Prodeas noua nupta.
Non tuus leuis in mala
Deditus vir adultera,
Probra turpia persequens,
A' tuis teneris volet
Secubare papillis:
Lenta quin velut assitas
Vitis implicat arbores,
Implicabitur in tuum
Complexum.sed abit dies.
Prodeas noua nupta.
O cubile.quot omina
Candido pede lectulis,
Quæ tibi veniunt bona.
Gaudeas.sed abit dies.
Prodeas noua nupta.
Quæ tuo veniunt hero,
Quanta gaudia,quæ vaga
Nocte,quæ medio die
Gaudeas,sed abit dies.
Prodeas noua nupta.
Tollite ò pueri faces:
Flammeum videor videre.
Ite,concinite in modum,
O Hymen Hymenæe Hymen

Hymen o Hymenae.
Neu diu taceat procax
Fescennina locutio:
Neu nuces pueris neget
Desertum domini audiens
Concubinus amorem.
Da nuces pueris iners
Concubine: satis diu
Lusisti nucibus: lubet
Iam seruire Thalassio.
Concubine nuces da.
Sordebant tibi villicæ
Concubine hodie, atque heri.
Nunc tuum cinerarius
Tondet os. miser ah miser
Concubine nuces da.
Diceris male te à tuis
Unguentate glabris marite
Abstinere: sed abstine.
O Hymen Hymenae Hymen,
Hymen o Hymenae.
Scimus, hæc tibi, quæ licent
Sola cognita: sed marito
Ista non eadem licent.
O Hymen Hymenae Hymen,
Hymen o Hymenae.
Nupta tu quoque, quæ tuus
Vir petet, caue ne neges,
Ne petitum aliunde eat.
O Hymen Hymenae Hymen,
Hymen o Hymenae.
En tibi domus & potens,

Et beata viri tui,
Quæ tibi, sine, seruiat.
O Hymen Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Vsque dum tremulum mouens
Cana tempus anilitas
Omnia omnibus annuit.
O Hymen Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Transfer omine cum bono
Limen aureolos pedes,
Rasilémque subi forem.
O Hymen Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Aspice, vnus vt accubans
Vir tuus Tyrio in thoro,
Totus immineat tibi.
O Hymen Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Ille non minus, atque tu,
Pectore vritur intimo,
Flamma sed penita magis.
Hymen o Hymenæe Hymen,
O Hymen Hymenæe.
Mitte brachiolum teres
Prætextate puellula;
Iam cubile adeat viri.
O Hymen Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Vos vnis senibus bonæ
Cognitæ bene feminæ
Collocate puellulam.

O Hymen Hymenæe Hymen,
Hymen o Hymenæe.
Iam licet venias marite:
Vxor in thalamo est tibi
Ore floridulo nitens,
Alba parthenice velut,
Luteúmve papauer.
Non diu remoratus es.
Iam venis.bona te Venus
Iuuerit,quoniam palam
Quod cupis,capis,& bonum
Non abscondis amorem.
At marita tuum tamen
Celites,nihilo minus
Pulchra res:neque te Venus
Negligit.sed abit dies.
Perge,ne remorare.
Ille puluis Erythrei,
Siderúmque micantium
Subducat numerum prius,
Qui vestri numerare vult
Multa millia lusus.
Ludite,vt lubet,& breui
Liberos date. non decet
Tam vetus sine liberis
Nomen esse,sed indidem
Semper ingenerari.
Torquatus,volo,paruulus
Matris è gremio suæ
Porrigens teneras manus,
Dulce rideat ad patrem,
Sed micante labello.

Sit suo similis patri
Manlio, & facile inscijs
Noscitetur ab omnibus,
Et pudicitiam suæ
Matris indicet ore.
Talis illius à bona
Matre laus genus approbet,
Qualis vnica ab optima
Matre Telemacho manet
Fama Penelopæo.
Claudite ostia virgines.
Lusimus satis. at boni
Coniuges bene viuite, &
Munere assiduo valentem
Exercete iuuentam.

Collis o Heliconij. *Manlij, puto, eius, ad quem infra elegiam scribit, & Iuliæ nuptias ode elegantissima celebrat, eisque à dijs immortalibus fausta omnia precatur. Est autem hoc carmen quidem nuptiale, neque tamen proprie epithalamium. nam epithalamia canebantur à virginibus, cum iam noua nupta in lecto viri collocata esset; vt, eo primum illud prælium committente, effringentéque illud virginei pudoris veluti vallum, clamor, qui non nunquam à virginibus in eo conflictu edi solet, exaudiri non posset. in quem vsum etiam nuces pueris spargi solebant; quibus illi colligendis intenti, tumultu & strepitu omnia implerent. At hoc versu & puellæ ipsæ admonentur, vt canant; & tota nuptialis pompa describitur, vt, quemadmodum ante dixi, epithalamium esse vix possit: nisi quis, epithalamij nomine latius accepto, omne nuptiale carmen significari putet. Principio igitur Hymenæum,* deum

deum nuptiarum præsidem, inuocat; eúmque orat, vt his nuptijs felix ac propitius assit. Quæ de Hymenæo traduntur, quia peruulgata sunt, piget ascribere.
Qui rapis. *Festus, Rapi simulatur virgo ex gremio matris: aut, si ea non est, ex proxima necessitudine, cum ad virum traditur: quod videlicet ea res feliciter Romulo cessit. Idem, Rapi etiam fax solet in nuptijs, qua prælucente, noua nupta deducta est, ab vtrisque amicis; ne aut vxor eam sub lecto viri ea nocte ponat, aut vir in sepulcro comburendam curet: quo vtroque mors propinqua alterius vtrius captari putatur.* O Hymenæe Hymen. *hæc cani solebant, cum in domum viri noua nupta deduceretur. vide Plautum Casina. meminit & Terentius Adelphis.* Cinge tempora. *redimitus floribus deus hic, & facem gestans pingebatur. Theocritus, epitaphio Adonidis.*

Ἔσβεσε λαμπάδα πᾶσαν ἐπὶ φλιαῖς ὑμεναῖος,
Καὶ στέφος ἐξεπέτασε γαμήλιον.

Suaue olentis. *hoc vocabulo vsus est & in carmine illo in Priapum,*

Pallentésque cucurbita, & suaue olentia mala.

sic Virgilius suaue rubentem hyacinthum & suaue rubentem muricem dixit. Flameum cape. *quo nymphe caput amicias, ad pudorem indicandum. Festus, Flameo amicitur nubens, ominis boni caussa; quòd ea assidue vtebatur flaminica, id est, flaminis vxor, cui non licebat facere diuortium.* Luteum. *colorem hunc fuisse in nuptijs vsitatum, auctor est Plinius.* Pelle humum pedibus. *salta. sic Horatius, Nunc est bibendum, nunc pede libero*
Pulsanda tellus. Spineam. *recte emendauit hunc*

locum ante hos L *annos Parthenius, cum antea legeretur, Pineam. è spina enim alba nuptiales tædas fieri solitas, & Festus testatur, & Plinius: idque quoniam in Sabinarum raptu, qui felicissime cessit, talibus etiam tædis pastores vsi erant.* Nanque Iulia. *æque pulchram esse dicit Iuliam, atque erat Venus, cum ad Paridem, subitura formæ iudicium, venit. Fabula omnibus nota est.* Cum bona alite. *Vetuste addidit, cum: vt & infra,*

Transfer omine cum bono.

vsitatius enim hæc sine præpositione dicuntur. Horatius, Mala soluta nauis exit alite. Idem,

- mala ducis aui domum

Quam multo repetet Græcia milite. Tibullus,

Fulserit hic niueis Delius alitibus.

Bona cum bona. *hæc figura, quam Cornificius traductionem vocat, huic scriptori, & Plauto perfamiliaris est. Sic infra,*

Dux bona Veneris, boni

Coniugator amoris.

multisque alijs in hoc ipso poematio locis. Floridis velut. *elegantissima comparatione exornat pulchritudinem Iuliæ, similem ipsam esse dicens myrto tenellæ; quam paulatim assurgentem, nymphæ summo studio nutriant. Et apparet, hac comparatione poetam ipsum delectatum, quam infra repetierit, cum de Ariadna loqueretur,*

Quales, inquit, Eurotæ progignunt flumina myrtos,

Auráve distinctos educit verna colores.

Hoc autem ex Homero sumpsit, apud quem Vlysses Nausicaam teneræ & proceræ assimilat palmæ. locus est Odyssea VI.

Δήλῳ δήποτε τοῖον Ἀπόλλωνος παρὰ βωμῷ
Φοίνικος νέον ἔρνος ἀνερχόμενον ἐνόησα. *id est,*
Talem equidem tenero surgentem germine palmam
Deli olim, Phœbi ante aras, vidisse recordor.

Myrtus Asia, *quòd videlicet in Asia, propter regionis calorem, arbor hæc felicissime proueniat. Neque est, quòd quenquam moueat syllabæ modus. sic Homerus Iliados* 11.
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καΰστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα. *sic Maro,*
-& quæ Asia circum
Dulcibus in pratis rimantur stagna Caystri. & alibi,
-sonat amnis, & Asia longe
Pulsa palus. Sic, cum Arabes & Italos prima correpta enunciemus, Arabiam & Italiam prima producta dicimus. Biennio fere, postquam hic commentarius primum editus est, scripsit ad me Roma Dionysius Lambinus, homo mihi & propter doctrinæ præstantiã, & propter suauissimos mores eximie carus, esse illic quosdam homines eruditos, qui cum ceteroqui perhonorifice de me sentirent, hoc loco diligentiam meam requirerent, qui ab Asia regione, non ab Asia palude, Asiam myrtum dici putassem, neque saltem ea vidissem, quæ hac de re peruulgati Homerici ac Virgiliani interpretes tradidissent. ego autem, quòd de me bene sentiant, gratiam habeo: quòd me, hoc quidem loco, reprehendant, facere iniuste puto. nam illam ipsam paludem in Asia esse constat: & pratum illud Asium, vt non nulli à nomine ἄσις*, alij ab heroe quodam Asia, ita sunt qui à terra Asia nominatum opinentur. idq; & Eustathius testatur, & is, cuius sunt scholia in Homerum. Est autem mihi quoque, nisi fallor, liberum, in sententiarum varietate, id sequi, quod maxime proba-*

bile videatur. Hamadryades, *nymphæ ita dictæ, quòd cum arboribus & nascantur, & intereant. Hinc est, quòd Æneas, cum sanguinem ex arbore, cuius ipse ramos vulserat, stillantem vidisset, nympharum pacem petijsse se ait, veritus nimirum, ne earum aliquam in arbore læsisset. Eædem interdum & Naiades dicuntur.* Ouidius,

Naiada vulneribus succidit in arbore factis.

Illa perit. fatum Naiados arbor erat.

Nutriunt humore. *spondæum pro dactylo posuit, vt sæpe supra in Phaleucijs. infra quoque in carmine de Atti sæpe longam vnam duabus breuibus mutat. Est autem hæc vera Aldinorum Gryphianorúmque codicum scriptura, quam alij temere repudiarunt.* Thespiæ Rupis Aonios specus. *Heliconem ipsum dicit.* Nympha. *hæc est vetus scriptura. aut igitur Aganippen ipsam nympham vocat; aut nympham pro lympha more veterum dixit. sic enim & apud Virgilium eruditi legunt, Dant famuli manibus nymphas.* Dominam. *ita vocabantur, quæ conueniebant in manum, id est, matresfamilias. vide Nonium. Sed & patresfamilias, domini vocabantur.* M. *Brutus de officio, (citat Priscianus) itaque patresfamiliæ domini sumus. Terentius Heautontimorumeno, domina, ergo herus damno auctus est.*

Vt tenax edera. *comparatio & aptissima, & vsitatissima. Festus, Edera vincit, ad quodcunque se applicat: ideóque eam flamini Diali neque tangere, neque nominare fas erat. Sed ne annulum quidem ei gestare solidum licebat, aut aliquem habere in se nodum.* Integræ. *intactæ, innuptæ, ἄζυγες.* Quibus aduenit Par dies, *quibus, suo cuique tempore,*

eadem

eadem obeunda erunt sacra. In modum, *concinne,* εὐρύθμως. *Sic infra,*

Ite, concinite in modum.

Bonæ Veneris, *honesta, & legitima.* Tremulus, *senex.* Zonula. *de hoc ritu, alio iam loco diximus. Versus autem, qui proxime sequuntur, ita scripti sunt in omnibus, quos ego quidem viderim, libris:* Te timens cupida nouos Captat aure maritos. *idque, tanquam integrum, omnes interpretantur, puellas videlicet metuentes, ne in malos maritos incidant, cupide auscultare, cum parentes de adoptando sibi genero aliquo verba faciunt. Ac memini equidem,* L. *Memmium Fremiotum, nobilissimum, summóque praditum ingenio adolescentem, cum hoc carmen vna euolueremus, mihi dicere, & totam hanc sententiam magnopere frigidam, & subitam illam numerorum commutationem sibi valde inconcinnam, valdéque à lepore huius poetæ alienam videri; neque dubitare se, quin locus corruptus esset. quod cum mihi quoque hæc scribenti venisset in mentem; cepissemq́; mehercule ipsius Memmij caussa paulo accuratius, de hoc toto cogitare; reperisse videor, quo modo minima mutatione locus integer fiat. Ita igitur legendum puto,*

-tibi virgines
Zonula soluunt sinus,
Te timent: cupida nouos
Captat aure maritus.

vt sensus sit: dum vesper instat, quo tempore Hymenæus cani, & puellæ in maritorum domos perduci solent, trepidare ipsas, metuentes primam illam congressionem: maritos contra, quibus omnis mora longa sit, quibúsque longum videatur, dum sint cum amoribus suis, stare at-

tentis auribus, cupidissimeq́; expectare, dum illud quasi Venerei conflictus classicum audiatur. Porro quòd, nouos maritus, antique pro, nouus maritus, dictum est; eam fuisse deprauandi loci occasionem puto. Quanquam autem non dubitabam, quin ex collatione, omnes mihi lepidiores homines assensuri essent; tamen & vsitatam lectionẽ, & illius interpretationem apposui, si quis forte sic quoque eam tenere mallet. Fero, *ardenti.* Floridam, *ἀνθηρὰν, ἀκμάζουσαν, forma atque ætate integra.* Dedis. *plus quiddam est dedere, quàm dare. Damus etiam recepturi: dedimus ea demum, quæ volumus accipienti propria ac perpetua fieri.* Parens Stirpe dicier. *iurisconsulti enim tradunt, parentes nusquam certos esse, nisi in nuptijs. At Telemachus ille Homericúsne sic quidem.* Parens stirpe. *sic locutus est & Virgilius, -pulchra faciat te prole parentem.*

Quæ tuis careat sacris. *qui cælibes sunt, eos verisimile est minus sollicitos esse de repub. quàm eos, qui & vxores, & liberos habent, in quibus quodam modo ipsi periclitentur, quorúmque omnium salutem in salute publica intelligant contineri. vnde in multis ciuitatibus resp. cælibibus committi non solebat. Apud Massilienses quidem, quorum ciuitas optime temperata olim fuisse perhibetur, timuchi esse non poterant, nisi qui & vxorem haberent, & liberos, fieri potest, vt idem Romani obseruauerint in ijs, quos præsides in prouincias mitterent. Atque hæc, etsi tantum coniectura nituntur, tamen aptiora, ni fallor, sunt ad hunc locum, quàm quæ de patrepatrato, & fecialibus Guarinus, & qui eum secuti sunt, attulerunt.* Virgo adest. *id est, mox proditura est.* Ingenuus pudor. *nihil est, quod magis iuuentu*

uentutem deceat, quàm honestus pudor. itaque & M. Cato dicebat, placere sibi iuuenes, qui erubescerent, non qui pallescerent: & Diogenes verecundum illum rubo rem colorem virtutis esse dicebat: & Pythias, Aristotelis filia, interrogata, qui sibi color videretur pulcherrimus, eum respondit, qui in ingenuis ex pudore enasceretur. Virgines autem præcipue commendat: vnde tam sæpe virgineum pudorem, virginalémque verecũdiam in scriptis veterum legimus. Flet. *flere solent virgines, vbi è domo paterna in mariti domum abducuntur: quod totum lacrymarum genus fictum esse, Catullus ipse alio loco dicturus est.* Herculeia. *Herculeij cuiusdam meminit Salustius secundo historiarum, Occurrere duci, & prœlium accendere, adeo vti Metello in sagum, Herculeio in brachium tela venirent. atque hic videlicet est, qui Sertorium secutus, tandem cæsus est à Q. Metello: cuius meminit & Frontinus in strategematis. Sed hæc, cum ex Iulia familia esset, ex Herculeia non poterat. An igitur Herculeiam dicit nobilissima stirpe ortam, & cuius maiores ad ipsum vsque Herculem gentis primordia referent? Vix crediderim. plane autem in meo vetere libro legitur omnibus literis, Arunculeia. sed tamen ab Arunca oppido, Aruncana potius diceretur. itaque ἐπέχω.* Vario, *varijs floribus picto.* Stare. *hoc verbo vtitur, vt viuidum ac vegetum indicet florem.* In mala Deditus vir adultera. *quod nũc, studere alicui rei, & alicui rei deditum esse, dicimus; id veteres, studere in aliqua re, & in aliqua re deditum esse, dicebant. Cato, Poetice artis honos non erat. si quis in ea re studebat, aut sese ad conuiuia applicabat, grassator vocabatur. Lucretius,*

Et

Et simul in pugnæ studio quòd dedita mens est.
Lenta vitis. *sic Virgilius,*
Lenta quibus torno facili superaddita vitis.
Asitas, *prope sitas.* O cubile. *verborum ordo paulo est perturbatior: quo factum est, vt non nulli locum hunc non carere vitio suspicati sint. ita autem digerenda sunt, vt intelligantur. O cubile, quot bona omnia veniunt lectulis candido pede: (pedem autem vocat, quo fulcitur lectus; vt supra,*
veteris pedem grabati) & quæ bona omnia veniunt tibi. Gratulatur autem & cubili, & lectulis conscijs atque arbitris futuris nuptialium lusuum. sic Propertius,
o tu Lectule delicijs facte beate meis.
Citat fragmentum huic loco simile Priscianus ex Atti cida, poeta vetere, in Hymenæo. quod tale est,
Felix lectule talibus Sole amoribus.
Constat autem & materiam eandem esse, & idem carminis genus: vt parum absit, quin ego hoc quoque Catulli carmen Hymenæum, non epithalamium, inscribendum putem. Gaudia, quæ gaudeas. ἑλληνισμός, *vt in illo Virgilij,*
hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Tollite o pueri faces. *describit nunc puellam egredientem domo. Quinque autem facibus vtebantur in nuptijs; quòd is numerus quasi symbolum quoddam sit nuptiarum, vt qui ex primo impari, & primo pari, tam quam ex mare, & femina, constet. Plura, si libet, vide apud Plutarchum in problematis. Eas qui præferebant, daduchi à Græcis, à Latinis fortasse olim pueri lauti dicebantur. id suspicor ex versiculo Plauti, qui est in Curculione, vbi seruus adolescenti eunti de nocte ad amicam, cereúmque manu ferenti ita dicit, Tute tibi puer*

es lautus,luces cereum. Quin & suspicor id olim ominosum habitum fuisse, creditúmque, qui noua nupta luxissent facem, eos postea nihili fore. nam apud eundem poetam Casina, Olympio Chalino, conseruo ac riuali suo, ita minitans inducitur,

Primum omnium huic lucebi noua nupta facem:
Postilla vt semper improbus, nihilique sis.

Flameum. *quo, vt diximus, nupta amiciebatur caput.* Neu diu taceat. *pueros admonet, vt de more Fescenninos versus canant. his autem versibus, summa verborum licentia & lasciuia factis, conuicia quadam in sponsos ioculariter spargi solebant. vnde & statim poeta tum puero concubino Manlij petulantius quodam modo insultat; tum Manlium ipsum, vt nimis in pueros proclinem, notat, tum nuptam admonet, ne se in re Venerea viro difficilem prabeat, alioqui fore, vt ipse delicias aliunde petitum eat: quam totam verisimile est Fescenninorum versuum materiam fuisse.* Neu nuces. *& maritus ipse nuces pueris spargebat, tum ea, quam diximus, caussa, tum vt se puerilia omnia relinquere ostenderet; (vnde est illud Virgilij, Sparge marite nuces)*

& ipsius concubinus, vt ex hoc loco colligitur, indicans se amplius puerile illud passurum non esse. Thalassio. *hunc inuocabant in nuptijs. vide Liuium libro primo, & Plutarchum problematis. Hic pro ipso matrimonio ponitur.* Sordebant tibi villicæ. *tu, inquit, nuper villicarum dissuauiari te cupientium oscula, pro innata formosis omnibus superbia, refugiebas, & amore domini ferox, & forma bono: at nunc certe istos animos demittes: cum & dominus ad nuptias animum adiecerit, & tonderi te iusserit: quod indicio est, te ei amplius*

in

in delicijs non fore. Porro comam nutrire olim pueri delicati solebant. Horatius,

Aut teretis pueri, longam renodantis comam.

Et Martialis, inter cetera, quæ ad pueri pulchritudinem faciunt, exigit, vt molles ei colla flagellent comæ. Atque hinc videlicet Synesius sophista scripsit cinædos esse pueros omnes, qui alerent comam. tondebantur autem vxores ducētibus dominis: aut alioqui cum ipsi iam exolescerent: quod interdum munus noua ipsa nupta obibant. Martialis,

Flamea texuntur sponsæ: iam tæda parata est.
Tondebit pueros iam noua nupta tuos.

Fere autem comæ libamina dicabāt alicui deo, vt multis ex Martiale & Papinio locis cognosci potest. Cinerarius. *ita tonsores vocabant; quod vnum de ministerijs eorum esset, calefactis in cinere calamistris torrere ac vibrare crinem. eo nomine Afranius comædiam quandam inscripsit suam. Flauius Sosipater, Muliebre, inquit, ministerium Cinerarius dicitur: nam Cato in originibus, Mulieres, inquit, nostræ capillum cinere vngitabant, vt rutilus esset crinis.* Male abstinere te, *ita salax esse, vt abstinere non possis.* A tuis glabris, *à pueris tuis, quorum genæ cruráque nulla adhuc lanugine violātur.* Scimus hæc tibi quæ licent, Sola cognita. *occupatio est. poterat enim Manlius dicere, se ab omni Venere illicita abstinuisse; neque vllam esse legem, quæ vetaret, quo minus ipse arbitrio suo ex pueris suis caperet voluptatem. neque enim veteribus turpe habebatur, primum illum ineuntis ætatis ardorem in seruis libertísve suis consumere: neque hoc numerabātinter inhonestos amores. Plautus Curculione,*

Ita

Ita tuum conferto amorem ſemper, ſi ſapis,
Ne, id, quod ames, populus ſi ſciat, tibi ſit probro.
& paulo poſt, Dum te abſtineas nupta, vidua, virgine
Ingenua, & pueris liberis, ama quod lubet. *atque hoc etiam affirmat Plutarchus, vbi cauſſas reddit, cur ingenui pueri bullam geſtarent. At Catullus, etiam ſi hoc, inquit, nondum ducta vxore, tibi licuiſſe nouimus, nunc tamen marito iam eadem amplius non licent.* Tempus. *annota tempus etiam priore numero pro parte capitis dici, contra quàm Soſipater putat. Sic Cornificius lib.* IIII. *ad Herennium. Et dubitanti Graccho, quid eſſet, neque tamen locum, in quo conſtiterat, relinquenti, percutit tempus.* Anilitas. *ita Varro Eudæmonibus dixit iuuenilitatē. Idémque de liberis educandis, Velim mehercules, inquit ipſe, vſu magno puerilitatis formulam audire.* Omnia omnibus annuit. *ſic puto melius legi, quàm annuat: vt cunque hoc malit Auancius. Iucunde autem exprimit naturam ſenum; in quibus caloris naturalis inopia imbecillitatem, imbecillitas tremorem efficit, ita vt caput perpetuo motitantes, omnia omnibus annuere videantur.* Transfer limen pedes. *noue dictum pro, fer pedes trans limen. Ominoſum autem putabatur, vel ingrediendo, vel egrediendo limen tangere. Ouidius,*

Omina ſunt aliquid. modo cum diſcedere vellet,
Ad limen digitos conſtitit icta Nape.

ideóque ſummus poetarum, equum illum fatalem in limine ſubſtitiſſe dicit. -quater ipſo in limine portæ
Subſtitit. Præcipue autem id in nouis nuptiis religioni habebant. Plautus,

Senſim ſuper attolle limen pedes noua nupta.

Lucanus in secundo,

Tralata vetuit contingere limina planta.

Caussas ex Seruio, & Plutarchi problematis require. Aureolos pedes, *pulchros.* χρύσεον *enim vocabant, quidquid pulchrum esset. At Homerus Tethyn ab argenteis pedibus* ἀργυρόπεζον *nominat.* Rasilem, *politam,* ξεστήν. Forem. *Plautus Milite,*

-ecce autem commodum aperitur foris. *Ouidius,*

-custos in fore nullus erat. Idem,

Difficilem moto cardine pande forem.

Tyrio, *purpura Tyria instrato.* Immineat tibi, *in te, tanquam in præda aliqua sua, defixus, nusquam à te oculos dimoueat, sed vultu ipso indicet impotens desiderium tui.* Flama sed penita magis. *significat eum maiore etiam nuptæ amore ac desiderio carpi. Penitum vocabant veteres, quod intimum esset: vnde & penum, & penates deos dixerunt.*

Plautus Asinaria,

-age quæso hercle vsque ex penitis faucibus.

Idem Persa, Furtiuam aduectam ex Arabia penitissima. Mitte brachiolum teres Prætextate puellulæ. *Festus, Patrimi & matrimi prætextati tres nubentem deducunt: vnus, qui facem præfert è spina alba, quia noctu nubebant: duo, qui tenent nubentem.* Vos vnis senibus. *idem Festus admonet, pronubas adhiberi solitas, quæ semel tantum nupsissent.* Bonæ feminæ. *antique, & populariter. Plautus,*

Bona femina, & malus masculus hic te volunt.

Cicero, tua vxoris, bona feminæ, locupletis quidem certe. Collocate. *collocare proprie dicuntur in lecto pronuba nouam nuptam.* Alba parthenice. *de parthenice, & papauere vide Plinium.* Bona te Venus. *ingressus*

gressus maritus, nihil veritus eorum, qui aderant, oculos, vxorem in lecto collocatam, ipsis inspectantibus, pressule, vt verisimile est, deosculatus fuerat: ob quod tam lepidum factum, poeta ei propitiam Venerem precatur. Quod cupis, capis. *Paronomasia.* At marita. *videtur nuptam admonere, vt occulat ardorem amoris sui, licet pulcher omnino coniugalis ille amor, honestúsque sit, neque sane video, quis alius sensus ex his verbis elici queat: sed profecto, ne quid dissimulem, totus hic locus mihi valde suspectus est.* Abit dies. *diem dicit pro tempore, iam enim nox erat.* Perge, ne remorare. *hæc ad sponsum potius, quàm ad sponsam, dici videntur.* Ille puluis Erythrei. *puluis, antiquus genitiuus est. in, Erythrei, autem detrita est vna è diphthongo litera, metri caussa. sic supra Dioneum dixit pro Dionæo. Qui hunc versum ita legebant,*

Ille pulueris Erythrai, miror, vbi habuerunt aures.

Torquatus volo paruulus. *tale est illud,*

- si quis mihi paruulus aula

Luderet Æneas, qui te tantum ore referret.

volo autem hic valet, opto, & cupio: vt cum Cicero dicit, volo tibi deos hanc rem fortunare: volo tibi hanc rem feliciter euenire: de qua huius verbi notione scripsimus pridem in Andriam. Est autem hic ὑποτύπωσις infantuli longe suauissima. Similis patri. *Horatius, Laudantur simili prole puerpera.*

Hesiodus inter ceteras ferrei seculi calamitates eam quoque ponit, quòd nulla sit in liberis parentum similitudo,

Οὐδὲ πατὴρ παί δεσσιν ὁμοίϊος, ὐδέτι παῖδες.

etsi illud, ὁμοίϊος, scio aliter quoque exponi posse. idemq; sanctissimus poeta, quo loco percenset eas commodita-

tes, quibus dij cumulant homines iustos, ait eorum vxores similia parentibus pignora parere,

Τίκτουσι δὲ γυναῖκες ἐοικότα τέκνα γονεῦσι.

Telemacho, *Vlyssis filio ex Penelopa.* Penelopæo. *Penelopen ex Homeri prædicatione omnes ita castam fuisse credunt, vt eius nomen, non mulieris iam, sed pene ipsius pudicitiæ nomen putetur. sunt tamen, qui eam impudicissimam fuisse tradant, procisque ordine omnibus fecisse copiam sui: quod & Homerum subindicasse aiunt, cum eam tendendo arcu vires eorum tentasse narrat. ita quidem arcum illum intellexit, quicunque auctor est longe vrbanissimi hac de re epigrammatis, quod inter lusus Priapeios legitur. Interpres Theocriti alicubi asserit, Pana filium esse Penelopes ex omnibus procis, vnde & nomen illud inuenerit, quòd videlicet ex permisto eorum omnium semine concretus foret. Alibi autem narrat, quod etiam turpius est, Mercurium conuertisse se in formam hirci: cuius libidine incensam Penelopen cum eo commiscuisse corpus, eóque satu editum Pana. Sed Catullus eam, quæ in plures probatur, sententiam insequitur.* Claudite ostia virgines. *ita fere concluditur Helenæ epithalamium à Theocrito,*

Χαίροις, ὦ νύμφα, χαίροις εὐπένθερε γάμβρε.
Λατὼ μὲν δοίη, λατὼ κουρότροφος ὔμμιν
Εὐτεκνίην κύπρις δὲ θεὰ κύπρις ἶσον ἔρασθαι
Ἀλλάλων, ζεὺς δὲ κρονίδας, ζεὺς ἄφθιτον ὄλβον,
Ὡς ἐξ εὐπατρίδαν εἰς εὐπατρίδας πάλιν ἔλθῃ.
Εὕδετ᾽ ἐς ἀλλάλων στέρνον φιλότητα πνέοντες,
Καὶ πόθον. Munere afsiduo, *afsiduo Veneris vsu.*

CAR

CARMEN NVPTIALE.

VESPER *adest iuuenes,consurgite,vesper Olympo*
Expectata diu vix tandem lumina tollit.
Surgere iam tempus,iam pingues linquere mensas.
Iam veniet virgo,iam dicetur Hymenaeus.
Hymen ò Hymenaee Hymen ades ò Hymenaee.
Cernitis innuptae iuuenes? consurgite contra.
Nimirum aethereos ostendit noctifer ignes.
Sic certe.viden' vt perniciter exiluere?
Non temere exiluere. canent quos vincere par est.
Hymen ò Hymenaee Hymen ades ò Hymenaee.
Non facilis nobis,aequales,palma parata est.
Aspicite,innuptae secum vt meditata requirant.
Nõ frustra meditantur,habẽt memorabile quod sit.
Nec mirum:tota penitus quae mente laborant.
Nos alio mentes,alio diuisimus aures:
Iure igitur vincemur. amat victoria curam.
Quare nunc animos saltem committite vestros,
Dicere iam incipient,iam respondere decebit.
Hymen ò Hymenaee Hymen ades ò Hymenaee.
Hespere,qui caelo fertur crudelior ignis?
Qui natam possis complexu auellere matris,
Complexu matris retinentem auellere natam,
Et iuueni ardenti castam donare puellam?
Quid faciunt hostes capta crudelius vrbe?
Hymen ò Hymenaee Hymen ades ò Hymenaee.
Hespere,qui caelo lucet iucundior ignis?
Qui desponsa tua firmes connubia flamma.
*Quod pepigere * viri,pepigerunt ante parentes,*
Nec iunxere prius,quàm se tuus extulit ardor.
Quid datur à diuis felici optatius hora?
Hymen ò Hymenaee Hymen ades ò Hymenaee.

Hesperus à nobis æquales abstulit vnam.

*

Nanque tuo aduentu vigilat custodia semper.
Nocte latent fures, quos idem sæpe reuertens
Vespere mutato comprendis nomine eosdem.
At lubet innuptis ficto te carpere questu.
Quid tum si carpunt, tacita quod mente requirunt
Hymen ò Hymenæe Hymen ades ò Hymenæe.
Vt flos in septis secretus nascitur hortis,
Ignotus pecori, nullo contusus aratro,
Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber,
Multi illum pueri, multæ optauere puellæ:
Idem cum tenui carptus defloruit vngui,
Nulli illum pueri, nullæ optauere puellæ:
Sic virgo, dum intacta manet, dum cara suis: sed
Cum castum amisit polluto corpore florem,
Nec pueris iucunda manet, nec cara puellis.
Hymen ò Hymenæe Hymen ades ò Hymenæe.
Vt vidua in nudo vitis quæ nascitur aruo,
Nũquam se extollit, nunquam mitem educat vuã,
Sed tenerum prono deflectens pondere corpus,
Iamiam contingit summum radice flagellum:
Hanc nulli agricolæ, nulli accoluere iuuenci:
At si forte eadem est vlmo coniuncta marito,
Multi illam agricolæ, multi accoluere iuuenci:
Sic virgo, dum intacta manet, dum inculta senescit:
Cum par connubium maturo tempore adepta est,
Cara viro magis, & minus est inuisa parenti.
Hymen ò Hymenæe Hymen ades ò Hymenæe.
At tu ne pugna cum tali coniuge virgo.
Non æquum est pugnare, pater cui tradidit ipse,
Ipse pater cum matre, quibus parere necesse est.

Virginitas non tota tua est: ex parte parentum est:
Tertia pars patris est, pars est data tertia matri,
Tertia sola tua est. noli pugnare duobus,
Qui genero sua iura simul cum dote dederunt.
Hymen ô Hymenae Hymen ades ô Hymenae.

Vesper adest. *carmen hoc eiusdem argumenti est cum superiore. Principio autem poeta ex sua persona loquitur: postea vero pueri & puellæ alternis canunt.* Vesper, *cuius exortu noua nupta in virorum domos perduci solebant. Interim autem canebatur Hymenæus.* Vix tandem. *omnis enim mora longa cupienti. ex opinione hoc igitur, non ex veritate, dictum est: vt illud,*

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

Cernitis innuptæ. *iuuenes primo excitauit: nunc ad puellas conuertitur; easque æmulatione excitat.* Aethereos, *alij eoos, quod recipi non potest, cum hic de noctis aduentu agatur. alij optatos, alij Oetæos, vt sit simile illi,*

Sparge marite nuces: tibi deserit Hesperus Oetam.
atque horum alterutrum haud sane repudiauerim.

Noctifer. *hesperus.* Exiluere. *de puellis ipsis loquitur. quas non temere exiluisse ait: esse enim ipsis negocium cum iuuenibus ita ad canendum paratis, vt ad eos victoria spectare videatur.* Non facilis. *iuuenes loquuntur: aiúntque, non facilem sibi victoriam fore: cum puellæ summa cura meditatæ sint, quod canant, ipsi vero se negligenter dissolutéque gesserint.* Hespere, qui cælo. *accusant puellæ Hesperum, qui puellam à complexu matris abstrahat, eámque ardenti iuueni tradat in manum.* Complexu matris. *ædoc per repetitionem.* Hespere, qui cælo. *respondent*

iuuenes contra, nullum esse sidus Hesperi fulgore iucundius, qui exoriens confirmet pacta à parentibu inita. Versus ille, Quod pepigere viri, vereor, vt si satis emendatus. Hesperus à nobis. *puellas loqu constat. sed post hunc versum sex septem plus minu desiderantur. Illud autem, At lubet innuptis, manifesto à iuuenibus dicitur.* Vt flos in septis. *elegantissima comparatio, qua contendunt puellæ, inutile esse virginibus nuptias.* Dum intacta manet, dum cara suis est. *prius, dum, valet quandiu: posterius, vsque eò. Fabius libro* I X. Florem. *μελιανθέα πολιαν Pindarus.* Vt vidua. *contraria comparatio, qua contendunt iuuenes, nihil virgini esse optabilius nuptijs.* Vidua. *Horatius,*

Et vitem viduas ducit ad arbores. *Idem,*
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos.

Viduam autem aiunt iurisconsulti vocari eam etiam, quæ nunquam nupsit. At tu ne pugna. *hoc ab vtrisque communiter cani videtur.*

DE GALLIAMBO.

Antequam eruditissimum poema de Cybele & Atti enarrare incipiam, non erit, vt arbitror, alienum de ipso genere versus aliquid dicere. quàm enim minime peruulgata sit illius ratio, non id tantum ostendit, quòd eius ignoratione, multis locis deprauatum hoc carmen fuerat; sed illud multo magis, quòd Michael Marullus: Georgius Anselmus, M. *Antonius Flaminius, at qui viri? quorum vnusquisque propius à summorum poetarum aberat, quàm à mediocrium, laude, cum huiusmodi quædam scribere aggressi essent, seséque totos ad imitationem Catulliani poematis contulissent,*

ſent,(neque enim aliud habebant, quod ſibi proponerent ad imitandum) propter exemplaris ipſius corruptionem ſæpe peccarunt. Neque hoc dico, quòd quidquam de præſtantiſſimorum hominum gloria detractum velim; ſed vt acuam ſtudioſorum adoleſcentum attentionem ad intelligenda ea,quæ de hac re tradere inſtitui: conſiliúmque meum ijs approbem,quibus hæc diſputatio vel longa nimium,vel etiam penitus ſupervacanea videretur. Dictus eſt igitur Galliãbus à Gallis Cybeles ſacerdotibus,qui in huius deæ ſacris eo plurimum vterentur: qua de cauſſa & μητρῳακὸς, & ἀνακλώμενος vocatus eſt,vt tradit Hephæſtion. Idem & Terẽtianus docet,& Martialis ſubindicat his verſibus,

Nec dictat mihi luculentus Attis
Mollem debilitate Galliambon.

ſit autem ex anapæſto,iambis duobus & ſyllaba. quale ſit, Vice veris & Fauoni. quibus adduntur rurſum anapæſtus & iambi duo. Exempli cauſſa,

Vice veris & Fauoni glacies reſoluitur.

interdum etiam, vt verſus celerior ſit, in penultimum locum tribrachys pro iambo recipitur. His de rebus, Diomedis,grammatici optimi, verba ponam, ſed aliquot locis à me emendata: vt intelligent, ſi qui laborem capere voluerint conferendi. Galliambicũ metrũ eſt,quod apud Mæcenatem tale eſt,

Ades,inquit,o Cybelle. Simile eſt illi,
Vice veris & Fauoni.

Inferius comma ſuperiori ſimile eſſet, niſi amiſiſſet vltimam ſyllabam, -fera montium dea.

Galliambum aliud ex ipſo factum ei ſimillimũ eſt,niſi quòd,vt eneruatius fieret,& mollius, tertia ab vltima ſyllaba in duas breues geminata eſt,& factum tale,

Latus horreat flagello,comitum chorus vlulet.
si esset sic,-comitum chorus lulet; esset illi simile,
-fera montium dea. ceterum quod eneruatius diximus,simile est illud neotericum,quod est tale,
Rutilos recide crines,habitúmque cape viri.
Hactenus Diomedes.Citantur & à Nonio ex Varrone huiusmodi versus,vt Marcipore,
Spatula euirauit omnes Veneriuaga pueros.
vbi licenter mediam syllabam dictionis,Veneriuaga, producere videtur.& ex eiusdem Eudæmonibus,
Phrygios per ossa cantus liquida canit anima.
Non est autem ignorandum,primo loco pro anapæsto poni posse spondæum;vt,
Sectam meam executæ duce me,mihi comites.
idem quarto etiam loco conceditur.
Tibicem vbi canit Phryx curuo graue calamo.
primo etiam,recipitur proceleumaticus.
Vbi capita Mænades vi iaciunt hederigeræ.
idémque in quarto licet.
Dea magna,dea Cybelle,dea domina Dindymi.
eadem ratione tribrachys in secundo iambi vicem subit.
Simul hæc comitibus Attis cecinit noua mulier.
Atque hæc suauissimus grammaticorum, Terentianus Maurus, ostendit; qui, quamuis paulo aliam viam init dimetiendi huius carminis,eodem tamen recidit. eius verba sunt.
Sonat hoc subinde metro Cybeleium nemus.
Noménque Galliambis memoratur hinc datum,
Tremulos quod esse Gallis habiles putant modos;
Adeo vt frequenter illum prope ab vltimo pedem,
Mage quo sonus vibretur,studeant dare tribrachyn.
Anapæstus esse primus,spondæus & solet:

Duo

Duo post erunt iambi, tribrachysve subicitur.
Linquitque comma primum catalecticam breuem.
Pariambus & trochæi duo comma posterum,
Tribrachysve continebunt, super atque semipes.
Seruasse quæ Catullum probat ipse tibi liber,
Super altera vectus Attis celeri rate maria.

Hæc Terentianus: qui, miror, cur primi commatis catalecticam breuem esse dicat: longam enim esse cōstat. Sed & alias pedum mutationes antiqui recipiebant, nihil se re curantes, dum tēporum numerus retineretur. exempli caussa.

Γαλλαὶ μητρὸς ὀρείης, φιλόθυρσοι δρομάδες,
Αἷς ἔντεα παταγεῖται, καὶ χάλκεα κρόταλα.

horum enim versuum posterior penitus similis est illi,
Tibicen ubi canit Phryx curuo graue calamo.

prior, par temporibus, syllabis admodum dispar. Tātum habui de Galliambi legibus dicere: nunc, quando ipse quoque hymnum in Liberum patrem eo carminis genere lusi, ascribam illum: si qui forte tanti nostra esse ducet, ut legenda sibi arbitretur.

GALLIAMBVS IN BACCHVM.

Hedera comam reuinctus Bromium patrem cano,
Bromium, Euhyum, Lyæum, purum, femorigenam,
Ope cuius alma vitis noua munera peperit,
Noua munera, apta curas animis procul agere.
Pater ô, pater bicornis, trieterice, cryphie,
Eleleu, giganticida, tibi cymbala quatimus,
Tibi spargimus capillum, tibi carmina canimus,
Tibi verticem rotamus, tibi per iuga gradimur.
Nemora ipsa mota nostris tibi cantibus vlulant.
Euœ, dator quietis, placidi dator animi,
Vbicunque tu moraris, bona ibi Venus habitat,

k 5

Habitant tenelli Amores, iocus, & lepor habitat:
Fidiúmque, cornuúmque strepitu omnia resonant:
Alacres vigent choreæ, mala tristitia procul,
Inamabiléſque curæ rapido pede fugiunt.
Date pocula huc ministri, plenos date calices,
Auida vt liquore diu mihi pectora repleam.
Scelus est ore ſicco ſacra mystica facere.
Vah, vah, pater lychnita, quibus ignibus agitor?
Mihi mille iam ante ocellos noua lumina radiant.
Viden', vt nemus citato procul impete rapitur?
Humus vt tremens frequenti ſalit acta tripudio?
Nouus vnde clangor aures modo cornuum ferit?
Procul ò, procul profani, deus ecce, deus adeſt
Maculoſa terga lyncum, & tygrium celeripedum
Tenero domans flagello, poſito premens iugo.
Rubicundus hunc magiſter, ſatyríque capripedes
Agili gradu inſequuntur, thiaſuſq; mulierum,
Euœ pater, fremẽtum, metuende Baſſareu,
Ter ò, & quater beatum tua qui orgia ſequitur,
Thyrſum inquiete dextra quatiens hedericomum.
Simul atque pulchra Cadmi te filia peperit,
Peperit, ſed ante tempus, Iouis igne ſaucia,
Pater ipſe te alligatum, proprio in femore tulit,
Mala ne nouerca cælo te precipitem ageret.
Dedit inde te fouendum nymphis nemoriuagis,
Iuga quæ per alta Nyſæ propero pede volitant.
Quæ ibi cunque tu puellus loca dexter adieras,
Vbicunque ſeſſitaras, noua germine tenero
Feriebat arbor auras redimita pampinis:
Vbicunque luſitaras, noua flumina temeti
Placido viam ſecabant fluitantia ſonitu.
Quid iam Indiam ſubactam tibi maxime memorem?

Quid

Quid Penthei, aut Lycurgi ſcelerata facinora,
Noua quidve monſtra Etruſco natitantia pelago?
Tua per trophæa eunti neque enim modũ fuerit.
Tibi Tmolus, & Cytheron, tibi Nyſa ſubdita eſt:
Tua muſici, & poetæ vnanimes ſacra celebrant:
Tuo eis liquore tactis ſimul ac capita calent,
Numeris repente fuſis ſubito omnia reſonant.
Sine te nihil venuſtum eſt, nihil eſt hilarificum.
Tu animis acerba feſſis curarum onera abigis,
Adimis pudorem ineptum, ſecreta patefacis,
Ineunda pellis omnes ad prœlia Veneris.
Obitis, quiete molli, quibus obtegis oculos.
Agedum pater, agedum rex, agedum ætheris decus,
Ades vſque, nóſque clemens oculo aſpice placid[illegible]

DE BERECYNTHIA ET [illegible]ITI.

SVPER *alta vectus Atti[illegible]ri rate maria,*
Phrygium vt nem[illegible]ato cupide pede tetigit,
Adi[illegible] opaca ſiluis redimita loca deæ,
Stimulatus vt furenti rabie, vagus animi,
Deuoluit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.
Itaque vt relicta ſenſit ſibi membra ſine viro;
Etiam recente terræ ſola ſanguine maculans,
Niuea citata cepit manibus leue tympanum,
Leue tympanum Cybelle tua mater initia:
Quatiénſque terga tauri teneris caua digitis,
Canere hæc ſuis adorta eſt fremebunda comitibus.
Agite ite ad alta Gallæ Cybeles nemora ſimul,
Simul ite Dindymenæ domina vaga pecora,
Aliena quæ petentes, velut exules, loca,
Sectam meam executæ duce me, mihi comites
Rapidum ſalum tuliſtis, truculentáque pelagi,
Et corpus euiraſtis Veneris nimio odio.

Hila

Hilarate heræ citatis erroribus animum.
Mora tarda mente cedat, simul ite, sequimini
Phrygiam ad domũ, Cybelles Phrygia ad nemora deæ,
Vbi cymbalum sonat vox, vbi tympana reboant,
Tibicen vbi canit Phryx curuo graue calamo,
Vbi capita Mænades vi iaciunt hederigeræ,
Vbi sacra sancta acutis vlulatibus agitant,
Vbi sueuit illa diuæ volitare vaga cohors,
Quò nos decet citatis celerare tripudijs.
Simul hæc comitibus Attis cecinit noua mulier,
Thiasus repente linguis trepidantibus vlulat,
Leue tympanum remugit, caua cymbala recrepant,
Viridem citus adit Idam properante pede chorus.
Furibunda simul, anhelans, vaga vadit, animo egens,
Comitata tympano Attis, per opaca nemora dux,
Veluti iuuenca vitans onus indomita iugi.
Rapidæ ducem sequuntur Galli pede propero.
Itaque, vt domum Cybelles tetigere lassulæ,
Nimio è labore somnum capiunt sine Cerere.
Piger his, labante langore, oculos sopor operit.
Abit in quiete molli rabidi furor animi.
Sed vbi oris aurei sol radiantibus oculis
Lustrauit æthera album, sola dura, mare ferum,
Pepulitque noctis vmbras vegetis sonipedibus,
Ibi somnus excitum Attin fugiens citus abijt:
Fugientem eum recepit dea Pasithea sinu.
Ita de quiete molli rabida sine rabie,
Simul ipsa pectore Attis sua facta recoluit.
Liquidaque mente vidit sine quis, vbique foret,
Animo æstuante rursus reditum ad vada detulit.
Ibi maria vasta visens lacrymantibus oculis,
Patriam allocuta mæsta est ita voce miseriter.

Patria ô mea creatrix, patria ô mea genitrix,
Ego quam miser relinquens, dominos vt herifugæ
Famuli solent, ad Idæ tetuli nemora pedem,
Vt apud niuem, & ferarum gelida stabula forem,
Et earum amica adirem furibunda latibula:
Vbinam, aut quibus locis te positam patria rear?
Cupit ipsa pupula ad te sibi dirigere aciem,
Rabie fera carens dum breue tempus animus est.
Ego ne à mea remota hæc ferar in nemora domo?
Patria, bonis, amicis, genitoribus abero?
Abero foro, palæstra, stadio, atque gymnasiis?
Miser, ah miser querẽdum est etiam atq; etiã anime.
Quod enim hoc genus figuræ est? mihi quò vigor abiit?
Ego mulier, ego adolescens, ego ephebus, ego puer,
Ego gymnasii fui flos, ego eram decus olei.
Mihi ianuæ frequentes, mihi limina tepida,
Mihi floridis corollis redimita domus erat,
Linquendum vbi esset orto mihi sole cubiculum.
Ego ne deum ministra, & Cybeles famula ferar?
Ego Mænas, ego mei pars, ego vir sterilis ero?
Ego viridis algida Idæ niue amicta loca colam?
Vbi cerua siluicultrix, vbi aper nemoriuagus?
Ego vitam agam sub altis Phrygiæ columinibus?
Iam iam dolet, quod egi, iam iámque pœnitet.
Roseis vt hic labellis abiit sonitus palam
**Geminas deorum ad aures noua nuncia referens,*
Ibi iuncta iuga resoluens Cybele leonibus,
Sæuúmque pecoris hostem stimulans, ita loquitur,
Agedum, inquit, age ferox, hunc agedũ aggredere furor,
Face vt hic furoris ictu reditum in nemora ferat,
Mea libere nimis qui fugere imperia cupit.
Age, cade terga cauda, tua verbera patere.

Face

Face, cuncta mugienti fremitu loca retonent.
Rutilam ferox torosa ceruice quate iubam.
Ait hæc minax Cybelle, religátque iuga manu,
Ferus ipse sese adhortans rapidum incitat animum,
Salit, infremit, refringit virgulta pede vago.
At vbi vltima albicantis loca littoris adijt,
Tenerúmque vidit Attin prope marmora pelagi,
Facit impetum ille demens fugit in nemora fera.
Ibi semper omne vitæ spatium famula fuit.
Dea magna, dea Cybelle, dea domina Dindymi,
Procul à mea tuus sit furor omnis hera domo:
Alios age incitatos, alios age rabidos.

Quæ de Atti à varijs scriptoribus, Diodoro, Pausania, Eusebio, Arnobio, Augustino, Ouidio, aliisq; varie scripta sunt, congerere, infiniti, & , ni fallor, legentibus non nimium iucundi laboris foret: præsertim cum ea iam omnia alij plerique studiosè diligentérque collegerint. quocirca satis habebo, poematis huius argumentum breuiter indicare. id est eiusmodi. Cum Attis in nemus Cybelæ sacrum venisset, magna comitum stipatus manu, furore correptus, virilia amputauit sibi. idem fecere ceteri quoque, qui cum eo venerant. tum per aliquod tempus, vt mos sacrorum ferebat, tumultuati, obdormie runt. expergefactus Attis, cũ ad se redijsset, cœpit lamentari conditionem suam, etiámque de repetenda patria cogitabant: cum Cybele, obiecto leone, eum ita perterrefecit, vt ab vltimo littore, quò iam processerat, iterum in nemoris opacitatem compulerit: vbi omne reliquum vitæ spatium exegit. Porro hæc Catulli narratio non conuenit cum ijs, quæ de Atti alij tradiderunt. sed ne alij quidem inter se conueniunt. fieri potest, vt vel alios scri-

ptor

ptores secutus sit, qui nunc non extant, vel tractatam ab alijs fabulam suo ipse quodam modo tractare voluerit. Deuoluit, *abscidit, ita vt in terram deuoluerentur.* Pondera, *testiculos.* Acuto silice, *Samia testa. eam enim ad hoc ministerium adhiberi solitam, notum est.* Sine viro, *sine ea parte, qua viri sumus.* Citata. *facete mutat genus; quòd Attis mas amplius non esset.* Leue tympanum. *alij, breue crotalum, quod non improbo. Si, leue tympanum, legas, dicendum erit tympanum prima correpta, vt & apud Homerum,*

ἠ_κρόταλων, τυμπάνωντ' ἰαχὴ, σύν τε τρόμος αὐλῶν.

Leue tympanum. *alij, Tympanum, tubam. ego in Cybeles sacris tubam adhibitam non puto. hæc autem repetitio nescio quid habere lepidius videtur.* Tua initia, *initia, sacra ipsa dicuntur: sed hic significat ea, quæ adhibentur in sacris.* Terga tauri caua. *tympanum. terga autem, pro tergora.* Gallæ. *Gallos vocari Cybeles sacerdotes, nemo nescit: at hic Gallas vocat, quòd, erepta virilitate, mulieribus potius, quàm viris, annumerandi essent.* Pecora. *quòd neque viri amplius, neque vera mulieres essent.* Hilaratæ heræ citatis. *heram vocat Cybelen, cuius animum vult à comitibus suis, hac illac currendo, exhilarari. alij legebant, Hilarate ære concitatis: contra rationem metri. ego autem vidi hoc totum carmen iam pridem scriptum manu excellentis in omni genere honestarum artium viri, Octauij Pantagathi: in quo cum alia multa ingeniose admodum emendata erant, tum hic locus ita scriptus, vt eum ipsi edidimus. magis etiã mihi placuit hæc emendatio, postquam animaduerti, Petrum quoque Victorium eam retulisse in libros suos.* Vbi cymbalum

balum. *hæc omnia Cybeles & Bacchi sacris communia erant. vide Strabonem libro* x. *& Euripidem in Bacchis.* Iaciunt, *rotant.* Thiasus, *cohors ipsa quæ Attin secuta erat.* Sine Cerere, *incenatæ.* Fugientem eum, *Soporem.* Pasithea. *hæc vna est è Gratijs, Somni vxor. apud Homerum enim Iliados* x i i i. *Iuno cum Somno agens, vt Iouem sopiat, eam si illi, pro præmio, vxorem daturam pollicetur.*

Ἀλλ' ἴθ' ἐγὼ καί τοι χαρίτων μίαν ὁπλοτεράων
Δώσω ὀπυιέμεναι, καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν,
Πασιθέην, ἧς αἰὲν ἱμείρεαι ἤματα πάντα. *id est,*

At tibi ego è Charitum florentum ætatibus vnam
Connubio iungam stabili, propriámque dicabo;
Pasithean, quæ omnes vna tecum exigat annos.

Miseriter, *miserabiliter. sic Laberius,*

Mens incorrupta miseriter corrumpitur.

Ita infra, puriter.

-si vitam puriter egi.

ita veteres multa, parciter, sæuiter, inimiciter, toruiter, præclariter, & alia, quorum exempla sunt apud Nonium. properiter etiam ait olim dictum fuisse; & citat Catulli locum,

Animula miserula properiter abit.

sic Ennius, prognariter, libro v i. *annalium,*

-audite parumper
Vt, pro Romano populo prognariter armis
Certando, prudens animam de corpore mitto.

sic Cicero, audaciter, pro Sex. Roscio, Multa scelerate, multa audaciter multa improbe fecisti. ita enim legit eum locum Priscianus libro x v. *vbi negat, faciliter & difficiliter dici: quorum de altero nihil affirmo:* *diffici*

difficiliter quidem, & perdifficiliter apud Ciceronem leguntur. Gymnasijs. *prima correpta legendum est.* Querendum est, *deploranda est mea conditio.* Ego mulier? *ego ne mulier iam sum, quæ antea adolescens, ephebus, puer fueram? quæ inter æquales meos omni iuuenilium exercitationum genere floruerum?* Flos, *ornamentum.* Decus olei, *luctæ. hypallage.* Tepida. *ex eorum, qui me inuisebant, multitudine, & frequentia. Calere enim dicuntur loca, quæ frequentantur. Octauianus Augustus in epistola ad Tiberium, Lusimus enim per omnes dies, forumque aleatorium calefecimus.* Mihi floridis corollis. *indicat, multos sibi amatores fuisse.* Mænas. *ita vocabantur Cybeles & Bacchi sacerdotes,* παρὰ τὸ μαίνεσθαι. Roseis vt hic labellis. *statim vt pœnitere se aperte dixit.* Geminas deorum ad aures. *versum hunc, libere vt dicam, adulterinum esse suspicor: primum, quòd, eo detracto, nihilo deterior, aliquanto etiam, vt ego quidem puto, melior sententia est. cum enim de vna Cybele agatur, illud deorum, subalienum videtur. deinde, geminas aures, ociosum plane est epitheton. postremo, noua nuncia, neque hoc loco satis apte, neque omnino Latine dici puto. nuncius enim masculo genere dicitur, non nuncium neutro. Scio citari ex Tibullo, & Lucretio locos, sed quos si quis accurate consideret, videbit nihil facere ad probandum id, quo de agitur. Eruditi homines, & veteribus libris instructi, hoc quale sit, iudicabunt.* Iuncta iuga. *Cybeles enim currum leones trahunt.* Agedum, inquit. *in quibusdam,*

Agedum, inquit, age ferox, hunc, agedum, aggredere ferox. quæ scriptura mihi quidem magis probatur.

Cæde terga cauda. *hic enim mos est leonum sese ad iram excitantium.* Semper, omne vitæ spatium. *pleonasmus.* Dea magna. *concludit poeta precatione, qua Cybeles à se iram amolitur, eámque orat, vt in alios potius furorem immittat suum.*

DE NVPTIIS PELEI, ET THETIDOS.

PELIACO *quondam prognatæ vertice pinus*
Dicuntur liquidas Neptuni nasse per vndas
Phasidos ad fluctus, & fines Aeetæos:
Cum lecti iuuenes, Argiuæ robora pubis,
Auratam optantes Colchis auertere pellem,
Ausi sunt vada salsa cita decurrere puppi,
Cærula verrentes abiegnis æquora palmis:
Diua quibus retinens in summis vrbibus arces,
Ipsa leui fecit volitantem flamine currum,
Pinea coniungens inflexæ texta carinæ.
Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten.
Quæ simul ac rostro ventosum proscidit æquor,
Tortáque remigio spumis incanuit vnda;
Emersere feri canenti è gurgite vultus,
Aequoreæ monstrum Nereides admirantes.
Illáque, atque alia viderunt luce marinas
Mortales oculi nudato corpore nymphas,
Nutricum tenus extantes è gurgite cano.
Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore:
Tum Thetis humanos non despexit Hymenæos:
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sanxit.
O nimis optato sæclorum tempore nati
Heroes saluete, deum genus: o bona mater:

Vos ego ſæpe meo vos carmine compellabo.
Téque adeo eximie, tedis felicibus aucte,
Theſſaliæ columen Peleu, cui Iuppiter ipſe,
Ipſe ſuos diuum genitor conceſſit amores.
Te ne Thetis tenuit pulcherrima Neptuni nec?
Te ne ſuam Tethys conceſſit ducere neptem?
Oceanúſque pater, totum qui amplectitur orbem?
Quæ ſimul optatæ finito tempore luces
Aduenere, domum conuentu tota frequentat
Theſſalia; oppletur lætanti regia cœtu.
Dona ferunt præ ſe, declarant gaudia vultu.
Deſeritur Scyros, linquunt Phthiotica Tempe,
** Grauinoniſque domos, ac nitenis alacriſea.*
Pharſaliam coeunt, Pharſalia tecta frequentant:
Rura colit nemo: molleſcunt colla iuuencis:
Non humilis curuis purgatur vinea raſtris:
Non glebam prono conuellit vomere taurus:
Non falx attenuat frondatorum arboris vmbram:
Squalida deſertis rubigo infertur aratris.
Ipſius at ſedes, quacunque opulenta receſſit
Regia, fulgenti ſplendent auro, atque argento:
Candet ebur ſolijs: collucent pocula menſis:
Tota domus gaudet regali ſplendida gaza.
Puluinar vero diuæ geniale locatur
Sedibus in medijs, Indo quod dente politum
Tincta tegit roſeo conchylis purpura fuco.
Hæc veſtis priſcis hominum variata figuris,
Heroum mira virtutes indicat arte.
Nanque fluentiſono proſpectans littore Diæ
Theſea cedentem celeri cum claſſe tuetur
Indomitos in corde gerens Ariadna furores:
Nec dum etiam ſeſeque ſui tum credidit eſſe,

Vtpote fallaci quæ tum primum excita somno
Desertam in sola miseram se cernit arena.
Immemor at iuuenis fugiens pellit vada remis,
Irrita ventosæ linquens promissa procellæ:
Quem procul ex alga mæstis Minois ocellis,
Saxea vt effigies bacchantis prospicit euœ:
Prospicit,& magnis curarum fluctuat vndis,
Non flauo retinens subtilem vertice mitram,
Non contecta leui velatum pectus amictu,
Non tereti strophio luctantes vincta papillas.
Omnia quæ toto delapsa è corpore passim
Ipsius ante pedes fluctus salis alludebant.
Sed neque tum mitræ,neque tum fluitantis amictus
Illa vicem curans,toto ex te pectore Theseu,
Toto animo,tota pendebat perdita mente.
Ah miseram,assiduis quam luctibus externauit
Spinosas Erycina serens in pectore curas.
Illa tempestate,ferox quo tempore Theseus
Egressus curuis è littoribus Piræi,
Attigit iniusti regis Gortynia tecta.
Nam perhibent olim crudeli peste coactam
Androgeoneæ pœnas exoluere cædis,
Electos iuuenes,simul & decus innuptarum
Cecropiam solitam esse dapem dare Minotauro.
Queis angusta malis cum mœnia vexarentur,
Ipse suum Theseus pro caris corpus Athenis
Proÿcere optauit potius,quàm talia Cretam
Funera Cecropiæ,nec funera,portarentur.
Atque ita naue leui nitens,ac lenibus auris,
Magnanimum ad Minoa venit,sedesq; superbas.
Hunc simul ac cupido conspexit lumine virgo
Regia,quam suaues expirans castus odores

Lectu

Lectulus in molli complexu matris alebat,
Quales Eurotæ progignunt flumina myrtos,
Auráve distinctos educit verna colores,
Non prius ex illo flagrantia declinauit
Lumina, quàm toto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarsit tota medullis.
Heu misere exagitans immiti corde furores
Sancte puer, curis hominum qui gaudia misces,
Quæq; regis Golgos, quæq; Idalium frondosum,
Qualibus incensam iactastis mente puellam
Fluctibus, in flauo sæpe hospite suspirantem.
Quantos illa tulit languenti corde timores:
Quanto sæpe magis fulgore expalluit auri:
Cum sæuum cupiens contra contendere monstrum,
Aut mortem appeteret Theseus, aut præmia laudis.
Non ingrata, tamen frustra, munuscula diuis
Promittens, tacito suspendit vota labello.
Nam velut in summo quantientem brachia Tauro
Quercum, aut conigeram sudanti cortice pinum
Indomitus turbo contorquens flamine robur
Eruit: illa procul radicibus extirpata
Prona cadit, latéque, & cominus omnia frangit:
Sic domito sæuum prostrauit corpore Theseus,
Nequidquam vanis iactantem cornua ventis.
Inde pedem victor multa cum laude reflexit,
Errabunda regens tenui vestigia filo,
Ne Labyrintheis è flexibus egredientem
Tecti frustraretur inobseruabilis error.
Sed quid ego, à primo digressus carmine, plura
Commemorem? vt linquens genitoris filia vultum,
Vt consanguineæ complexum; vt denique matris,
Quæ misero gnatæ fleret deperdita luctu,

Omnibus his Thesei dulcem præferret amorem:
Aut ut vecta ratis spumosa ad littora Diæ:
Aut ut eam dulci deuinctam lumina somno
Liquerit immemori discedens pectore coniux.
Sæpe illam perhibent ardenti corde furentem
Clarisonas imo fudisse è pectore voces:
Ac tum præruptos tristem conscendere montes,
Unde aciem in pelagi vastos protenderet æstus;
Tum tremuli salis aduersas procurrere in vndas,
Mollia nudatæ tollentem tegmina suræ,
Atque hæc extremis mæstam dixisse querelis,
Frigidulos vdo singultus ore cientem.
Siccine me patrijs abductam perfide ab oris,
Perfide deserto liquisti in littore Theseu?
Siccine discedens, neglecto numine diuum,
Immemor, ah deuota domum periuria portas?
Nulla ne res potuit crudelis flectere mentis
Consilium? tibi nulla fuit clementia præsto,
Immite vt nostri vellet miserescere pectus?
At non hæc quondam blanda promissa dedisti
Voce mihi: non hoc miseram sperare iubebas,
Sed connubia læta, sed optatos Hymenæos:
Quæ cuncta aerij discerpunt irrita venti.
Nunc iam nulla viro iuranti femina credat:
Nulla viri speret sermones esse fideles.
Qui dum aliquid cupiens animus prægestit apisci,
Nil metuunt iurare, nihil promittere parcunt:
Sed, simul ac cupidæ mentis satiata libido est,
Dicta nihil metuere, nihil periuria curant.
Certe ego te, in medio versantem turbine leti,
Eripui, & potius germanum amittere creui,
Quàm tibi fallaci supremo in tempore deesse.

Pro

Pro quo dilaceranda feris dabor, alitibúsque
Præda, nec iniecta tumulabor mortua terra.
Quænam te genuit sola sub rupe laena?
Quod mare conceptum spumantibus expuit vndis?
Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis,
Talia qui reddis pro dulci præmia vitæ?
Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Sæua quòd horrebas prisci præcepta parentis;
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quæ tibi iucundo famularer serua labore;
Candida permulcens liquidis vestigia lymphis,
Purpureáve tuum consternens veste cubile.
Sed quid ego ignaris nequidquam conqueror auris
Externata malo? quæ nullis sensibus auctæ,
Nec missas audire queunt, nec reddere voces.
Ille autem prope iam medijs versatur in vndis;
Nec quisquam apparet vacua mortalis in alga.
Sic nimis insultans extremo tempore sæua
Fors etiam nostris inuidit questibus aures.
Iuppiter omnipotens vtinam nec tempore primo
Gnosia Cecropiæ tetigissent littora puppes;
Indomito nec dira ferens stipendia tauro
Perfidus in Cretam religasset nauita funem;
Nec malus hic, celans dulci crudelia forma
Consilia, in nostris requiesset sedibus hospes.
Nam quò me referam? quali spe perdita nitar?
Idæos ne petam montes? at gurgite lato
Discernens patriam truculentum diuidit æquor.
An patris auxilium sperem? quem ne ipsa reliqui,
Respersum iuuenem fraterna cæde secuta?
Coniugis an fido consoler memet amore?
Qui ne fugit lentos incuruans gurgite remos?

Praetereo littus:nullo sola insula tecto.
Nec patet egressus,pelagi cingentibus vndis.
Nulla fugae ratio,nulla spes: omnia muta,
Omnia sunt deserta;ostentant omnia letum.
Non tamen ante mihi languescent lumina morte,
Nec prius à fesso secedent corpore sensus,
Quàm iustam à diuis exposcam prodita multam,
Caelestúmque fidem postrema comprecer hora.
Quare facta virum multantes vindice poena
Eumenides,quibus anguineo redimita capillo
Frons expirantis praeportat pectoris iras,
Huc huc aduentate,meas audite querelas;
Quas ego nunc misera extremis proferre medullis
Cogor inops,ardens,amenti caeca furore.
Quae quoniam vere nascuntur pectore ab imo;
Vos nolite pati nostrum vanescere luctum:
Sed,quali solam Theseus me mente reliquit,
Tali mente deae funestet séque,suósque.
Has postquam maesto profudit pectore voces,
Supplicium saeuis exposcens anxia factis;
Annuit inuito caelestum numine rector,
Quo tunc & tellus,atque horrida contremuerunt
Aequora,concussitque micantia sidera mundus.
Ipse autem caeca mentis caligine Theseus
Consitus,oblito dimisit pectore cuncta,
Quae mandata prius constanti mente tenebat:
Dulcia nec maesto sustollens signa parenti,
Sospitem,& ereptum se ostendit visere portum.
Nanque ferunt,olim castae cum moenia diuae
Linquentem gnatum ventis concrederet Aegeus,
Talia complexum iuueni mandata dedisse.
Gnate mihi longa iucundior vnice vita,

Gnate,

Gnate, ego quem in dubios cogor dimittere casus,
Reddite in extremæ nuper mihi fine senectæ,
Quandoquidem fortuna mea, ac tua feruida virtus
Eripit inuito mihi te, cui languida nondum
Lumina sunt gnati cara saturata figura:
Non ego te gaudens lætanti pectore mittam,
Nec te ferre sinam fortunæ signa secundæ:
Sed primum multas expromam mente querelas,
Canitiem terra, atque infuso puluere fœdans:
Inde infecta vago suspendam lintea malo,
Nostros vt luctus, nostræq; incendia mentis
Carbasus obscura dicat ferrugine Ibera.
Quod tibi si sancti concesserit incola Itonis,
Quæ nostrum genus, ac sedes defendere sueta
Annuat, vt tauri respergas sanguine dextram:
Tum vero facito, vt memori tibi condita corde
Hæc vigeant mandata, nec vlla obliteret ætas:
Vt, simul ac nostros inuisent lumina colles,
Funestam antemnæ deponant vndique vestem,
Candidáque intorti sustollant vela rudentes,

*

Quamprimum cernens, vt læta gaudia mente
Agnoscam, cum te reducem sors prospera sistet.
Hæc mandata prius constanti mente tenentem
Thesea, ceu pulsæ ventorum flamine nubes
Aerium niuei montis liquere cacumen.
At pater, vt summa prospectum ex arce petebat,
Anxia in assiduos absumens lumina fletus,
Cum primum infecti conspexit lintea veli,
Præcipitem sese scopulorum è vertice iecit,
Amissum credens immiti Thesea fato.
Sic funesta domus ingressus tecta paterna,

Morte ferox Theseus, qualem Minoidi luctum
Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit.
Quæ tum prospectans cedentem mæsta carinam,
Multiplices animo voluebat saucia curas.
At parte ex alia florens volitabat Iacchus,
Cum thiaso satyrorum, & Nysigenis Silenis,
Te quærens Ariadna, tuóque incensus amore.
Qui tum alacres passim lymphata mente furebant,
Euoe bacchantes, euoe capita inflectentes.
Horum pars tecta quatiebant cuspide thyrsos,
Pars è diuulso iactabant membra iuuenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cauis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.
Plangebant alij proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant;
Multáque raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaráque horribili stridebat tibia cantu.
Talibus amplifice vestis decorata figuris,
Puluinar complexa suo velabat amictu.
Quæ postquam cupide spectando, Thessala pubes
Expleta est, sanctis cœpit decedere diuis.
Hic qualis flatu placidum mare matutino
Horrificans Zephyrus procliuas incitat vndas,
Aurora exoriente, vagi sub lumina solis,
Quæ tarde primum clementi flamine pulsæ
Procedunt, leuitérque sonant plangore cachinni,
Post, vento crescente, magis magis increbrescunt,
Purpureáque procul nantes à luce refulgent:
Sic tum vestibuli linquentes regia tecta,
Ad se quisque vago passim pede discedebant.
Quorum post abitum, princeps è vertice Pelij

Aduenit Chiron, portans siluestria dona.
Nam quoscunque ferunt campi, quos Thessala magnis
Montibus ora creat, quos propter fluminis undas
Aura parit flores tepidi fœcunda Fauoni,
Hos indistinctis plexos tulit ipse corollis,
Queis permulsa domus iucundo risit odore.
Confestim Peneos adest viridantia Tempe,
Tempe, quæ silua cingunt superimpendentes,
Nereidum linquens claris celebranda choreis,
Non vacuus: nanque ille tulit radicitus altas
Fagos, ac recto proceras stipite laurus,
Non sine nutanti platano, lentáque sorore
Flammati Phaethontis, & aeria cupressu.
Hæc circum sedes late contexta locauit,
Vestibulum vt molli velatum fronde vireret.
Post hunc consequitur sollerti corde Promethus,
Extenuata gerens veteris vestigia pœnæ,
Quam quondam, silici restrictus membra catena,
Persoluit, pendens è verticibus præruptis.
Inde pater diuum sancta cum coniuge, natisque,
Aduenit, cælo te solum Phœbe relinquens,
Unigenámque simul cultricem in montibus Idæ:
Pelea nam tecum pariter soror aspernata est,
Nec Thetidis tedas voluit celebrare iugales.
Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus,
Largæ multiplici constructæ sunt dapæ mensæ.
Cum interea infirmo quatientes corpora motu,
Veridicos Parcæ cœperunt edere cantus.
His corpus tremulum complectens vndique vestis
Candida purpurea talos incinxerat ora;
At roseo niueæ residebant vertice vittæ,
Æternúmque manus carpebant rite laborem.

Læua

Laua colum molli lana retinebat amictam:
Dextera tum leuiter deducens fila supinis
Formabat digitis, tum, prono pollice torquens,
Libratum tereti versabat turbine fusum:
Atque ita decerpens aequabat semper opus dens,
Laneáque aridulis haerebant morsa labellis,
Quae prius in leui fuerant extantia filo.
Ante pedes autem candentis mollia lanae
Vellera virgati custodibant calathisci.
Hae tum clarisona pellentes vellera voce
Talia diuino fuderunt carmine fata,
Carmine, perfidiae quod post nulla arguet aetas.
O decus eximium, magnis virtutibus augens,
Emathiae columen Peleu, clarissime nato,
Accipe, quod laeta tibi pandunt luce sorores,
Veridicum oraclum, sed vos, quos fata sequuntur,
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.
Adueniet tibi iam portans optata maritis
Hesperus: adueniet fausto cum sidere coniux,
Quae tibi flexanimo mentem perfundat amore,
Languidulósque paret tecum coniungere somnos,
Leuia substernens robusto brachia collo.
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.
Nulla domus tales vnquam contexit amores:
Nullus amor tali coniunxit foedere amantes:
Qualis adest Thetidi, qualis concordia Peleo.
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.
Nascetur vobis expers terroris Achilles,
Hostibus haud tergo, sed forti pectore notus:
Qui persaepe vago victor certamine cursus
Flamea praeuertet celeris vestigia ceruae.
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.

Non

Non illi quisquam bello se conferet heros,
Cum Phrygij Teucro manabunt sanguine riui,
Troicáque obsidens longinquo mœnia bello
Periuri Pelopis vastabit tertius heres.
Currite ducentes subtegmina,currite fusi.
Illius egregias virtutes,claráque facta
Sæpe fatebuntur gnatorum in funere matres,
Cum tremulo incanos soluent à vertice crines,
Putridáque infirmis variabunt pectora palmis.
Currite ducentes subtegmina,currite fusi.
Nanque velut densas prosternens messor aristas,
Sole sub ardenti flauentia demetit arua,
Troiugenum infesto prosternet corpora ferro.
Currite ducentes subtegmina,currite fusi.
Testis erit magnis virtutibus vnda Scamandri,
Quæ passim rapido diffunditur Hellesponto;
Cuius iter cæsis angustans corporum aceruis,
Alta tepefaciet permista flumina cæde.
Currite ducentes subtegmina,currite fusi.
Denique testis erit morti quoque dedita præda,
Cum teres excelso coaceruatum aggere bustum
Excipiet niueos perculsæ virginis artus.
Currite ducentes subtegmina,currite fusi.
Nam simul ac fessis dederit fors copiam Achiuis
Vrbis Dardaniæ Neptunia soluere vincla,
Alta Polixenia madefient cæde sepulcra;
Quæ velut ancipiti succumbens victima ferro;
Proijciet truncum submisso poplite corpus.
Currite ducentes subtegmina,currite fusi.
Quare agite,optatos animi coniungite amores,
Accipiat coniux felici fœdere diuam,
Dedatur cupido iandudum nupta marito.

Currite

Currite ducentes subtegmina, currite fusi.
Non illam nutrix orienti luce reuisens,
Hesterno collum poterit circundare filo.
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.
Anxia nec mater discordis mœsta puellæ
Secubitu, caros mittet sperare nepotes.
Currite ducentes subtegmina, currite fusi.
Talia, profantes quondam fœlicia Pelei,
Carmina diuino cecinerunt pectore Parcæ.
Præsentes nanque ante domos inuisere castas
Sæpius, & sese mortali ostendere cœtu,
Cælicolæ, nondum spreta pietate, solebant.
Sæpe pater diuum fulgentia templa reuisens,
Annua dum festis venissent sacra diebus,
Conspexit terra Cretum procurrere currus.
Sæpe vagus Liber Parnassi è vertice summo
Thyadas effusis euantes crinibus egit,
Cum Delphi tota certatim ex vrbe ruentes
Acciperent læti diuum fumantibus aris.
Sæpe in letifero belli certamine Mauors,
Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnusia virgo,
Armatas hominum est præsens hortata cateruas.
Sed postquam tellus scelere est imbuta nefando,
Iustitiámque omnes cupida de mente fugarunt,
Perfudere manus fraterno sanguine fratres,
Destitit extinctos natus lugere parentes,
Optauit genitor primæui funera nati,
Liber vt innuptæ potiretur flore nouercæ,
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est diuos scelerare penates,
Omnia fanda, nefanda malo permista furore
Iustificam nobis mentem auertere deorum.

Quare

Quare nec tales dignantur visere cœtus,
Nec se contingi patiuntur lumine claro.

In carmen de nuptiis Pelei & Thetidos.

QVOD *initio dixi, hasce inscriptiones, quæ in impressis libris leguntur, ab ipsis auctoribus non esse factas, vel ex eo intelligere licet, quòd libellum hunc Argonautica vulgo nominari videmus; deceptis videlicet hominibus imperitis, eo quòd Catullus à descriptione expeditionis Colchicæ exordium duxit, neque animaduertentibus id eum facere, vt commodius ingrediatur ad celebrandas Pelei nuptias, qui præcipuus huius poematis veluti scopus est. itaque iure optimo à viris eruditissimis adulterina illa inscriptio repudiata est. Descripturus igitur Pelei nuptias, primum narrat, Peleum tunc Thetidis amore irretitum fuisse, cum ad vellus aureum vna cum ceteris Græciæ principibus nauigaret. Qua in re suo quodam iure ab aliorum poetarum narratione discedit. Nam Orphei (si modo eius sunt Argonautica, quæ nomen ipsius præseferunt) Apollonii, Valerii Flacci, Claudiani, & aliorum testimonio, quo tempore profecti sunt Argonautæ, non modo Thetidem duxerat Peleus, sed etiam Achillem ex ea susceperat, iámque Chironi educandū tradiderat. Sed non est à poetis aut constantia, aut historiæ fides nimium subtiliter exigenda.* Peliaco. *ad Pelion enim Thessaliæ montem ædificata est Argo. Diodorus v. Bibliothecæ. unde & πηλιὰς ἀργὼ ab Apollonio dicitur.* Pinus. *non, quòd è pinu contextam hanc nauem fuisse constet: sed, more poetico, pinum pro qualibet arbore apta conficiendis nauigiis nominat. alioqui enim Orpheus eam ex piceis, quercubúsque compactam fuisse dicit,*

καὶ

καὶ χαροπὸν περὶ χεῦμα γεγηθότες ἕλξατε νῆα
ἀργὼ πευκήεσιν τ' ἠδὲ δρύσι γομφωθεῖσαν. *id est,*

Ac placidos læti in fluctus deducite nauem
Et piceis Argo, & quernis trabibus compactam.

At idem alio loco faginam eam fugisse ait. Quin cum Euripides πεύκην *dixisset, Ennius abietem vertit, cuius sunt illa,*

Vtinam ne in nemore Pelio securibus
Cæsa accidisset abiegna ad terram trabes:
Ne ue inde nauis incohandæ exordium
Cepisset, quæ nunc nominatur nomine
Argo, qua vecti Argiui delecti viri
Petebant illam pellem inauratam arietis
Colchis, imperio regis Peliæ per dolum.

Valerius autem cum robora, pinósque ad eam conficiendam adhibuisset, paulo post vocat eam
-pressam regibus alnum. Sed nihil apud poetas isto figuræ genere vsitatius. Alexander Cornelius, vt est apud Plinium, arborem eonem appellauit, ex qua facta esset Argo, similem robori viscum ferenti, quæ nec aqua, nec igni posset corrumpi. Sunt qui hanc primam nauem fuisse autument: alij eam, quæ à Danao facta est, vt est apud interpretem Euripidis. Argo autem vocatam, vel quòd ἀργὸν *celerem veteres dixerint, vnde & lethargum eum, qui celeriter obliuisceretur: fuerit autem nauis hæc insigni celeritate: quo fit, vt eam Varro citiremen vocet: vel quòd eam Argus quidam ædificauerit. in astrum tandem conuersa est.* Phasidos ad fluctus. *hic fluuius ex Armenia fluens, Colchida, Ponti regionem, alluit.* Et fines Aeetæos. *Colchida ipsam, vbi tum Aeetes regnabat, Medeæ pater.* Cum lecti iuuenes. *florem heroum cum Iasone*

ſone nauigaſſe ait Theocritus. Argiuæ robora pubis, *ex omni Græca iuuentute robuſtiſſimi.* Auſi ſunt, *quod ante eos nemo auſus fuerat.* Vada ſalſa *mare.* ταπείνωσις. Cita puppi. *videtur alludere ad id Argus etymon, quod ſupra attulimus.* Auratam pellem, *πάγχρυσον δέρας, Euripides: δέρας χρύσεον, & χρύσεον κῶας, Orpheus, & Apollonius, eius videlicet arietis, quo Phryxus mare traiecerat. Varro lib. II. de re ruſtica, figmentum hoc ad pecudum caritatem refert. eius verba ſunt: De antiquis illuſtriſſimus quiſque paſtor erat, vt oſtendit Græca, & Latina lingua, & veteres poetæ, qui alios vocant πολύαρνας, alios πολυμήλους, alios πολυβούτας, qui ipſas pecudes, propter caritatem, aureas habuiſſe pelles tradiderunt, vt Argis Atreus, quam ſibi Thyeſten ſubduxiſſe queritur; vt in Colchide Aeetes, ad cuius arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ; vt in Libya, ad Heſperidas, vnde aurea mala, id eſt, ſecundum antiquam conſuetudinem, capras, & oues, quas Hercules ex Africa in Græciam exportauit. ea enim ſua voce Græci appellarũt μῆλα. Neque deſunt, qui vellus illud, libellum fuiſſe tradant, quo auri facien di ratio contineretur. Simonides in hymno, quo Neptunum celebrauit, purpurei illud coloris fuiſſe dixit, quo à marinis purpuris, in traiectione illa, aſperſum fuiſſet.* Auertere. *hoc verbo dolus quidam ſæpe indicatur. Virgilius,*

Quo regnum Italiæ Libycas auerteret oras.

Licinius Macer pro Tuſcis, (citat Priſcianus) Quos oportuit amiſſa reſtituere, hice etiam reliquias auerterunt. Cicero Frumentaria, Quid ſi doceo te non minus domum tuam auertiſſe, quàm Romam miſiſſe decuma-

rum nomine? Diua quibus. *Pallas. Virgilius,*
- Pallas, quas condidit arces,
Ipsa celat. Athenis in arce colebatur. Ipsa. *Mineruam ipsam vna cum Argo manus operi admouisse, aiunt poetæ.* Currum, *nauem. catachresis.* Illa rudem, *intactam.* Cursu. *metaphora.* Prima. *vide Plinium cap.* L VI. *lib.* VIII. Amphitriten, *mare,* παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν. *Poetæ Neptuni vxorem esse dicunt.* Emersere feri. *Apollonius deos ipsos superos, nymphásque Peliadas, Argus nouitatem, heroúmque præstantiam admiratos fuisse dicit.*

πάντες δ' οὐρανόθεν λεῦσσον θεοὶ ἤματι κείνῳ
νῆα, καὶ ἡμιθέων ἀνδρῶν μένος, οἳ τότ' ἄριστοι
πόντον ἐπιπλώεσκον. ἐπ' ἀκροτάταισι δὲ νύμφαι
πηλιάδες κορυφῇσιν ἐθάμβεον εἰ σορόωσαι
ἔργον ἀθηναίης ἰτωνίδος. ἠδὲ καὶ αὐτοὺς
ἥρωας χείρεσσιν ἐπικραδάοντας ἐρετμά.

Nutricum tenus, *mammarum tenus.*
Tum Thetis humanos. *cum tamen eos valde auersaretur: cupiebat enim è Ioue grauida fieri, quæ responsum accepisset à Proteo, filium è se procreatum iri maiorem eo, (quicunque is tandem esset) à quo procreatus foret. vide Ouidium* X I. *Metamor. quin & Iuppiter ipse, eius amore correptus, voti eam compotem fecisset, nisi à Prometheo instantis periculi admonitus esset. quam etiam ob caussam, liberatum è Caucaso Prometheum, narrat Lucianus. cum Apollonius contra, Iouem quidem à Themide admonitum, Prometheũ vero Herculis beneficio liberatum fuisse dicat, idque etiam ipse Prometheus apud Aeschylum ita vaticinetur fore.* Pater ipse, *Nereus.* O nimis optato. *ingressu*

gressurus ad canendas Pelei nuptias, ceteros Argonautas, ab eis digressurus, salutat, séque eorum laudes versibus suis celebraturum pollicetur. Nimis optato. *hinc expressum est illud Virgilianum,*

Magnanimi heroes, nati melioribus annis.

O bona mater. *Argo ipsam intelligit, cuius velut vtero diu inclusi latuerunt Argonautæ.* Téque adeo eximie. *cum alios heroas sæpe compellabo, tum te, o Peleu, eximie, ac præter ceteros.* Tædis felicibus, *felici matrimonio.* Pulcherrima Neptunine, *pulcherrima natarum Neptuni. Tale est apud Theocritum & Callimachum ὠκεανίνη, apud Virgilium Nerine Galathea. Porro de Thetide, fuerit ne, quod hic ait Catullus, Neptuni siue Nerei filia, Achillisque mater, non satis inter veteres conuenit. Homerus Thetidis filium, Nerei nepotem Achillem facit: eáque à plurimis recepta sententia est. alij, è quibus est Aristoteles, Thetidem eam, quæ Achilli mater fuerit, Chironis centauri filiam fuisse aiunt: Daimachus Philomelam vocat Achillis matrem, quæ ipsa Actoris filia fuerit. Staphylus libro tertio rerum Thessalicarum, narrat Chironem, Pelei gloria velificari volentem, accersisse ad se Philomelam Actoris Myrmidonis filiam, deinde eam famam disseminasse, constituisse deos Thetiden Peleo vxorem dare: foréque vt ad nuptias, non sine magna vi imbrium ac tempestatum venirent. ipse autem, qui sapientia, rerúmque cælestium intelligentia vigeret, eum nuptijs diem dictum esse confinxit, quo prospiciebat fore, vt magna vis procellarum existeret: cúmque postea eo ipso die Philomelam Peleo collocasset; factum, vt homines nupsisse ei Thetidem crederent.* Tethys. *Tethys ex Oceano Doridem, Doris ex*

Nereo Thetidem sustulit. Oceanúsque pater. *Antiqui deos omnes, patres vocarunt. sic Iuppiter,* πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε: *sic Apollo pater, Liber pater, Neptunus pater, Vulcanus pater, Mars pater, ceterique ad eundem modum. Lucillius in deorum concilio:*
Vt nemo sit nostrum, quin pater optimu' diuum:
Vt Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Ianu', Quirinu' pater nomen dicantur ad vnum.
sed Oceanum præcipue, quòd, vt alio loco diximus, aquæ rerum omnium tribuerent principatum. Quæ simul. *simul atque aduenit optatum illud tempus faciendis nuptijs constitutum.* Dona ferunt præ se, *quibus nouam nuptam munerarentur.* Grauinonísque domos, ac nitenis alacrisea. *hæc sunt vetustæ scripturæ, de calamo notatis libris, miserabiliter deprauata vestigia. Petrus Victorius suspicatur priorem partem ita legendam, Cranonisque domos. posteriorem vero non nulli restituere conati, legunt; & mœnia Larissæa. ego neutram coniecturam improbo; & tamen, dum meliores libros nactus fuerim, nihil de hoc loco affirmare audeo.* Rura colit nemo. *feriabantur omnes, propter nuptiarum celebritatem.* Ipsius at sedes. *describit magnificentiam apparatus ædium Pelei.* Recessit. *interiorem partem ædium significat. sic Seneca,*
In multa diues spatia discedit domus:
Arcana in imo regia recessu patet.
Locum autem hunc imitatus videtur Virgilius sub finem primi Aeneidos.
At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, medijsq; parant conuiuia tectis.
Arte laboratæ vestes, ostróque superbo,

Ingens argentum mensis, cælatáque in auro
Fortia facta patrum, &c. Pulvinar geniale, *lectus genialis.* Hæc vestis. *in veste, qua stratus erat lectus genialis Thetidos, multas heroum figuras fuisse dicit, atque inter ceteras, Thesei linquentis Ariadnam: vnde sumpta occasione digreditur ad eam siue fabulam, siue historiam fusissime explicandam.* Dia, *Naxi.* Nec dum etiam seséque sui. *vigilet, an dormiat, nescit. non credit se esse compotem sui: nondum credere audet, quod videt, insperatæ rei nouitate stupefacta.* Saxea vt effigies. *summa vis est in hac comparatione. primum enim, quòd bacchanti Ariadnen comparat, significat eam & vultu, & totius corporis gestu rabidum quendam concitatæ mentis ardorem præ se tulisse. quòd autem addit, saxeam effigiem, tantam vim doloris fuisse indicat, vt diu neque mouere se potuerit, neque in vllam vocem erumpere. omnis enim immodica affectio & eripere vocis vsuram, & omnium corporis partium functiones impedire ad tempus solet. atque hoc nimirum est, quòd Nioben poetæ, cum filios suos Apollinis & Dianæ sagittis confossos videret, obriguisse in lapidem fabulantur.* Immemor at iuuenis. *videtur alludere ad eorum sententiam, qui aiunt, Bacchi numine effectum esse, vt Theseus oram soluens, Ariadnes penitus obliuisceretur: itaque, quòd eam reliquerit, obliuione tantum, eáque diuinitus immissa, non ingrato animo, effectum. Vide Theocritum Pharmaceutria, & in eum commentarios.* Et magnis curarum fluctuat vndis. *hunc locum imitatus videtur Virgilius,*

Sæuit amor, magnóque irarum fluctuat æstu.

Strophio. *Nonius, Strophium, inquit, est fascia bre-*

nis, quæ virginalem tumorem cohibet papillarum. Turpilius Philopatro,

Me miserā quid agā? inter vias epistola excidit mihi. Infelix inter tuniculam atque strophium collocauerā. Luctantes. *ita legendum videtur, non, vt in aliis, lactantes. luctantes autem expono paulatim intumescentes, & vt veteres loquebantur, sororiantes: quasique eni tentes ad strophium repellendum.* Salis, *maris. sic Virgilius, - spumas salis are ruebant. & alibi, - campos salis are secabant.*

Alludebant, *identidem percutiebant. Tale est illud Tibulli,*

Ima videbatur talis illudere palla.

Externauit, *extra se posuit, siue, vt Nonius interpretatur, dementem fecit. Hoc verbo infra etiam vsus est.* Illa tempestate, quo tempore. ἀρχαϊσμὸς. *sic Cicero: eius temporis, quo die.* Theseus. *varias de hac Thesei profectione sententias enumerat Plutarchus in ipsius vita: quas illinc repetat, qui volet.* E littoribus Piræi. *poetica licentia vtens, ab historia fide recedit. non enim ex Piræo, sed ex Phalero soluit Theseus. neque Piræus illis temporibus nauale erat, sed curia. nauale autem, antequam Themistocles imperaret, non fuit. auctor Pausanias.* Iniusti regis. *graue est, ait Plutarchus, disertæ ciuitati, & in qua Musarum studia vigeant, inimicum fieri. nunquam enim desiit Minos in Atticis theatris male audire, omnibúsque vexari probris: neque eum vel Hesiodus adiuuit, qui regno dignissimum, vel Homerus, qui Iouis familiarem vocauit, quo minus obtinuerint tragici, qui de pulpito scenáque multam ei aspersérunt immitis violentaq; naturæ infamiam, eadem fere de*

re de Minoe Plato in dialogo,quem de ipsius nomine inscripsit. Gortynia. *Gortyn, vrbs in Creta.* Crudeli peste coactam. *ipsum deorum numen conspirasse cum Minoe ad vlciscendam cædem Androgei videbatur: eodem enim tempore & bello, & fame, & pestilentia affligebantur Athenienses:responsúmque est oraculo, non aliter ea desitura, quàm si Minoi fieret satis. Vide Plutarchum, Diodorum, Eusebium.* Electos iuuenes, *septenos quotannis iuuenes,ac totidem puellas; idque per annos nouem: quos non nulli sorte duci, alij à Minoe deligi solitos aiunt.* Cecropiam, *regionem Atticam.* Dapem dare. *varias super hac re sententias refert Plutarchus.* Funera nec funera. *figura Græca. ita enim illi* ἄδωρα δῶρα, ἀγάμους γάμους, *& similia. sic Cicero insepultam sepulturam, sic Ouidius iniusta iusta, sic quidam vetus tragicus, innuptas nuptias, sic Ennius artem inertem, cuius est illud, - quæ scis,*

In vulgum vulgas, artémque expromis inertem.

Naue leui. *ea nauis postea, ex voto, quotannis Delon ab Atheniensibus mittebatur. vide Platonem principio Phædonis.* Superbas, *magnificas: vt, - aulæis iam se regina superbis.* Quales Eurotæ. *de hac comparatione dixi supra in carmine de nuptijs Manlij.* Curis hominum. *sic infra de Venere, Quæ dulcem curis miscet amaritiem. Hinc est, quod Musæus* γλυκύπικρον *vocat* ἐρώτων κέντρον. Quæque regis Golgos. *Golgos oppidum est in Cypro Veneri sacrum. hic Golgos numero multitudinis dicit. Pene autem conuersus est hic versus è Theocritis Syracusanis,*

Δέσποιν᾽, ἃ γολγόν τε καὶ ἰδάλιον ἐφίλασας.

Cum autem & hic, & supra, Phaleucijs in Volusium, Colchos pro Golgos legeretur, primus vtrunque locum emendauit, vir clarissimus, Hermolaus Barbarus.
Aut mortem appeteret. *ita legendum, non, oppeteret. neque enim mortem oppetere dicitur, nisi qui moritur. deinde, oppetere mortem, Latine dicitur: at certe, oppetere præmia laudis, quid sit, non video.* Non ingrata, tamen frustra. *non ingrata fuisse superis Ariadnes vota, illud indicat, quòd Theseus victoria potitus est. ipsa tamen spe sua frustrata est: neque enim, quod optabat, contigit ei, posse ætatem vna cum Theseo exigere.* Suspendit vota. *neque enim audebat aperte pro Theseo vota facere: ne ipsa de se indicio esset patri.* Robur, *truncum.* Errabunda regens. *Virgilius,*

Cæca regens filo vestigia. Flexibus. *ambages & dolos tecti vocat Virgilius.* Frustraretur. *frustra haberet, deciperet. de hoc verbo vide Gellium.* Inobseruabilis error. *Virgilius,*

– & inextricabilis error. A primo carmine, *ab instituto celebrandarum nuptiarum Pelei.* Consanguineæ, *sororis, Phædræ.* Diæ, *Naxi: etsi multas alias insulas, quæ Diæ dicerentur, enumerat interpres Theocriti Pharmaceutria.* Dulci deuinctam lumina somno. *sic Theocritus de somno,* πεδάα μαλακῷ καλὰ φάεα δεσμῷ. *alij deuicta, vt sit simile illi Homerico,*

– μαλακῷ δεδμημένοι ὕπνῳ. Deuota periuria, *execranda, & diris obnoxia. Ad hunc autem locum respexit Tibullus, his versibus,*

Gnossia, Theseæ quondam periuria linguæ
Fleuisti ignoto sola relicta mari.

Sic cecinit pro te doctus Minoi Catullus,
Ingrati referens impia facta viri.
Nunc iam nulla. *sic Ouidius,*
Nunc quoque nulla viro, clamabo, femina credat.
Prægestit, *valde gestit, valde cupit. Lucillius,*
Quātum haurire animus Musarum è fontibu' gestit.
Germanum, *Minotaurum.* Creui, *iudicaui.* Pro quo dilaceranda, *quantopere horribile veteribus fuerit, cadauera lacerari à feris, hinc existimari potest, quòd eius rei formidinem, apud Homerum, proponit Hector ignauis,*

Ου δὲ κ᾽ ἐγὼν ἀπάνευθε μάχης ἐθέλοντα νοήσω,
Οὔ οἱ ἄρκιον ἐσσεῖται φυγέειν κύνας, οὐδ᾽ ἐ
Οἰωνούς. *& de Achille* αὐτοὺς δ᾽ ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν, Οἰωνοῖσί τε πᾶσι.

Nec iniecta. *Cicero* II. *de legibus, Siti dicuntur ij, qui cōditi sunt: nec tamen eorum ante sepulchrum est, quàm iusta facta, & corpus incensum est. Et quod nunc communiter in omnibus sepultis ponitur, vt humati dicantur, id erat proprium tum in ijs, quos humus iniecta contegeret: eúmque morem ius pontificale cōfirmat. nam prius quàm in os iniecta gleba est, locus ille, vbi crematum est corpus, nihil habet religionis: iniecta gleba, tum & ille humatus est, & sepulcrum vocatur, ac tum denique multa religiosa iura complectitur. Hac verba Ciceronis ipsa ascripsi, ex quibus, quid sit, terram inijcere, intelligi posset. Frequens enim est eius rei apud auctores optimos mentio.* Quænam te. *vsitatum est, vt quorum immanem crudelitatem execramur, eos è rupibus, efferis ve animalibus, aut etiam è mari natos esse dicamus. Virgilius,*
Nunc scio quid sit Amor. duris in cotibus illum

Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.
Et apud eundem Dido, Æneam alloquens,
Nec tibi diua parens, generis nec Dardanus auctor
Perfide: sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hyrcanaq; admorunt vbera tigres.
Tibullus vero, cum ijs, qui Veneris furta non celassent atrocem Venerem minitaretur fore, ita scripsit,
Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,
Is Venerem è rabido sentiet esse mari. & alibi, cum dominam à nimia seueritate abducere niteretur,
Nam te, inquit, nec vasti generunt æquora ponti,
Nec flammam voluens ore Chimæra fero,
Nec canis anguinea redimitus terga catena,
Cui tres sunt linguæ, tergeminúmque caput,
Scyllaque virgineam canibus submista figuram,
Nec te conceptam sæua leæna tulit.
Notum est & illud Homericum,
-γλαυκὴ δέ σ' ἔτικτε θάλασσα. Quæ Syrtis. *Virgilius,*
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? Si tibi. *eodem pene modo de Minoe, apud Virgilium, queritur Scylla,*
Me ne inter comites, ancillarúmque cateruas,
Me ne alias inter famularum munere fungi,
Coniugis atque tuæ (quæcunque erit illa) beatæ
Non licuit grauidos penso deuoluere fusos?
Sæua quod horrebas. *Priscum parentem exponunt Cecropem: sæua autem præcepta, legem, quam ille tulisse de certa legitimáque maris ac feminæ coniunctione dicitur. ego, cur ista tam longe petenda sint, cur ve lex illa ita sæua dicatur, vt eam Theseus horrere debuerit,*

exp

exputare equidem non queo. itaque, ἀμαθέστερον, καὶ σαφέστερον, *ita hunc locum interpretor. Si connubia nostra tibi cordi non erant, pro eo quòd horrebat animus recordatione eorum, quæ olim pater meus crudelissime imperauerat ciuibus tuis, nempe vt florem suæ iuuentutis Minotauro deuorandum mitterent, ob idque nolebas tam saui, támque importuni hominis filiam tibi vxorem adiũgere: at certe me, vt tibi famulæ loco essem, abducere, non, cuius beneficio viueres, eam feris discerpendam relinquere debuisti.* Candida permulcens. *pedes tibi abluens. Est autem* πάθος *à ministerij vilitate.* Sed quid ego. ἐπανόρθωσις. Auctæ, *prædita à natura.* Mortalis. *vehementius quiddam & ἐνεργητικώτερον dixit, quàm si hominem dixisset.* Sic nimis. *alleuamentum quoddam doloris est, in rebus aduersis tuis, habere, qui te conquerentem audiant, & si minus iuuare possint, tamen aliqua tui miseratione moueantur. Id quoque sibi Ariadna ereptum esse conqueritur.* Iuppiter. *stulta, sed hominibus vsitata consuetudine, optat, quæ facta sunt, infecta esse. Tale est illud,*

εἴθ' ὤφελ' ἀργοῦς μὴ διαπτάσθαι σκάφος
Κόλχων ἐς αἶαν. *Enimuero non votis corriguntur præterita, sed futura consilio diriguntur. Notum est illud Agathonis,*

Μόνου γὰρ αὐτοῦ καὶ θεὸς στερίσκεται,
Ἀγένητα ποιεῖν, ὅσσ' ἂν ᾖ πεπραγμένα. *id est,*
Vna hac enim re etiam deus priuatus est,
Infecta facere, facta quæ sunt, vt queat.

Gnosia Cecropiæ. *Virgilius,*

Felix heu, nimium felix, si littora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigissent nostra carinæ.

Crude

Crudelia consilia. *consilia ita dixit, vt Græci* φρένας: *quo nomine sæpe naturam & ingenium cuiusque significant.* In nostris requiesset sedibus hospes. *hunc forte versum imitatus fuerit Virgilius illo,*

Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes?

Idæos ne petam montes? *de patria ne repetenda cogitem? Ida enim mons Cretæ est.* At gurgite lato. *at, latum & metuendum mare interiectum, patriam meam ab hac insula diuidit.* Quem ne ipsa reliqui? *id est, eiusne, quem ipsa reliqui? sic Terentius Andria,*

Quem ne ego vidi ad vos afferri vesperi?

Plautus Mostellaria,

Quo pessume modo? quæ ne iam subducta erat
Tuto in terram? Idem Milite,

Quem ne ego seruaui in campis Cuticlindoniis?

Hoc qui non intelligebant, fecerunt hoc loco, quémve ipsa reliqui: & paulo infra, Quive fugit, aut, Qui refugit, pro, Qui ne fugit. Prætereo littus. *vbi litus prætereo, nihil video præter solam, ac desertam insulam, sine vllo tecto: neque tamen ex ea egredi possum, vndique præcludente iter mari.* Eumenides. *has deas esse credebant, Nocte genitas, quæ homines atrocibus turpificatos vitiis vlciscerentur. Diras vltrices vocat Virgilius. Eædem & Erinnyes dicuntur: Epimenidésque eas Saturni filias facit: Euripides videre ipsas ait omnia; cuius est illud ex Oedipo Coloneo,* τὰς πάνθ' ὁρῶσας εὐμενίδας. *Ipsæ de iustitia sua multa apud Æschylum prædicant: se videlicet nemini bono irasci, sed à sceleratis tantum meritas pœnas exigere. Vinum ad earum sacrificia non adhibebatur: quæ & iccirco νηφάλια dicebantur. Fiebant autem media nocte, vt ex*

Æschylo

Æschylo intelligitur. Plura vide apud Æschyli & Sophoclis interpretes. Anguineo capillo. ὀφιοπλοκάμους eas *Orpheus in hymnis vocat.* Quæ quoniam vere. *eas demum detestationes valere arbitrabantur, quibus quis vero, magnóque, non leui aut simulato dolore motus alium defixisset. tum vero nullam expiandi rationem esse existimabant. Horatius,*

Diris agam vos. dira detestatio

Nulla expiatur victima. Sed quali. *locus hic, si diligenter animaduertas, confirmat id, quod supra tetigimus, non ingrati animi vitio, sed, obliuione à dijs obiecta, fecisse Thesëum, vt Ariadnam relinqueret. ipsa enim precatur deos, vt quali se mente reliquit Theseus, tali etiam funestet suos. Vota autem Ioui probata esse, infra dicitur. Cum ergo Theseus obliuione domũ suam postea funestauerit, consequitur, vt obliuione quoque antea deseruisset Ariadnam. Sed idem magis etiam ex illis versibus constat, qui infra leguntur,*

-qualem Minoidi luctum

Obtulerat mente immemori, talem ipse recepit:

vt iam dubitandum non sit, quin hanc sententiam Catullus insecutus fuerit. Inuito numine, *quòd non libenter & Ægeum morte, & Theseum luctu, vtrunque immerentem afficeret.* Quo tunc & tellus. *sumptum ex Homero.* Dulcia signa, *candidum velum.* Ereptum, *liberatum. sic supra,*

-ego te in medio versantem turbine leti

Eripui. Castæ diuæ, *Palladis, quæ Atheniensium præses erat.* Reddite in extremo. *neque enim ad patrem venit Theseus, nisi iam adultus, multisque editis preclaris facinoribus nobilis. Vide Plutarcum.* Cannitiem terra. *mos antiquorum in luctu.* Incendia

dia, *doloris mei ardorem*. Dicat, *indicet*. Itonis. *Palladem intelligit, quam Apollonius Itonida, Bacchylides Itoniada nominat. Itonus Thessalus fuit, Amphictyonis filius, qui vrbem quãdam Thessaliæ à se Itonem nominauit, vbi dea hæc colebatur. Cum autem Ito, siue Iton vrbis nomen sit; sanctæ Itonis, non, vt in alijs, sancti Itonis, legendum puto.* Funestam vestem, *velum illud ferrugineum.* Candidaq; intorti. *Nonius, quo loco de vasorum generibus differit, exponens dictionem, carchesia, ita scribit. Carchesia, summa pars mali: id est, foramina, quæ summos mali funes recipiunt. Catullus,*

Lucida qua splendent summi carchesia mali.

hactenus Nonius. Quòd autem in quibusdam veteribus libris animaduerti post versum hunc, Candidáque, tantum superesse spatij, quantum vni versui scribendo sit satis; mihi venit in mentem dubitare, ne hic forte ipse versus, qui à Nonio citatur, hoc loco desideretur, legendúmque sit,

Candidáque intorti sustollant vela rudentes,
Lucida qua splendent summi carchesia mali.

qua tamen de coniectura, per me quidem iudicet quisque, vt volet. ego dignam esse duxi, quæ proponeretur. Hæc mandata. *ita, inquit, liquere hæc mandata Theseum, vt montis cacumen linquere impulsæ vento nubes solent.* Morte ferox, *superbus ob Minotaurum interfectum.* At parte ex alia. *ex alia parte vestis pictus erat Bacchus Ariadnam quærens. Quod residuum est huius fabulæ, exequitur Ouidius* III. *Fastorum, &* VIII. *Metamorphoseon. copiosius etiam Hyginus, & Arati interpretes.* Cum Thaiso. *choro,*

multitu

multitudine. sic Bachus ipse apud Euripidem,
θίασος ἐμὸς γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων
ἐκόμισα. Nysigenis Silenis, *Nysaorum optimatibus. Diodorus libro* IIII. Furebant, *furibundi clamabant*, Euoe. *vox est bacchantium.* Capita inflectentes, *rotantes, iacientes.* Tecta cuspide, *folijs obducta, & velata.* Pars è diuulso. *solebant enim bacchantes interdum armenta discerpere, carnésque eorum crudas mandere. Euripides,*
καὶ τὴν μὲν ἂν προσεῖδες εὔθηλον πόριν
μυκωμένην ἔχουσαν ἐν χεροῖν δίχα,
ἄλλαι δὲ δαμάλας διεφόρουν σπαράγμασι.
Tortis serpentibus. *Euripides Bacchis, Baccho recens nato Parcas coronam è serpentibus imposuisse narrat: indéque receptũ, vt se manades quoque serpentibus coronarent.* στεφάνωσέν τε δρακόντων στεφάνοις, ἔνθεν ἀγρὰν θηροτρόφοι μαινάδες ἀμφιβάλλονται πλοκάμοις.
Plutarchus quoque Olympiada, Magni Alexandri matrem, grandes serpentes contrectantẽ manibus, thiasos celebrare solitam refert. Orgia. *ita vocabantur mysteria quædam, quæ, nisi ab initiatis, aut spectari, aut audiri fas non erat. id vel ex hoc Penthei & Bacchi colloquio, apud Euripidem, intelligi potest.*
Πεν. τὰ δ' ὄργι' ἐστὶ τίν' ἰδέαν ἔχοντά σοι;
Διο. ἄῤῥητ' ἀβακχεύτοισιν εἰδέναι βροτῶν.
Πεν. ἔχει δ' ὄνησιν τοῖσι θύουσιν τινά;
Διο. Οὐ θέμις ἀκοῦσαί σ', ἔστι δ' ἄξι' εἰδέναι.
Cistis. *cistis ferebantur Orgia. Tibullus,*

Et leuis occultis conscia cista sacris.

Theocritus Bacchis,
Ἱερὰ δ' ἐκ κίστας πεπονημένα χερσὶν ἑλοῖσαι.

Profari

Profani, *βέβηλοι, ἀμυστηρίαστοι, ἀτέλεστοι.* Plangebant alij, *hunc locum imitatus Ouidius,*

Quacunque ingrederis, clamor iuuenilis, & vna
Feminea voces, impulsaq́ tympana palmis,
Concauáque æra sonant, longóque foramine buxus.

Talibus. *tandem è longa egressione sese recipiens, ad institutum redit. Dixerat, multos mortales è tota Thessalia cōuenisse, ad spectandum nuptiarum apparatum. eos nunc ait, cum oculos animúmque satiassent spectandis rebus pulcherrimis, discessisse quenque ad se, & locum aduentantibus dijs dedisse.* Hic qualis. *discedentes Thessalos vndis crescentibus, paulatimque longius recedentibus comparat. Comparatio sumpta ex* IIII. *Iliados.* Zephyrus. *pro quolibet vento Zephyrum dixit. alioqui enim, mane Zephyrum non flare, quòd tunc nimium longe sol ab occidente absit, docet Aristoteles Problematis.* Cachinni. *cachinnos vocat vndas maris, quæ paulatim diffunduntur in longum. ita enim os quoque ridentium hominum diffundi, atque extendi solet. Æschylus,*

Ὦ δῖος αἰθὴρ, καὶ ταχύπτεροι πνοαὶ,
Ποταμῶν τε πηγαὶ, ποντίων τε κυμάτων
Ἀνήριθμον γέλασμα, παμμῆτόρ τε γῆ.

Nantes à luce. *in alijs, variantes luce.* Ad se quisque, *in suas quisque ædes.* Princeps, *primus.* Chiron, *centaurus, de quo supra diximus.* Domus risit. *sumptum ab Hesiodo, qui ridere ait domum Iouis, canentium Musarum dulci voce conspersam.*

–γελᾷ δέ τε δώματα πατρὸς
Ζηνὸς ἐριγδούποιο, θεῶν ὀπὶ λειριοέσσῃ
Σκιδναμένῃ. *sic & Theognis,*

Πᾶσα

Πᾶσα μὲν ἐπλήσθη Δῆλος ἀπειρεσίη
Ὀδμῆς ἀμβροσίης, ἐγέλασσε δὲ γαῖα πελώρη.

Peneos, *Thessaliæ fluuius.* Nereidum, *alij Naiadum, alij Nessonidum. libri manu scripti, Minosium. diuinet alius. mihi quidem non liquet.* Non vacuus. *libri veteres, Nonacrios.* Sorore Flamari Phaethontis. *populo.* Solerti corde Prometheus. *eum enim iam liberauerat Hercules, sagittis interfecta aquila, quæ iecur illius depascebatur. narrat Apollonius libro secundo, Valerius Flaccus libro quinto. Quod autem solerti corde Prometheum nominat, exprimit epitheta, quæ Græci ei tribuunt, modo ἀγκυλομήτην, modo πολυμήτην vocantes. Hesiodus,*

Ὅτι μιν ἐξαπάτησε προμηθεὺς ἀγκυλομήτης.

Oppianus, – Ιαπετοῖο γόνος πολυμήτιε προμηθεύς. *ipse quidem apud Aeschylum sibi tribuit artium omnium intentionem. & idem etiam de eo dicitur apud Platonem in Protagora. Sciendum autem est, Prometheum à poetis deum haberi: vnde & hic Catullus eum inter deos recenset, & apud Aeschylum Vulcanus eum vocat* συγγενῆ θεόν: *& ipse de se loquens,*

Ἴδεσθέ με, *inquit,* οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεὸς.

Quinetiam colebatur in Academia vna cum Vulcano, & Minerua: vt Apollodorum, & Lysimachiden scripsisse ait interpres Sophoclis. Extenuata vestigia, *vinculorum videlicet, quibus ad Caucasum alligatus fuerat.* Pœnæ, *quòd Iouem decepisset in distribuendis carnibus, quòd viros, mulierésque effinxisset, quòd surripuisset ignem Vulcani & Mineruæ, eumq; hominibus tradidisset. Fuit autem filius Iapeti ex Themide, quæ eadem & Terra est, vt ex Aeschylo cogno-*

n

scitur. Clymenes tamen eum filium fuisse, eiusdem poetæ interpres alio loco tradit. Inde pater diuum. *Postremo venisse ait Iouem, Iunonémque, ac ceteros superos deos, præter Phœbum, qui solus in cælo relictus est, & Dianam, quæ in montibus suis mansit, neque tanti fecit Peleum, vt eius nuptias sua præsentia cohonestaret. Quod autem ad Apollinem attinet, ideo eum remouisse videtur ab his nuptijs Catullus, quia futurum erat, vt ipse Achillem interficeret: quâ in re sapientius fecit, quàm Aeschylus, qui affuisse deum illum, etiámque carmen nuptiale cecinisse dixit, quo Peleo & Thetidi fausta omnia prædiceret: ideóque Thetidem, interfecto filio, de vanitate ac perfidia Apollinis querentem facit. videtur enim occasionem quæsisse, quâ in dijs exempla leuitatis & mendacij ostenderet: quo nomine meritò à Platone reprehenditur, extremo secundo de republica libro. Plane tamen Homerus quoque libro vltimo Iliados, eum affuise, dicit.* Vnigenámque simul cultricem in montibus Idæ. *reliquit, inquit, te quidem, ò Phœbe, in cælo solum: cultricem vero Idæ, id est, Dianam, vnigenam, id est, quæ vno eodémque partu tecum genita est, reliquit in montibus, vbi propter venationis studium assidue versari solet. Satis autem mirari non possum, quid adduxerit, hominem eruditissimum, Petrum Victorium, vt hoc loco legat, Vnigenámque simul cultricem montis Itonis; & Palladem exponat. Primum enim, caussæ nihil confingi potest, cur Palladem eas nuptias aspernatam fuisse dicamus, ex quibus prognatum Achillem omni postea studio fouerit. Deinde, vt Itonem vrbem Mineruæ sacrã fuisse antea docui, ita vellem indicari mihi, quo loco eiusdem nominis mons fuisse dicatur. Postremo, quod caput est, sororem*

rorem vnigenam Phœbi, Mineruam accipere nullo modo possumus: sed Dianam tantum: quippe cum illa, vt omnes norunt, è Iouis cerebro enata sit, hanc Latona vno eodémque partu cum Apolline ediderit. itaque hoc loco, Victorij, ceterarum rerum accuratissimi hominis, diligentiam, vt ingenue fatear, requiro. Infirmo motu, *propter senectutem: qua de caussa, postea quoque dicit tremulum corpus.* Purpurea ora, *purpureo limbo. Parcas autem triformes, & Erinnyas necessitatis gubernatrices esse, ait apud Aeschylum Prometheus, Iouémque ipsum eis subijcit.* Læua colum. *nullus vnquam pictor nentes mulieres tam scienter expinxit, quàm Catullus his versibus.* Perfidiæ quod post nulla arguet ætas. *cum carmen illud, quod in his nuptijs Apollo cecinisse dicitur, postea Thetis perfidia arguisse dicatur.* Currite ducentes. *Virgilius,*

Talia secla, suis dixerunt, currite, fusis.

Expers terroris. *fortem significat:* ἄφοβος γάρ τις καὶ ὁ ἀνδρεῖος, *ait Aristoteles.* Qui persæpe vago. *pedum celeritatem Homerus Achilli peculiariter tribuit. Theon quoque eum à Chirone ad eam rem studiose exerceri solitum scribit.* Flammea, *flammæ instar, qua nihil celerius est, rapida, & incitata.* Periuri Pelopis vastabit tertius hæres, *Agamemnon, Pelopis ex Atreo nepos. Tertium autem dixit, puto, quia duos hæredes habuit Pelops, Atreum, & Thyesten.* Cum tremulo incanos. *soluere capillum mulieres Troianæ in suorum funeribus solebant. Virgilius,*

Et circum Iliades crinem de more solutæ.

Incanos autem dixit, valde canos. Idem alibi, Smyr-

nam incana diu sæcula peruoluent. Sic infractum animum dicimus. Variabunt, *liuidis ictuum notis distinguent.* Vnda Scamandri. *tangit fabulam, quam enarrat Homerus Iliados lib.* X X I. *huic autem loco similis est prædictio Neptuni apud Papinium,*

Quem tu illic natum Sigæo in puluere, quanta
Aspicies victrix Phrygiarum funera matrum:
Cum tuus Aeacides tepido modo sanguine Teucros
Vndabit campos, modo crassa exire vetabit
Flumina & Hectoreo tardabit funere currus.

Tepefaciet. *sic infra, Omentum in flamma pingue liquefaciens.* Percussæ virginis, *Polyxenæ, quæ ad Achillis cœnotaphium cæsa est. Vide Euripidem Hecuba, aut Senecam Troade.* Fors, *deus.* Neptunia soluere vincla. *muros à Neptuno extructos.* Felicia, τὰς εὐτυχίας Præsentes nanque ante. *quandiu homines pietatem coluerunt, dij cum ipsis familiariter crebro versari solebant: at ex quo, pietate neglecta, vitijs inquinata sunt omnia, videri se ab eis amplius noluerunt.* Annua dum festis. *bene animaduertit Guarinus, hoc de ludis Olympicis intelligi non posse, quippe qui annui non fuerint. sed nimirum, cum Cretes apud senatum esse Iouem dicerent, credibile est, eius natalem annuis ludis celebrare solitos esse. eóque respicere Catullum puto.* Sæpe vagus liber. *ad hunc locum intelligendum, vide, quæ disputantur à Macrobio, libro primo Saturnaliorum, quo loco Bacchum & Apollinem vnum eundémque deum esse demonstrat.* Rhamnusia virgo, *Nemesis.* Contingi lumine claro, *aperta in luce videri.*

AD

AD ORTALVM.

ETSI *me assiduo confectum cura dolore*
Seuocat à doctis Ortale virginibus,
Nec potis est dulces Musarum expromere fœtus
Mens animi: tantis fluctuat ipsa malis:
Nanque mei nuper Lethæo gurgite fratris,
Pallidulum manans alluit vnda pedem,
Troia Rhetea quem subter littore tellus,
Ereptum nostris obtegit ex oculis.
Alloquar? audiero ne vnquam tua verba loquentem?
Nunquam ego te vita frater amabilior
Aspiciam posthac? at certe semper amabo,
Semper mæsta tua carmina morte canam;
Qualia sub densis ramorum concinit vmbris
Daulias assumpti fata gemens Ityli.
Sed tamen in tantis mœroribus Ortale mitto
Hæc expressa tibi carmina Battiadæ:
Ne tua dicta vagis nequidquam credita ventis
Effluxisse meo forte putes animo,
Vt missum sponsi furtiuo munere malum
Procurrit casto virginis è gremio,
Quod miseræ oblita molli sub veste locatum,
Dum aduentu matris prosilit, excutitur;
Atque illud prono præceps agitur decursu,
Huic manat tristi conscius ore rubor.

Etsi me assiduo. *receperat Ortalo, se Callimachi elegiam de coma Beronices expressurum Latinis versibus, eique missurum. id igitur se, quamuis multis ex fraterna morte doloribus prepeditum, præstitisse dicit, ne rei sibi ab amico mandatæ immemor videretur.* Mens animi. *ita legendum est, non, vt alij inepte legunt, Mens hominum. Plautus Cistellaria, Nul-*

lam mentem animi habeo: ubi sum, ibi non sum. Idem Epidico, pauor territat mentem animi. Sic ingenium animi dixit poeta quidem vetus, quem citat Cornificius libro secundo ad Herennium, Sin inuerecundum animi ingenium possidet. Sic & Virgilius amentem animi Didonem. Alloquat? *recordatione mortis fraternæ, tantum dolorem animo sentit, vt, eius magnitudine, per aliquot versus abducatur à re proposita.* Daulias. *fabula ex Ouidio nota est.* Vt missum. *ne putes tua dicta ita ex meo animo effluxisse, vt malum è gremio virginis solet.* Sponsi, *proci. vt apud Horatium, Sponsi Penelopes.* E' gremio. *nec mulieri, nec gremio credi oportere, prouerbium est: quòd & illa incerti & leuis animi est; & plerunque in gremio posita, cum in obliuionem venerint exurgentium, decidunt. Festus.*

DE COMA BERENICES.

OMNIA *qui magni dispexit lumina mundi;*
Qui stellarum ortus comperit, atque obitus;
Flammeus vt rapidi solis nitor obscuretur;
Vt cedant certis sidera temporibus;
Vt Triuiam furtim sub Latmia saxa relegans
Dulcis amor, gyro deuocet aerio;
Idem me ille Conon cælesti numine vidit
E' Beroniceo vertice cæsariem,
Fulgentem clare; quam multis illa dearum,
Leuia protendens brachia, pollicita est,
Qua rex tempestate nouis auctus Hymenæis,
Vastatum fines iuerat Assyrios,
Dulcia nocturnæ portans vestigia rixæ,
Quam de virgineis gesserat exuuijs.
Est ne nouis nuptis odio Venus? an ne parentum

Frustran

Frustrantur falsis gaudia lacrymulis,
Vbertim thalami quas intra limina fundunt?
Non,ita me diui,vera gemunt,iuerint.
Id mea me multis docuit regina querelis,
Inuisente nouo prœlia torua viro.
At tu non orbum luxti deserta cubile,
Sed fratris cari flebile dissidium,
Cum penitus mæstas exedit cura medullas.
Vt tibi tunc toto pectore solicitæ
Sensibus ereptis mens excidit. atqui ego certe
Cognoram à parua virgine magnanimam.
An ne bonum oblita es facinus,quo regium adepta es
Coniugium,quo non fortius ausit alis?
Sed tum mæsta virum mittens,quæ verba locuta es?
Iuppiter,vt tersti lumina sæpe manu.
Quis te mutauit tantus deus?an quòd amantes,
Non longe à caro corpore abesse volunt?
Atque ibi,præ cunctis,pro dulci coniuge,diuis
Non sine taurino sanguine pollicita es,

*

Si reditum tetulisset is,haud in tempore longo,&
Captam Asiam Aegypti finibus adijceret.
Queis ego pro factis cælesti reddita cœtu,
Pristina vota nouo munere dissoluo.
Inuita o regina tuo de vertice cessi,
Inuita;adiuro téque,tuúmque caput,
Digna ferat,quod si quis inaniter adiurarit.
Sed qui se ferro postulet esse parem?
Ille quoque euersus mons est,quem maxima in oris
Progenies Phthiæ clara superuehitur,
Cum Medi irrupere nouum mare,cúmque iuuentus
Per medium classi barbara nauit Atho.

Quid facient crines, cum ferro talia cedant?
Iuppiter, vt χαλύβων omne genus pereat:
Et qui principio sub terra quærere venas
Instituit, ac ferri frangere duritiem.
Abiuncta paulo ante coma mea fata sorores
* Lugebant, cum se, Memnonis Aethiopis
* Vnigena impellente natantibus aera pennis,
* Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.
Isq; per æthereas me tollens aduolat auras,
Et Veneris casto collocat in gremio.
Ipsa suum Zephyritis eò famulum legarat,
* Grata Canopeis incola littoribus,
Scilicet in vario ne solum limite cæli
Ex Ariadneis aurea temporibus
Fixa corona foret: sed nos quoque fulgeremus
Deuotæ flaui verticis exuuiæ.
Vuidulam à fletu, cedentem ad templa deum, me
Sidus in antiquis diua nouum posuit.
Virginis & saui contingens nanque Leonis
Lumina, Callisto iuncta Lycaoniæ,
Vertor in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Sed quanquam me nocte premunt vestigia diuum,
Luce autem canæ Tethyi restituor.
Pace tua fari hæc liceat Rhamnusia virgo,
Nanque ego non vllo vera timore tegam,
Non, si me infestis discerpant sidera dictis,
Condita quin vere pectoris euoluam,
Non his tam lætor rebus, quàm me abfore, semper
Abfore me à dominæ vertice discrucior.
Quicum ego dum virgo quondam fuit omnibus expers,
Vnguentorum vna millia multa bibi.

Nunc

Nunc vos,optato quas iunxit lumine tæda,
Non prius vnanimis corpora coniugibus
Tradite,nudantes reiecta veste papillas,
Quàm iucunda mihi munera libet onyx,
Vester onyx,casto colitis quæ iura cubili.
Sed quæ se impuro dedit adulterio,
Illius mala dona leuis bibat irrita puluis:
Nanque ego ab indignis præmia nulla peto.
Sic magis o nuptæ semper concordia,vestras
Semper amor sedes incolat assiduus.
Tu vero regina tuens cum sidera, diuam
Placabis festis luminibus Venerem
Sanguinis expertem, non votis esse tuam me,
Sed potius largis effice muneribus.
Sidera cur retinent? vtinam coma regia fiam,
Proximus Arcturos fulgeat Erigone.

Omnia qui magni. *si Callimachi carmina, è quibus hæc expressa sunt,ad nos peruenissent; neque in his intelligendis laboraremus, & ex duorum, sua vtriusque lingua,optimorum poetarum collatione,insignem quandam, plenámque vtilitatis caperemus animo voluptatem.iuuaret Græca cum Latinis componere,inspicere non in singulis modo vocibus,sed in figuris etiam luminibúsque orationis, in ipsa ratione numerorum, ac denique in tota structura poematis, quàm apte & scienter Græci poetæ, in hoc genere inter suos facile primi, vim ac leporem, Latinorum poetarum sine controuersia politissimus assecutus fuisset. Quam commoditatem quando siue fatum nobis, siue quo alio nomine appellari placet illud, quidquid est, quod in his rebus valet, eripuit; illúdque præterea accessit mali, vt his quoque, sicut ceteris, Catulli versibus valde magnam labem*

importarit vetustas: spero equidem, in his difficultatibus, quanto facilior lapsus est, tanto mihi, sicubi offendero, paratiorem apud bonos veniam fore. Huius autem poematis hoc fere argumentum est. Ptolemaeus cognomento Euergetes Berenicen, seu Beronicen, (vtroque enim modo nomẽ hoc scriptum reperio) Ptolemai Philadelphi ex Arsinoe priore filiam, sororem suam, in matrimonio habuit. neque enim ea coniunctio inhonesta Aegyptiorum legibus habebatur. ea recens ducta, contigit, vt expeditionem aduersus Assyrios susciperet. in quam cum proficisceretur, vouisse crinem suum Veneri Berenice dicitur, si sibi vir suus sospes, victórque rediret domum. cuius deuotionis sua cum, re praeclare à Ptolemao gesta, conuictam se iudicio deorum immortalium videret, quo se religione exolueret, crinem rite in Veneris aede appendit. is cum postridie repertus non foret; magnóque, ob eam rem, rex regináque in maerore essent; Conon, mathematicus ea tempestate excellens, persuasit ipsis, crinem deum numine sublatum in caelum, & in sidus conuersum fuisse: idque Callimachus, qui principem illum, propter singulare bonarum artium studium, numinis loco habebat, hoc poemate complexus est. Principium autem continet insignem commendationem Cononis, à praestanti caelestium rerum scientia. Vt Triuiam. *Lunam.* Sub Latmia saxa; *ad deosculandum Endymionem, qui illic ab ipsa sopitus esse dicitur.* Idem me ille Conon. *versus Graci duo reperiuntur apud Theonem commentarijs in Aratum, quos quattuor versibus hoc loco Catullus expressit. nam cum dixisset Aratus, ad virginis sidus sparsas esse stellas aliquot, qua nomine carerent, addit ille, quem modo nominaui, interpres,* οἱ δ᾽ ἐπλανῆτο

αὐτός

αὐτοὺς λέγουσι, κόνων δὲ ὁ μαθηματικὸς πτολεμαίῳ χαριζόμενος βερονίκης πλόκαμον ἐξ αὐτῶν κατηστέρισε. τοῦτο καὶ καλλίμαχός πού φησιν,

Ἠ δὲ κόνων μ' ἔβλεψεν ἐν ἠέρι τὸν βερονίκης
  Βόστρυχον ὅν κείνη πᾶσιν ἔθηκε θεοῖς.

Dulcia nocturnæ, *impressas collo, labrisque dentium notas, aliáque eiusmodi.* Est ne nouis nuptis. *expositurus dolorem, quem Berenice ex viri abitu cepit, primùm interrogat, vero ne an falsò lacrumentur puellæ, cum deducuntur ad viros: & num graue ipsis sit, sua virginitate spoliari. deinde respondet, fictum esse totum illud lacrumarum genus: idque ex eo colligit, quod Berenice magnam vim querelarum, marito discedente, profudit. si enim nocturnos illos conflictus odio haberent puellæ, nunquam tantopere doluisset Berenice, sibi, absente viro, soli cubandum fore. Ac, quoniam id paulo lasciuius dictum videri poterat, addit aliam causam illius doloris, negátque doluisse illam, quòd à viro, sed quòd à fratre carissimo seiungeretur.* An ne parentum. *tale quiddam dixit & in posteriore nuptiali carmine.* Iuerint. *è verbo, iuuerint, posterius, v. detractum est: sicq́; commissione vocalium, prima syllaba breuis effecta.* Dissidium. *separationem corporum hoc loco indicat. Cicero pro domo sua, Defleui coniugis miseræ dissidium, liberorum carissimorum solitudinem, fratris absentis amantissimi, atque optimi casum. Idem in Antonium, Ipse autem amore ardens, confirmabat, quòd desiderium tui dissidÿ ferre non posset, se in exilium esse iturum.* Magnanimam. *Hyginus libro secundo Astronomicon, Hanc Beronicen, inquit, non nulli cum Callimacho dixerunt, equos alere, & ad Olympia mittere consuetam.*

Aliÿ

Alij dicunt hoc amplius, Ptolemaeum Beronices patrem, multitudine hostium perterritum, fuga salutem petisse: filiam autem, saepe cōsuetam, insilijsse in equum, & reliquam exercitus copiam constituisse, & complures hostium interfecisse, reliquos in fugam coniecisse: pro quo etiam Callimachus eam magnanimam dixit. An ne bonum oblita es facinus. *illud videlicet, quod modo ex Hygino retulimus. Subindicat autem, ex illo facinore, fratrem ipsius amore esse correptū.* Quo non fortius ausit alis. *quo facinore nullum fortius, maiorisve animi, à quoquam alio suscipi queat. Alis enim, ait Priscianus libro* XII. *antiquissimi pro alius protulerunt.* Atque ibi. *post hoc distichon, aliquot versus desiderantur, quibus, vt suspicor, Berenices vota exequebatur poeta.* Queis ego pro factis, *id est, quae quoniam ita contigerunt, vt tu à dijs poposceras; tuáque illa deuotio conuicta, & commissa est.* Digna ferat. *quod caput tuum si quis inaniter adiurare ausus fuerit, meritas poenas violatae religionis luat.* Sed qui se ferro. *quo modo ego, quae mollis sum, & tenera ferro resistere potuissem, cum montes quoque ipsi ferro excindantur?* Ille quoque euersus. *montem Athon significat, ab exercitu Xerxis excisum. Ceterum locus hic varie legitur, variéque exponitur: à non nullis hoc modo,*

Ille quoque euersus mons est, quem maxima natu
Progenies Phthiae clara superuehitur.

ij q; exponūt, maximam natu Phthiae progeniem populos eius montis verticem incolentes, qui diutissime viuant, ob idque Macrobij vocentur. Athos enim modo Thraciae modo Macedoniae, modo Phthiae, id est, Thessaliae tribuitur. Alij legunt,

Ille

Ille quoque euersus mons est, quem maximum in oris - Progenies Phthiæ clara superuehitur. exponúntque claram progeniem, ipsum Xerxis exercitum. in verbo autem superuehitur, esse enallagen temporum, vt sit præsens pro præterito. Nec desunt, qui legant maximum in orbe. Omnino deprauatus locus est, neque, nisi antea purgatus fuerit, satis commode, vel à me, vel à quoquam alio explicari potest. Cum medi. *historia ex Herodoto, Plinio, Iustino, Probo, aliísque notissima est.* Quid facient crines. *complexio à maiori.* Iuppiter vt Chalybon omne genus pereat. *versum hunc primus restituit Angelus Politianus, è scholijs in Apollonium, vbi locus hic è Callimacho citatur,*

-χαλύβων ὡς ἀπόλοιτο γένος.
Γειόθεν ἀντέλλοντα κακὸν φυτὸν ἄμμιν ἔφηναν.

apud Politianum tamen τηλόθεν *pro* γειόθεν *legitur, sed male. videndum quoque, num prior versus ita legi possit,*

Ζεῦ πάτερ, ὡς χαλύβων πᾶν ἀπόλοιτο γένος.

Chalybes autem Scythiæ populi sunt ad fluuium Thermondontem, dicti à Chalybe Martis filio: qui ferrum, ferríque vsum primi inuenerunt. hinc est, quod Scythiam Æschylus vocat αἶαν σιδηρομήτορα. *Virgilius,*

India mittit ebur, molles sua tura Sabæi,
At Chalybes nudi ferrum.

Abiunctæ. *deprauatum esse locum hunc, nemo non videt. cum autem & veteres libri nihil opis afferant, & coniectura omnis periculosa sit, parce omnino hos versus, & timide attingam. Extarent Græca Callimachi: facilia omnia & expedita essent. at hoc optare est. Quantum igitur in tantis tenebris videre possum, hic sensus est.* Comæ sorores, *eæ nempe quæ in reginæ capite remanserant, lugebant mea*

fata

fata, quæ paulo ante à suo consortio abiuncta essem: cum ales equus Chloridos, quæ, Zephyri uxor est, (de hoc autem equo nihil alibi reperire potui) obtulit se mihi, Arsinoæ: (id nomen vrbis est, quam Ptolemæus Philadelphus à se conditam, sororis nomine insignierat) idque, Memnonis Æthiopis vnigena, id est, Aurora, quæ vnum Memnonem ex Tithono genuit, impellente aera natantibus pennis, (ita enim hoc postremum in veteribus non nullis legitur) id est, exoriente. Hæc attuli, quia, vt verum fatear, nihil aptius excogitare potui: non quòd ipsi mihi magnopere satis faciant. si quis vel ingenio, vel eruditione maiore instructus, quod facillimum est, vel meliores libros nactus, veriora protulerit, gratulabor. Pegasum quidem, excusso Bellerophonte, Auroræ à Ioue dono datum, narrat interpres Homeri in V I. *Iliados: si quid hoc forte ad rem facit. etenim in tam deprauato loco, haud sane video, qua via insistere oporteat.* Zephyritis. *Chloris.* Famulum, *equum ipsum.* Grata Canopæis. *hic quoque versus* Oedipum *quempiam desiderat. Nam quòd non nulli de Venere hoc intelligunt, quæ in Ægypto colatur, manifesto alienum est.* Scilicet. *nimirum, ne vnum tantum sidus esset in cælo, è puellæ temporibus decerptum, nempe corona Ariadnes: sed ego quoque eum numerum augerem.* Vuidulam à fletu. *madentem lacrymis, quas, quòd à regina diuellerer, profuderam.* Ad templa deum. *in cælum.* In antiquis, *inter antiqua sidera.* Diua. *venus.* Virginis, *quam alij Erigonen, alij Astræam esse dicunt. indicat autem locum, quo posita est coma, enumeratione vicinorum siderum.* Callisto iuncta Lycaoniæ. *ad Vrsam, in quam ver-*

sa

sa est Callisto Lycaonis filia. hoc autem sidus & plaustrum quoque, & septem triones vocant. Porro Proculus quoque ad finem Sphaerae, comam numerat inter signa ad septem triones vergentia. Booten. *qui & arcturus, & arctophylax dicitur. tardum autem vocat, quòd sero admodum occidat.* Sed quanquam. *quanquam, inquit, eum honorem assecuta sum, vt noctu quidem vestigia me deorum caelo incedentium premant; interdiu autem, vna cum ceteris stellis, Tethyos gremio; id est, mari excipiar: tamen laetitiam ex his rebus tantam non capio, quantum dolorem ex eo, quòd haerere amplius in dominae capite non possum.* Pace tua, *quia arrogantius videri poterat, quod dictura erat, se non tanti facere siderum consortium, vt non mallet adhuc in dominae capite haerere: idcirco prius Nemesin deprecatur.* Non si me infestis. *non, si scirem fore, vt me, ob hoc dictum, sidera indignata discerperent.* Euoluam. *diaeresis.* Qui cum ego. *quae me, quandiu virgo fuit, multis vnguentorum millibus perunxit.* Omnibus expers, *intacta. Expers autem cum sexto casu coniunxit, more veterum. Plautus,*

Eo te more expertem factam aduenient offendi domum.
idem. Ea res me domo expertem facit.

Nunc vos. *nouas nuptas orat, vt ne ante coniugibus faciant copiam sui, quàm in ipsius honorem, partem vnguenti aliquam libauerint. Libare autem hic valet spargere; vt,*

Dixit, & in mensa laticum libauit honorem.

Onyx, *vas vnguentarium ex onyche gemma.* Sic magis. *sic magis ac magis in dies vobis cū viris vestris conueniat; magisq́; assiduè inuicē ametis.* Tu vero regina.

tandem

tandem ad reginam se cōuertit;suadétque,ut non ociosis ac inanibus votis,sed largis muneribus adducat Venerem,ut se è cælo rursum in caput, à quo abscissa fuerat, redire patiatur. Festis luminibus, *diebus festis.* Venerem sanguinis expertem, *Venerem Paphiam, cuius aram sanguine maculari nefas erat. itaque ture tantum ei,floribúsque fiebat. Virgilius,*

Ipsa Paphum sublimis abit,sedésque reuisit
Læta suas,ubi templum illi,centúmque Sabæo
Ture calent aræ,sertisque recentibus halant.

Vtinam coma regia fiam. *utinam,inquit, rursum redeam in caput reginæ,fulgeátque Bootes siue Arcturos proximus Erigonæ, ut,priusquam ego in sidus conuerterer,interij cerérque inter ipsum & Erigonen. Postremus autem versus,ut à nobis scriptus est, ita legitur in veteribus libris: etiámque ratio ipsa,ut ita legatur, necessario postulat:quo magis mirandum est,quid cogitarit Politianus, cum hunc locum adhibita industria corumperet,collectis, si dijs placet,multis locis, quibus planum faceret,à Græcis interdum Oarionē pro Orione dici:quasi id ageretur. itaque merito incidit in aculeos reprehensorum,præcipue Marulli, qui quodlibet vadimoniū,ut dicitur,potius deseruisset, quàm vllam exagitandi illius occasionem. eius igitur illa sunt,*

Oarionem pro Erigone citat Ecnomus.vnde?
Non facit ad mores virgo,sed Oarion.

& hoc item alterum,

Quæris,qua niteat docto coma parte Catullo?
Proximus Arcturo fulgor & Erigonæ est.
Virginis,& sæui contingens nanque Leonis
Lumina,Callisto iuncta Lycaoniæ,

Flectit

Flectit in occasum, tardum dux ante Booten,
Qui vix sero alto mergitur Oceano.
Quæ tu si relegens, vbi sit coma regia, quæris,
Ecnome, aquam medio quæris in Oceano.
Quamuis, quid relegas, vitijs miser, inuidiáque
Obrutus, ingenijs candor inesse solet.
Ergo dum omnia conturbas, dum credere doctis
Negligis, & per te nil sapis ipse tamen,
Fecisti Oarionem ex Erigone, ex Arcturo
Hydrochoum. iam quod monstrum erit ipsa coma?

Hinc autem videri potest, illustres homines, quique magnum nomen habent in literis, quanto periculo peccent. effecit enim Politiani auctoritas, vt nullus iam, quod sciam, extet liber impressus, in quo non, reiecta vera lectione, nothus ille, & suppositicius versus legatur,
Proximus Hydrochoo fulgeat Oarion.

AD IANVAM IMPVDICAE CVIVSDAM MVLIERIS.

O DVLCI *iucunda viro, iucunda parenti,*
Salue, téque bona Iuppiter auctet ope,
Ianua, quam Balbo dicunt seruisse benigne
Olim, cum sedes ipse senex tenuit;
Quámque ferunt rursus voto seruisse maligno,
Postquam est proiecto facta marita sene.
Dic agedum nobis, quare mutata feraris
In dominum veterem deseruisse fidem.
Non, ita Cæcilio placeam, cui credita nunc sum,
Culpa mea est, quanquam dicitur esse mea.
Nec peccatum à me quisquam pote dicere quidquam,
*
Quin quacunque aliquid reperitur non bene factum,

Ad me omnes clamant,ianua,culpa tua est.
Non istuc satis est vno te dicere verbo,
Sed facere, vt quiuis sentiat,& videat,
Qui possum? nemo quærit,nec scire laborat.
Nos volumus:nobis dicere ne dubita.
Primum igitur,virgo quòd fertur tradita nobis,
Falsum est. non illam vir prior attigerat,
Languidior tenera cui pendens sicula beta,
Nunquam se mediam sustulit ad tunicam,
Sed pater ipsius nati violasse cubile
Dicitur,& miseram conscelerasse domum:
Siue quòd impia mens cæco flagrabat amore,
Seu quòd iners sterili semine natus erat:
Ne quærendum aliunde foret neruosius illud,
Quod posset zonam soluere virgineam.
Egregium narras mira pietate parentem,
Qui ipse sui gnati minxerit in gremium.
Atqui non solum hunc se dicit cognitum habere
Brixia Chinææ suppositæ speculæ,
Flauus quam molli percurrit flumine Mela,
Brixia Veronæ mater amata meæ;
Sed de Postumi,& Corneli narrat amore,
Cum quibus illa malum fecit adulterium.
Dixerit hic aliquis: qui tu istæc ianua nosti,
Cui nunquam domini limine abesse licet,
Nec populum auscultare; sed huic suffixa tigillo
Tantum operire soles,aut aperire domum?
Sæpe illam audiui furtiua voce loquentem
*Solam * consilijs hæc sua flagitia,*
Nomine dicentem,quos diximus; vtpote,quæ mi
Speraret nec linguam esse,nec auriculam.
Præterea addebat quendam,quem dicere nolo

Nom

Nomine, ne tollat rubra supercilia.
Longus homo est, magnas cui lites intulit olim
Falsum mendaci ventre puerperium.

O dulci iucunda viro. *dialogus est, quo ad sceleratas libidines nescio cuius mulieris detegendas, ianuã ædium illius cum popularibus aliquot loquentem, eásque ipsis indicantem facit. Tantum est. non enim puto in huiusmodi historijs cognoscendis multum operæ collocandum. Stultum est, quæ ita scripsit Catullus, vt ne tum quidem, nisi à paucis, quibus hæ res cognitæ essent, voluerit intelligi, ea se quenquam hodie credere coniectura assecuturum. pauca igitur quædam cursim annotabimus: de historia quidem ipsa suum cuique iudicium relinquemus. non enim eo hæc legimus, vt sciamus, quæ tandem illa fuerit, à qua hæc tam pulchra edita sint facinora; quisve aut senex ille Balbus, aut inualidus filius, aut officiosus pater, aut ceteri denique participes huius tam honestæ societatis: quos, ne tum quidem, cum viuerent, cognoscere, vlla laus erat: sed vt animaduertamus, si qua insint, quæ ad Romani sermonis elegantiam facere videantur. hoc igitur agamus.* Postquam est *alij, postquam es. ego ianuam maritam dici posse non arbitror.* Non, ita. *ianua loquitur. eodem autem modo Propertius libro primo, ianuam quandam de dominæ suæ impudicitia querentem facit.* Nec peccatum à me. *post hunc versum pentameter desideratur. itaque concurrerunt emendatores, vt ad mulctram muscæ; &, quod quisque potuit, attulerunt. alius,*

Verum istæc potius ianitor ipse facit: alius,
Verum istis me auctorem esse facit populus: alius,

Verum isti populo di mala multa ferant.
Guarinus ait, vidisse se librum veterem, in quo esset,
Verum isti populo ianua quid reficit.
at ex hoc nulla idonea sententia exprimi potest. Ego, inane spatium relinquere, quàm inanes versus ponere, satius duxi. Non satis est. *viatores loquuntur. deinde ianua,* Qui possum? &c. *tum illi rursum,* Nos volumus, &c. Sicula. *sica, gladij genus est, ex quo ad imminutionem inflectitur sicula. hic autem eam sicam intelligit, qua natura muniuit mares; quaéq; vna sine periculo legis Corneliæ gestari potest, cum comparata non sit interficiendorum hominum caussa.* Ne quærendum aliunde foret. *imprudentis patrisfamilias esset, rogare vtendum foris, id quod ipsi præsto est domi.* Zonam soluere virgineam. *puellæ virginitatem adimere. Homerus Odyssea* Λ.

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ᾽ ὕπνον ἔχευεν.

Theocritus,

Λῦσε δέ οἱ μίτρην, καὶ οἱ λέχος ἔντυνον ὧραι. *Musæus,*

Ὣς ἡ μὲν ταῦτ᾽ εἶπεν, ὁ δ᾽ αὐτίκα λύσατο μίτρην.

vnde & ἀμίτρους vocabant innuptas. Callimachus,

Πάσας εἰνέτεας, πάσας ἔτι παῖδας ἀμίτρους.

quem in locum interpres, μίτρας, inquit, ἐζώννυντο, ἃς ἔλυον, ὅταν ἔμελλον διαπαρθενεύεσθαι. Egregium narras. *rursum viatores loquuntur.* Minxerit in gremium. *sic Persius,*

Patriciæ immeiat vulvæ.

Vrinam etiam genitalem, pro semine Plinius dicit. Atqui. *ianuæ verba sunt.* Solam consiliis. *Manutius suspicatur legendum, consciolis: egóque assentior.* Ne tollat rubra supercilia. *gestus minantium,*

tium, isque, vt suspicari licet, ei, quo de hic agitur, familiaris.

AD MANLIVM.

QVOD *mihi fortuna, casúque oppressus acerbo,*
Conscriptum lacrymis mittis epistolium,
Naufragum vt eiectum spumantibus æquoris vndis
Subleuem, & à mortis limine restituam,
Quem neque sancta Venus molli requiescere somno
Desertum in lecto cœlibe perpetitur,
Nec veterum dulci scriptorum carmine Musæ
Oblectant, cum mens anxia peruigilat;
Id gratum est mihi, me quoniam tibi ducis amicum,
Muneraq́; & Musarum hinc petis, & Veneris.
Sed tibi ne mea sint ignota incommoda Manli,
Neu me odisse putes hospitis officium,
Accipe, queis merser fortunæ fluctibus ipse,
Ne amplius à misero dona beata petas.
Tempore, quo primum vestis mihi tradita pura est,
Iucundum cum ætas florida ver ageret,
Multa satis lusi: non est dea nescia nostri,
Quæ dulcem curis miscet amaritiem.
Sed totum hoc studium luctu fraterna mihi mors
Abstulit. o misero frater adempte mihi:
Tu mea, tu moriens fregisti commoda frater:
Tecum vna tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Cuius ego interitu tota de mente fugaui
Hæc studia, atque omnes delicias animi.
Quare, quod scribis, Veronæ turpe Catullo
Esse, quòd hic quisquam de meliore nota
Frigida deserto tepefecit membra cubili;

Id Manli non est turpe, magis miserum est.
Ignosces igitur, si, quæ mihi luctus ademit,
Hæc tibi non tribuo munera, cum nequeo.
Nam, quod scriptorum non magna est copia apud me,
Hoc fit, quod Romæ viuimus: illa domus,
Illa mihi sedes, illic mihi carpitur ætas,
Huc vna è multis capsula me sequitur.
Quod cum ita sit; nolim statuas, me mente maligna
Id facere, aut animo non satis ingenuo,
Quòd tibi non vtriusque petiti copia facta est.
Vltro ego deferrem, copia si qua foret.
Non possum reticere deæ, qua Manlius in re
Iuuerit, aut quantis iuuerit officijs,
Ne fugiens sæclis obliuiscentibus ætas
Illius hoc cæca nocte tegat studium.
Sed dicam vobis: vos porro dicite multis
Millibus, & facite, hæc charta loquatur anus;
Omnibus inque locis celebretur fama sepulti,
Notescátque magis mortuus, atque magis:
Ne tenuem texens sublimis aranea telam,
Deserto in Manli nomine opus faciat.
Nam, mihi quam dederit duplex Amathuntia curã,
Scitis, & in quo me corruerit genere,
Cum tantum arderem, quantum Trinacria rupes,
Lymphàque in Oetæis * Malia Thermopylis,
Mæsta nec assiduo tabescere lumina fletu
Cessarent, neque tristi imbre madere genæ.
Qualis in aerij pellucens vertice montis
Riuus muscoso prosilit è lapide:
Qui cum de prona præceps est valle volutus,
Per medium densi transit iter populi,
Dulce viatori lasso in sudore leuamen,

Cum grauis exustos æstus hiulcat agros.
At velut in nigro iactatis turbine nautis
Lenius aspirans aura secunda venit,
Iam prece Pollucis, iam Castoris implorata,
Tale fuit nobis Manlius auxilium.
Is clausum lato patefecit limite campum,
Isq; domum nobis, isque dedit dominam,
Ad quam communes exerceremus amores.
Quò mea se molli candida diua pede
Intulit, & trito fulgentem in limine plantam
Innixa, arguta constitit in solea.
Coniugis vt quondam flagrans aduenit amore
Protesilaeam Laedamia domum,
Accepta frustra: nondum cum sanguine sacro
Hostia calesteis pacificasset heros.
Nil mihi tam valde placeat Rhamnusia virgo,
Quod temere inuitis suscipiatur heris.
Quàm ieiuna pium desideret ara cruorem,
Docta est amisso Laodamia viro,
Coniugis ante coacta noui dimittere collum,
Quàm veniens vna, atque altera rursus hiems
Noctibus in longis auidum saturasset amorem,
Posset vt abrupto viuere coniugio.
Quod scibant Parcæ non longo tempore abesse,
Si miles muros isset ad Iliacos.
Nam tum, Helenæ raptu, primores Argiuorum
Cœperat ad sese Troia ciere viros,
Troia, nefas, commune sepulcrum Europæ, Asiæq;
Troia virum, & virtutum omnium acerba cinis,
Quæ nempe & nostro letum miserabile fratri
Attulit. hei misero frater adempte mihi:
Hei misero fratri iucundum lumen ademptum:

Tecum vna tota est nostra sepulta domus:
Omnia tecum vna perierunt gaudia nostra,
Quæ tuus in vita dulcis alebat amor.
Quem nunc tam longe non inter nota sepulcra,
Nec prope cognatos compositum cineres,
Sed Troia obscœna, Troia infelice sepultum
Detinet à nostro terra aliena solo.
Ad quam tum properans fertur simul vndique pubes
Græca penetrales deseruisse focos:
Ne Paris abducta gauisus libera mœcha
Ocia pacato degeret in thalamo.
Quo tibi tum casu pulcherrima Laodamia
Ereptum est vita dulcius, atque anima
Coniugium. tanto te absorbens vortice, amoris
Aestus, in abruptum detulerat barathrum.
Quale ferunt Graij Peneum propter amœnum
Siccari emulsa pingue palude solum,
Quod quondam cæsis montis fodisse medullis
Ausus falsiparens Amphitryoniades,
Tempore quo certa Stymphalia monstra sagitta
Perculit, imperio deterioris heri,
Pluribus vt cæli tereretur ianua diuis,
Hebe nec longa virginitate foret.
Sed tuus altus amor barathro fuit altior illo,
** Quod diuum dominum ferre iugum docuit.*
Nam neque tam carum confecto ætate parenti
Vna caput seri nata nepotis alit,
Qui cum diuitijs vix tandem inuentus auitis
Nomen testatas intulit in tabulas,
Impia derisi gentilis gaudia tollens,
Suscitat à cano vulturium capite:
Nec tantum niueo gauisa est vlla columbo

Compar,

Compar, seu quidquid dicitur improbius
Oscula mordenti semper decerpere rostro,
Quantum præcipue multiuola est mulier.
Sed tu harum magnos vicisti sola furores,
Vt semel es flauo conciliata viro.
Aut nihil, aut paulo cui tum concedere digna
Lux mea se nostrum contulit in gremium:
Quam circum cursans huc illuc sæpe Cupido,
Fulgebat crocina candidus in tunica.
Quæ tamen & si vno non est contenta Catullo,
Rara verecundæ furta feremus heræ;
Ne nimium simus stultorum more molesti.
Sæpe etiam Iuno maxima cœlicolum
Coniugis in culpa flagrauit quotidiana,
Noscens omniuolι plurima furta Iouis.
Atqui nec diuis homines componier æquum est,

*

Nec tamen illa mihi dextra deducta paterna,
Fragrantem Assyrio venit odore domum;
Sed furtiua dedit nigra munuscula nocte,
Ipsius ex ipso dempta viri gremio.
Quare illud satis est, si nobis id datur vnis,
Quo lapide illa diem candidiore notet.
Hoc tibi, quo potui, confectum carmine munus
Pro multis alijs redditur officijs;
Ne nostrum scabra tangat rubigine nomen
Hæc atque illa dies, atque alia, atque alia.
Huc addant diui quamplurima, quæ Themis olim
Antiquis solita est munera ferre pijs.
Sitis felices & tu simul, & tua vita,
Et domus ipsa, in qua lusimus, & domina,
*Et qui principio nobis dominam dedit, à quo

Sunt primo nobis omnia nata bona,
Et longe ante omnes mihi quæ me carior ipso est,
Lux mea; qua viua, viuere dulce mihi est.

Quod mihi fortuna. *pulcherrima omnino hæc elegia est, atque haud scio, an vlla pulchrior in omni Latina lingua reperiri queat. nam & dictio purissima est: & mira quadam affectuum varietate permista oratio: & tot vbique aspersa verborum ac sententiarum lumina, vt ex hoc vno poemate perspicere liceat, quantum Catullus ceteris in hoc genere omnibus præstare potuerit, si vim ingenij sui ad illud excolendum contulisset. primum enim, quod Manlius in duris atque acerbis rebus suis, ea, quæ sibi solatio forent, ab ipso potissimum petere voluerit, gratam sibi esse affirmat illam amicitiæ significationem. cum autem ille duorum generum munera peteret, Musarum videlicet, & Veneris: ostendit neutrum à se præstari posse; quòd è fratris sui morte tantum dolorem hauserit, vt earum rerum studia ipsi penitus ex animo excesserint. postremo, beneficia à Manlio apud se posita elegantissimis versibus commemorat; eique fausta feliciaque omnia à dijs immortalibus comprecatur.* Epistolium. *ita Pacuuius prologium,*

Quid est? nam me exanimasti prologio tuo.

A mortis limine restituam. *sic Virgilius Culice, -cum te Restitui superis letiiam limine ab ipso.* Vestis pura. *quæ dabatur annum fere agentibus decimum sextum.* Iucundum cum ætas. *elegans iuuentutis descriptio. Eratosthenem autem dixisse tradunt, primam illam viriditatem ætatis, ver vitæ esse; corroboratam ætatem, constitutámque, æstatem, & autumnum; quibus senectutem, quasi hiemem quandam, succedere*

cedere. Quæ dulcem. *ſic ſupra, Sancte puer, curis &c. Plato quoque Amorem* γλυκύπικρον *nominat.* Huc vna è multis. *è multis librorum capſis, vnam tantum, eámque exiguam, mecum conuehendam curare ſoleo, cum huc commigro.* Non poſſum reticere. *vehementiſſima amoris ſui expreſſio. cum enim vi doloris oppreſſus, poetica ſtudia penitus abiecerit; negat tamen facere ſe poſſe, quin accepta à Manlio beneficia verſibus, ad perpetuandam ipſius gloriam, exequatur.* Sæclis obliuiſcentibus, *clarorum hominũ res geſtas, niſi quibus Muſarum cantus acceſſerit, perpetua obliuione ſepelientibus. Appoſite autem Muſas ad illuſtrandum Manlium inuocat; quippe quarum proprium eſt, præſtãtium virorum famam ab iniuria mortalitatis aſſerere. Horatius,*

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Tibullus,

Quem referent Muſæ, viuet, dum robora tellus,
Dum cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

Theocritus,

αἰεὶ τοῦτο Διὸς κούραις μέλει αἰὲν ἀοιδαῖς,
ὑμνεῖν ἀθανάτους, ὑμνεῖν ἀγαθῶν κλέα ἀνδρῶν.

Duplex, *doloſa, verſuta. ſic Horatius,*

Nec curſus duplicis per mare Vlyſſei.

Amathuntia, *Venus. ſic ſupra,*

-quæq; Amathunta, quæq; Golgos.

Corruerit, *proſtrauerit. Annotandus autem eſt vſus hic verbi, corruo, non admodum frequens. eo tamen ad eundem modum vſus eſt alicubi Lucretius. Lambinus meus, cuius ego doctrinam & iudicium plurimi facio, hunc verſum ita legit:*

Scitis, & in quo me exercuerit genere.

aitque

aitque se vidisse veterem librum, in quo esset, exhorruerit: vnde ipse eam, quam dixi, coniecturam facit. in meo quidem, qui scriptus est centum & eo amplius ab hinc annos, omnibus literis aperte legitur, corruerit. Trinacria rupes, *Ætna*, Malia, *à Maliaco, vt opinor, sinu.* Thermopylis. *tractus montanus est, qui mediã Græciam diuidit, calidis balneis nobilis.* Qualis in aerij. *lacrymas ex oculis suis profluẽtes riuo comparat, quem quidem riuum ita describit, vt eum oculis subijcere videatur.* Qui cum de prona. *qui cum præceps deuolutus est per pronam vallem. Est autem tmesis in verbo, deuolutus.* At velut. *quale auxilium est, ventus secundus agitatis iam diu nautis, & de salute sua desperantibus, tale mihi Manlius fuit.* Is clausum. *campum, quem latissimum habebat, mihi patefecit, secúmque communem esse voluit.* Arguta, *breui. Hanc autem, quam sibi à Manlio datam fuisse dicit, Lesbiam esse non arbitror, sed aliam quampiam: idque præcipue ex fine huius elegiæ colligo.* Protesilaeam. *Laodamiæ comparat puellam illam, cuius sibi vsum concesserat Manlius: simúlque more suo digreditur ad Laodamiæ fabulam explicandam. ea vxor Protesilai fuit, quæ cum maritum suum primum ex omnibus Græcis in bello Troiano ab Hectore interfectum esse audisset, nimio illius desiderio contabuit. Sunt, qui dicant, viri vmbram ei se in somnis obtulisse, inque illius complexibus ipsam emortuam. Alij, obtinuisse Protesilaum, vt ex inferis, ad visendam vxorem, reuerteretur: cúmque eam reperisset adiacentem imaguncula, qua viri mortui vultum exprimendum curauerat, petisse, vt ne sibi amplius superstes esse vellet: tum ipsam, acta per pectus hasta, sibi mortem attulisse. Quod autem*

tam

tam breui tempore, marito suo frui, ipsi licuerit, Catullus deorum iram in caussa fuisse dicit, quibus ante nuptias sacra rite perpetrata non forent. Acerba cinis. *sic Caluus,*

Cum iam fulua cinis fuerit. Idem,

Forsitan hoc etiam gaudeat ipsa cinis.

Quæ nempe. *rursum, recordatione fraternæ mortis, à re proposita abducitur.* Focos. *in alijs, deos.* Tanto te absorbens. *epiphonema est, quo confirmat id, quod antea dixerat, coniugium videlicet illud Laodamiæ vita, atque anima dulcius fuisse. Quærens autem occasionem admiscendi varias fabulas, iisque eruditionis quasi spargendis seminibus exornandi opus suum, ait, amorem Laodamiæ profundiorem fuisse palude quadam, quæ erat in Thessalia, sed postea siccata est Herculis opera: sumptáque occasione, ad Herculis res gestas modice attingendas digreditur.* Barathrum. *hic simpliciter pro voragine ponitur. erat autem proprie locus Athenis, in quem scelerati deijciebantur, vt apud Lacedæmonios in Ceadan.* Quale ferunt Graij. *Hercules, cum ad Stymphalias aues interficiendas, iussu Eurysthei proficiscens, in Thessaliam venisset, paludem quandam, quæ ex collectis Penei aquis efficiebatur, siccauit, cum, separatis Ossa & Olympo montibus, qui ante contigui erant, exitum fluuio dedisset in mare: sicq; eius regionis hominibus campi ad Peneum pinguissimi & feracissimi copiam effecit. narrat Diodorus libro quinto, tangit etiam Lucanus libro septimo,* Siccari. *tanta enim vis aquarum fuerat, vt nondum penitus ad siccitatem perductum sit solum, sed quotidie paulatim siccetur.* Emulsa palude, *exhaustis aquis.* Montis medullis, *interioribus partibus. eadem*

dem figura, terræ viscera dixit Ouidius. Falsiparens, *qui falsò habebatur Amphitryonis filius, cum re vera Iouis satu editus foret.* Stymphalia monstra. *proditum est, Stymphalidas in Arcadia aues fuisse, quæ humana carne vescerentur, quas sagittis Hercules confecerit. Pisander autem Camireus, non interfectas quidem eas ab Hercule, sed crotalorum sonitu fugatas tradit. Sane ea pars Arabiæ, quæ deserta est, tum feras alias educit, tum aues, quæ Stymphalides nominantur, nihilo erga homines pardis & leonibus mitiores. ea, si quis capere ipsas conetur, inuolantes, rostrisque tundentes insidiantium corpora, facile eos interficiunt. tanta quippe sunt duritie rostri, vt, quæcunque tegendo corpori ferrea, ærea ve adhibentur, ea facile perfodiant. at, si quis densis, crassisq; arborũ corticibus corpus munierit, haud aliter Stymphalidum rostra ab eiusmodi veste retinentur, quàm à visco alæ auicularum solent. Eæ corporis magnitudine gruibus, figura ac specie ibidibus comparari queunt: nisi quòd firmiora rostra, neque, vt ibes, adunca habent. Hæc, aliáque de his ipsis auibus non nulla Pausanias in Arcadicis, non nulla etiam Strabo libro octauo, & Diodorus libro quinto.* Stymphalia. *Stymphalus oppidum Arcadiæ est. Homerus,*

Στύμφηλόν τ' εἶχον, καὶ παῤῥασίην ἐνέμοντο.

Imperio deterioris heri, *Eurystbei. Quo modo autem Iuno, decepto Ioue, illud assecuta fuerit, vt fatali necessitate Hercules Eurystheo parêre cogeretur, elegantissime narrat Agamemnon apud Homerum Iliados libro* XIX. Pluribus vt cæli. *vt Hercules, Eurysthei iussa executus, iuxta Apollinis, & Mineruæ oracula, deorum numerum augeret.* Hebe nec longa.

Hebe

Hebe, iuuentutis dea, Iunonis filia, dijs prandentibus ex aequo omnibus ministrabat: cum Ganymedes Iouis tantum minister esset. ea Herculi, in deos relato, nupsisse dicitur. Sed tuus altus amor. *rursum ad Laodamiam rediens, ait, amorem ipsius erga virum palude illa altiorem fuisse.* Quod diuum dominum, *alij,* *Qui te non domitum: alij, Qui diuum domitum. ego (neque enim dissimulare sustineo) nullum idoneum sensum ex hoc versu elicere possum.* Nam neque tam carum. *hoc significat, nusquam esse tantum amoris ardorem, quantum in ingenijs muliebribus: ceteras tamen omnes mulieres à Laodamia fuisse hac in parte superatas. Ornatus autem, & maioris expressionis gratia, ait, amorem tantum non esse, quo auus nepotem sibi ex vnica filia, in extrema iam senectute susceptum diligit; neque eum, quo columbae mares suos prosequuntur, aut si qua alia auis est, quae etiam impotentius amare dicatur, quantus est amor mulierum in viros suos, vbi eos vere & ex animo amant.* Seri, *τηλυγέτε. tales autem longe carissimi esse consueuerunt.* Qui cum diuitiis. *qui vix tandem in lucem editus, vbi primum heres ab auo suo scriptus est, efficit, vt gentilis, qui sperabat, hereditatem ad se deuolutum iri, ob idque impium gaudium ex imminenti senis morte capiebat, eique tanquam vulturius aliquis, imminebat, gaudere desinat, inani se expectatione delusum videns.* Testatas, *à testibus obsignatas.* Tabulas. *eo nomine intelligebant testamentum in quacunque materia scriptum.* Gentilis, *gentiles qui dicantur, recte explicat Cicero in topicis. Errat autem hoc loco Guarinus, qui gentilem, affinem interpretatur.* Suscitat, *depellit.*

Vultu

Vulturium. *Vulturios, aut coruos, per iocum, hereditatum captatores vocabant.* A cano capite, *aui sui.* Multiuola. *videtur hoc loco idem valere, quod, impotens in amore, siue immoderate amans: quod tamen mihi quoque duriusculum videtur.* Sed tu. *Laodamiam alloquitur.* Aut nihil. *nunc, omissa Laodamia, ei puellam illam, de qua superius egerat, confert.* Stultorum more. *stultum enim est conari ad muliebrem libidem coercendam. Propertius,*

Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altáque mortali deligere astra manu,
Quàm facere, vt nostræ nolint peccare puellæ.

Sæpe etiam Iuno. *si Iuno, quæ dearum maxima est, creberrima tamen mariti adulteria perferre cogitur: multo magis ego, qui homo sum, debeo puellæ meæ peccata æquo animo ferre; cum illa presertim & raro peccet, & non mecum, sed cum alio nupta sit.* Omniuoli, *omnium formosarum mulierum amore flagrantis.* Atqui nec diuis. *in quibusdam libris, post hunc versum desideratur pentameter: in alijs scribitur ad hunc modum,*

Ingratum tremuli tolle parentis onus.

quem versum alij varie exponunt: ego nullam huic loco idoneam sententiam ex eo posse exprimi puto. Quare illud satis est. *videtur hoc dicere; satis sibi esse, si hoc à puella præter ceteros habeat, vt ipsa eos sibi dies candido lapillo signandos putet, quibus cum ipso delicias facere possit.* Hoc tibi. *tandem redit ad Manlium; eúmque, carmen concludens, optimis ominibus prosequitur.* Et qui principio. *hic quoque versus varie legitur: neque ego quidem illius sententiam satis*

assequi possum. Lux mea. *Lesbiam, opinor, intelligit: quam ab illa altera diuersam esse, ex eo colligo, quòd paulo ante eam, de qua tam multa in hoc poemate dixerat, dominam nominauit.*

IN RVFVM.

NOLI *admirari, quare tibi femina nulla*
Rufe velit tenerum supposuisse femur;
Non, si illam rara labefactes munere vestis,
Aut pelluciduli delicijs lapidis.
Ledit te quedam mala fabula, qua tibi fertur
Valle sub alarum trux habitare caper.
Hunc metuunt omnes, neque mirum: nã mala valde est
Bestia, nec qui cum bella puella cubet.
Quare aut crudelem nasorum interfice pestem;
Aut admirari desine, cur fugiunt.

Noli admirari. *tetrum illum, virulentúmque odorem, qui ex alis, pro temperatura nimirum victúsque ratione, ab alijs grauior, ab alijs minus grauis afflatur, & Graci scriptores τράγον, & Latini caprum, capram, hircum, ab eius videlicet animalis graueolentia, vocant. Rufum igitur quempiam, hominem ista odoris fœditate prater ceteros insignem, exagitat poeta; aitque, mirum non esse, si eum puella omnes aspernentur ac refugiant, neque vllis muneribus perduci queant ad faciendam ei copiam sui: quippe gestari ab eo trucem quandam bestiam sub alis, quam horreant illa, ita vt cubare cum ea omnino non possint. Possit autem aliquis suspicari, hac scripta esse in* M. *Cœlium. ei enim Rufo cognomen fuit. &, cum ambo amarent Clodiam, fieri potest, vt è riualitate ad inimicitias venerint. nam infra, ab hoc ipso Rufo ereptam sibi Lesbiam, queritur.*

Labefactes. *impellere, & quasi de pudicitia gradu*

deijcere moliaris. Pellucíduli lapidis, *vnionis.* Mala fabula. *fabulam vocabant quidquid esset in ore populi, siue verum id, siue fictum foret.* Mala valde est Bestia. *Plautus Bacchidibus, Magis illectum tuum, quàm lectum, metuo: mala es bestia. Idem Pœnulo,*

Tenesis me arcte, me a voluptas: male ego metuo miluios: Mala illa bestia est, ne forte me auferat pullum tuum. Interfice. *facete: quasi de animali sermo esset. Nonius tamen admonet, interficere, & occidere, veteres etiã ad inanima transtulisse. Cicero Oeconomico, Nullo modo facilius arbitror posse neque herbas arescere, & interfici, neque terram ab sole percoqui. Virgilius, Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes. Lucillius,*

Durum, molle vocas, fragmenta interfici panis,

DE INCONSTANTIA FEMINEI AMORIS.

NVLLI *se dicit mulier mea nubere malle,*
Quàm mihi; non, si se Iuppiter ipse petat.
Dicit: sed, mulier cupido quod dicit amanti,
In vento, & rapida scribere oportet aqua.

Nulli se dicit. *significat muliebribus in amore blanditijs nullam esse adhibendam fidem. Tibullus,*

Etsi pérque suos fallax iurauit ocellos,
Iunonémque suam, pérque suam Venerem;
Nulla fides inerit. Circumfertur & senarius Græcus, qui ait, mulieri credendum nõ esse, ne mortua quidem. Venereis autem præcipue asseuerationibus nullum inesse pondus, tam sæpe dicunt poetæ, vt me locos conferre cogitantem ipsa multitudo deterreat. Petat. *proprie admodum: nam & proci à procando, id est, à petendo* d i cun

dicuntur. Ouidius,

Multi illam petiere: illa auersata petentes. Virgilius,
Multi illam magno è Latio, totáque petebant
Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
Turnus, &c. Dicit, sed mulier. *videtur imitatus distichon Callimachi, quod in omnibus impressis libris corrupte legitur: debet autem ita legi:*

Ωμοσεν ἀλλὰ λέγουσιν ἀλαθέα, τὼς ἐν ἔρωτι
Ορκους μὴ δύνειν οὔατ᾽ ἐς ἀθανάτων.

In vento, & rapida aqua. *lepide duas res elegit, quæ perpetuo fluant, eámque naturam habeant, vt in eis imprimi nihil possit.*

AD VIRRONEM.

SI cui, Virro, homini sacer alarum obstitit hircus,
Aut si quem merito tarda podagra secat,
Aemulus iste tuus, qui vestrum exercet amorem,
*Mirifice est * actu nactus vtrunque malum.*
Nam quoties futuit, toties vlciscitur ambos;
Illam affligit odore, ipse perit podagra.

Si cui, Virro. *Virronem alloquens, in riualem ipsius, quem Rufum fuisse verisimile est, salse iocatur.* Sacer, *execrandus, refugiendus, horribilis.* Aemulus, *riualis: nam & riualitatem ipsam, æmulationem vocant.* Exercet, *subagitat.* Amorem, *puellam ipsam.* Mirifice est actu. *lego, Mirifico est astu, &* εἰρωνικῶς *dictum accipio.* Vlciscitur, *quasi quodam supplicio afficit. de huius verbi proprietate vide Asconium.* Ambos, *se, & illam.*

AD LESBIAM.

DICEBAS *quondam, solum te nosse Catullum*
Lesbia, nec præ me velle tenere Iouem.

Dilexi tum te, non tantum vt vulgus amicam;
Sed pater vt gnatos diligit, & generos.
Nunc te cognoui. quare, etsi impensius vror;
Multo mi tamen es vilior, & leuior.
Qui potis est? inquis. quòd amantem iniuria talis
Cogat amare magis, sed bene velle minus.

Dicebas quondam. *in hoc epigrammate nullas fere meas partes esse arbitror, nisi vt, quid inter amare, & bene velle intersit, aperiam. hoc enim patefacto, cetera perspicua erunt. Amandi igitur verbum latius patet. neque enim, si quis amet, continuo illud sequitur, vt etiam bene velit: cum tamen bene velle, nisi qui amet, non queat. ita sæpe propter eam, quæ ex corporum commistione efficitur, voluptatem, intemperans aliquis meretricem amare potest; cui tamen bene an male sit, non laboret. & vero cum bestias, tum etiam res inanimas, vt cibum, potúmque, vt signa tabulásque egregij operis, amare, ait Aristoteles, dicimur: quibus tamen nemo sanus bene velle nos dixerit. ait igitur Catullus, fuisse aliquod tempus, cum ipse non tantum amaret Lesbiam, vt vulgus amicam solet, voluptatis videlicet suæ caussa, verum etiam vt patres liberos, generósve amant; qui non delectatione aliqua, aut emolumento suo, amorem in eos dirigunt; immo vero totam illam, qua eos comprehendunt, beneuolentiam, ipsorum commodis atque opportunitatibus metiuntur. tum nempe, cum ipsius blãditijs inductus in fraudem, se quoque vicissim amari ab ea crederet: ex quo autem leuem fallacémque cognouerit, amare quidem nihilo minus, aliquanto etiam magis, sed tamen deposuisse ex animo veterem illam paternam beneuolentiam, qua eam complecti solebat.* Cogit amare magis. *qui enim semel amoris laqueis capti, ir-*

retitique sunt, ij, si puellæ suæ alium quoque aliquem placere sentiant, eo acrius incenduntur. itaque meretricum mos est, ijs, quos retinere in amore cupiunt, riualem aliquem apponere. Ouidius,

Dum cadat in laqueos, captus quoque nuper amator
Se solum thalamos speret habere tuos.
Postmodo riualem, partitáque fœdera lecti
Sentiat. has artes tolle, senescit amor.

hac arte vsam fuisse Lesbiam, hoc loco apertissime indicatur. contráque Propertius, non malus ipse quoque harum rerum magister, suadet iuuenibus, ad domandam puellarum superbiam, duas simul amare.

Aspice, vti cælo modo sol, modo luna ministret.
Sic etiam nobis vna puella parum est.
Altera me cupidis teneat, foueátque lacertis:
Altera, si quando est, non sinat esse locum:
Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Ut sciat esse aliam, quæ velit esse mea.
Nam melius duo defendunt retinacula nauem:
Tutius & geminos anxia mater alit.

sed & Ouidium idem præcipere memini.

IN INGRATVM.

Desine de quoquam quidquam bene velle mereri,
Aut aliquem fieri posse putare tuum.
Omnia sunt ingrata. nihil fecisse, benigne est.
Immo etiam tædet, tædet, obéstque magis:
Ut mihi, quem nemo grauius, nec acerbius vrget,
Quàm, modo qui me vnũ, atq; vnicũ amicũ habuit.

Desine. *in Alphenum, vt supra admonui, factum esse carmen hoc suspicor. continet autem communem querelam de perfidia ingratóque animo eorum, qui se amicos esse simulant. quod ipsum indicare volens Socra-*

tes, sæpenumero dicere solebat, ὦ φίλοι, οὐδεὶς φίλος; sed, vt res ipsa nimium vsitata est, ita de ea tam frequentes sunt in sapientum hominum scriptis querelæ, vt in eis recensendis ocio abuti pigeat.

IN GELLIVM.

Gellius audierat, patruum obiurgare solere,
Si quis delicias diceret, aut faceret.
Hoc ne ipsi accideret, patrui perdespuit ipsam
Vxorem, & patruum reddidit Harpocratem.
Quod voluit, fecit: nam, quamuis irrumet ipsum
Nunc patruum, verbum non faciet patruus.

Gellius audierat. *recte & vere admonet Parthenius, hunc esse Gellium illum, quem* M. *Tullius in extrema oratione pro Sextio probris omnibus lacerat, quémque in Vatiniana seditiosorum omnium nutriculam vocat.* Patruum. *qua ratione quisque ad sua vitia conniuet, eadem fit, vt parentes filiorum vitia peruidere non possint. vt enim vere tradit Aristoteles, sunt filij, quædam veluti partes eorum, à quibus sunt procreati. at patrui, qui & fratrum filios, pene tanquam ex se genitos, amãt, & tamen isto vitioso affectu carent, peccata eorum seuerius plerunque castigant. hinc est, quod ait Catullus, patruum obiurgare solere, &c. Persius,*
Cum sapimus patruos. Horatius,
- ne sis mihi patruus, ore. Idem,
- metuentes patruæ verbera linguæ.
Cicero pro Cælio. & qui in reliqua vita mitis esset, & in hac suauitate humanitatis, qua prope iam delectantur homines, versari periucunde soleret, fuit in hac caussa pertristis quidam patruus, censor, magister. Si quis delicias diceret, aut faceret. *si quis aut lasciua vteretur oratione, aut vitã ipsam nequiter instituerct. De-*

licias

licias facere, interdũ est irridere. Plautus Menæchmis,

- eia, delicias facis,

Mi Menæchme: quin amabo is intro?

hic autem est indulgere libidini: quod aliter veteres, nequam facere, dicebant. Plautus Pœnulo,

Amare velle se, atque obsequi animo suo,

Locum sibi velle liberum præberier,

Vbi nequam faciat clam, ne quis sit arbiter.

Perdespuit, *cum eam prius adulterio contaminasset, postea neglexit, reiecitque à se, & libidinem suam in ipsum patruum, eius maritum, contulit.* Patruum reddidit Harpocratem, *patruo silentium imposuit. Harpocrates deus Aegyptiorum, qui & silentio præerat, & silentio colebatur. vide Politiani Miscellanea.* Verbum non faciet. *subest obscœnitas. obturatur enim os* τοῖς γλωσσοποιοῦσιν, *ut, velint nolint, tacere cogantur. simile est illud Martialis, Si te prendero, Gargili, tacebis.*

IN LBSBIAM.

HVC *est mens deducta tua mea Lesbia culpa,*
Atque ita se officio perdidit ipsa suo;
Ut iam nec bene velle queam tibi, si optima fias,
Nec desistere amare, omnia si facias.

Huc est. *qui intellexerit, quæ dicta sunt in epigrammate,* Dicebas quondam, *nihil hic magnopere desiderabit.*

AD SE IPSVM.

SI *qua recordanti benefacta priora voluptas*
Est homini, cum se cogitat esse pium,
Nec sanctam violasse fidem, nec fœdere in ullo
Diuum ad fallendos numine abusum homines;
Multa parata manent in longa ætate Catulle

Ex hoc ingrato gaudia amore tibi.
Nā quæcunque homines bene cuiquam aut dicere pos-
Aut facere, hæc à te dictaq́3, factáque sunt. (sunt.
Omnia quæ ingratæ perierunt credita menti.
Quare te iam cur amplius excrucies?
Quin te animo affirmas, téque astringisq́3, reducisque,
Et dijs inuitis desinis esse miser?
Difficile est longum subito deponere amorem.
Difficile est, verum hoc, quà lubet, efficias.
Vna salus hæc est. hoc est tibi peruincendum.
Hoc facies, siue id non pote, siue pote.
O di, si vestrum est misereri, aut si quibus vnquam
Extrema iam ipsa in morte tulistis opem,
Me miserum aspicite; &, si vitam puriter egi,
Eripite hanc pestem, perniciémque mihi;
Quæ mihi subrepens imos, vt torpor, in artus,
Expulit ex omni pectore lætitias.
Non iam illud quæro, contra vt me diligat illa,
Aut, quod non potis est, esse pudica velit.
Ipse valere opto, & tetrum hunc deponere morbum.
O di reddite mi hoc pro pietate mea.

Si qua recordanti. *ingratum Lesbiæ animum videns, se ipsum solatur conscientia integritatis suæ. deinde hortatur se ad amorem illius proijciendum ex animo. quod quoniam ope humana vix videtur fieri posse; deorum postremo, ad eam rem efficiendam, auxilium implorat.* Quin te animo affirmas. *in alijs, obfirmas.* Astringísque, *qui tam diu dissolute vixeris.* Reducísque, *qui tam diu à recte viuendi via aberraueris.* Diis inuitis, *an, desinis, dijs inuitis: an, esse dijs inuitis miser?* Vna salus, *vna ex his malis emergēdi via. Tale est illud, Vna salus victis, &c.*

Siue

Siue id non pote,siue pote, εἴτε δυνατὸν, εἴτ᾽ ἀδύνατόν ἐστι. *Pote enim valet* δυνατὸν, *non pote*, ἀδύνατον. *sicut autem &* δυνατὸν *est id,quod fieri potest;&* δυνατός τι ποιεῖν, *is qui efficere aliquid potest:ita hoc nomen à Latinis vtroque modo vsurpatum reperias. id quoque animaduertendum est,& potis,& pote in quolibet genere dici.ea omnia exemplis plana fient. potis,communi genere, Lucretius,*

Quis potis est dignum palanti pectore carmen
Condere,&c. Ennius,
Quis potis ingentis oras euoluere belli?

potis,in neutro. Catullus supra,

Qui potis est?inquis.ibi enim illud valet, πῶς ἂν τοῦτο δυνατὸν εἴη, *Lucretius,*

Nec potis est cerni,quod cassum lumine fertur.

pote, in communi. Catullus,

Quantum qui pote plurimum perire. Propertius,
Qua pote quisque, in ea conterat arte diem.

pote,in neutro. Cicero, hospes,non pote minoris. Dicitur &, potes, numero multitudinis. Plautus Pœnulo,

Apagesis negoci in muliere quantũ vna est.si vero duæ,
Sat scio,maximo vni populo, quoi lubet, plus satis dare
Potes sunt.

Potis etiam de pluribus loquentes dicebant, nisi vitiata scriptura est. Ennius,

Spero,si speres quidquam prodesse,potis sunt.

Si veſtrum eſt miſereri, *hoc enim & Epicurei,& multo Epicureis doctiores Peripatetici negabant. Stoici autem ne in sapientem quidem hominem ista cadere dicebant, nedum in deum.* Peſtem perniciémque. *pestem* παρὰ τὸ πεσεῖν, *à quo fonte etiam est antiqua vox,Pessum:perniciem vero à pernecando dictam puto.itaque pestem vocabant,quidquid rem aliquam siue*

animatam, siue inanimam pessundaret, quasiq́; prosterneret. Salustius, Et, si pestis certa adesset, mansurum potius, &c. Cicero, XIII. *Philipp. Nimirum recte veneficum appellas, à quo tibi præsentem pestem vides comparatam. Virgilius, lentúsque carinas*
Est vapor, & toto descendit corpore pestis.
& paulo infra servata à peste carinæ.
vbi pestem vocat flammam, quæ naues depopularetur. Idem lib. IX. *In partem, qua peste caret.*
cum de turri loquatur.

AD RVFVM.

RVFE *mihi frustra, ac nequidquam credite amice,*
Frustra? immo magno cum pretio, atque malo,
Siccine surrepisti mi, atque intestina perurens,
Sic misero eripuisti omnia nostra bona?
Eripuisti heu heu nostræ crudele venenum
Vitæ, heu heu nostræ pestis amicitiæ.

Rufe mihi frustra. *amicam, vt suspicari licet, sibi ab hircoso illo Rufo ereptam conqueritur.* Credite amice. *ita reposuimus ex veteribus libris, cum in alijs male, vt puto, legeretur,* Cognite amice. *etenim quæ cognoscimus, semper vera sunt: quæ credimus, plerunque falsa. vsitatam tamen lectionem video aliquo modo posse defendi.* Frustra? ἐπανόρθωσις. *nam ea demum proprie frustra esse dicuntur, quæ neque commodum, neque detrimentum afferunt.* Magno cum pretio. μεγάλω τόκῳ. *Cicero:*
Non sine magna mercede. Callimachus:
Ὅστε τιν' ἀθανάτων, ὅκα μὴ θεὸς αὐτὸς ἕληται,
Ἀθρήσῃ, μισθῷ τοῦτον ἰδεῖν μεγάλῳ.

DE

DE GALLO.

GALLVS *habet fratres, quorum est lepidissima coniux*
Alterius, lepidus filius alterius.
Gallus homo est bellus: nam dulces iungit amores,
Cum puero vt bello bella puella cubet.
Gallus homo est stultus, nec se videt esse maritum,
Qui patruus patrui monstret adulterium.
Sed nunc id doleo, quòd puræ impura puellæ
Suauia coniunxit spurca saliua tua.
Verum id non impune feres: nam te omnia sæcla
Noscent, & qui sis, fama loquetur anus.

Gallus habet fratres. *Gallum quendam, vt nefariarum inter suos libidinum quasi* προξενέτην, *& administrum, notat.* Gallus homo est bellus. *belli homines non nunquam dicuntur, qui aliis libenter obsequuntur: & belle dicere, qui, quæ alii, velint, loqui student. Cicero, omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit: fatetur se non belle dicere, non ad voluntatem loqui posse. pulchréque Martialis,*

Bellus homo, atque idem magnus vis Cotta videri.
Sed qui bellus homo est, Cotta, pusillus homo est.

plane enim pusilli & abiecti hominis est, ad aliorū quasi nutus se accommodare. denique belli homines sunt, quos Aristoteles III. *de moribus* ἀρέσκους *vocat.* Cum puero vt bello. *filio vnius fratris.* Bella puella, *vxor alterius fratris.* Gallus homo est stultus, *qui non cogitet, idem sibi quoque fieri posse.* Monstret. *doceat, suadeat. Virgilius,*

Ergo etsi conferre manum pudor, iráque monstrat.

Idem, Monstrat amor verus patriæ.

Patrui adulterium. *noue, pro adulterio quod puer faceret cum patrui vxore.* Quòd puræ impuræ, *&c.*

id

id est, quòd tu quoque, spurci homo impurique oris, puram puellam dissuauiatus es.

IN LESBIVM.

Lesbius est pulcher. quid ni? quem Lesbia malit,
Quàm te cum tota gente Catulle tua.
Sed tamen hic pulcher vendat cum gente Catullum,
Si tria amatorum suauia repperierit.

Lesbius. *cum Lesbia Clodia sit, vt alio loco diximus, Lesbium quoque* P. *Clodium, fratrem ipsius, esse arbitror, à quo & hanc & ceteras sorores constupratas fuisse notum est. id magis vt suspicer, facit additum pulchri nomen: hoc enim cognomine fuisse Clodium omnes sciũt: vt poeta in ambiguitate vocis iocari voluisse videatur. ita enim & Cicero iocans eum pulchellum puerum vocat. re vera autem pulchrum fuisse tradit Plutarchus.* Sed tamen hic pulcher. *non recuso, inquit, quo minus pulcher hic me cum tota mea gente, pro suo arbitrio, vendat, si tres amatores reperire potuerit, qui ipsum vel osculari velint. Innuere videtur, eum quoque fuisse* τῶν γλωσσοδεψούντων*: vt omnes eum, quamlibet pulchrum, tamen propter eam turpitudinem osculari refugerent. Videtur autem respicere ad veterem consuetudinem, qua interdum ob certa delicta totæ familiæ publice vendebantur.*

AD GELLIVM.

Quid dicam Gelli, quare rosea ista labella
Hiberna fiant candidiora niue,
Mane domo cum exis, & cum te octaua quiete
E molli longo suscitat hora die?
Nescio quid certe est. an vere fama susurrat
Grandia te medij tenta vorare viri?
Sic certe est. clamant Virronis rupta miselli

Ilia

Ilia, demulſo labra notata ſero.

Quid dicam. *eandem notam inurit Gellio, ſed fœdius, & apertius.* Clamant. *indicat.* Virronis. *in alijs, vnctoris. in nō nullis etiam, victoris, ſed inepte, vt puto.* Tenta. *tendere in obſcœnis eſt, vnde & tentigo. Martialis,*

Vlcus habet, Priami quod tendere poſſit alutam.

Appul. lib. 1. Arcum & ipſe meum tetendi. vnde & deorum vehiculum, tenſam, non tentam, nominarunt; ne turpe verbum ſonaret in ſacris. auctor Diomedes. hoc eo cupidius adſcripſi, quia vulgo, male, vt opinor, ſcribitur thenſa. Seruius tamen in primum Æneidos, thenſam vt ſcribamus, præcipit, ſed, quantum mea quidem opinio fert, inepte. Medij. Μέζεα *Siculi & Tarentini* τὰ αἰδοῖα, *à ſitu videlicet, vocant. inde in obſcœnis verſibus tam frequēs huius vocis vſus eſt. Martialis, Lambebat medios improba lingua viros.* Sero. *genitale ſemen intelligit.*

AD IVVENTIVM.

NEMO NE *in tanto potuit populo eſſe Iuuenti*
Bellus homo, quem tu diligere inciperes,
Præterquam iſte tuus moribunda à ſede Piſauri
Hoſpes, inaurata pallidior ſtatua?
Qui tibi nunc cordi eſt, quem tu præponere nobis
Audes. at neſcis, quod facinus facias.

Nemo ne. *vide, quæ diximus in explicatione epigrammatis,*

O qui floſculus es Iuuentiorum.

Piſauri. *Oppidum eſt in Vmbria.* Inaurata pallidior ſtatua. *aurum ſuapte natura pallidum eſt: cuius rei cauſſam rogatum Diogenem, reſpondiſſe ferunt, non iniuria pallere, cum tam multos habeat inſidiantes ſibi.*

sibi. Catullus supra,

Quanto sæpe magis fulgore expalluit auri.

Cordi est. *sic infra,*

Parua mei mihi sunt cordi monumenta sodalis.

Cordi est, honeste dictum, animo sedet. Lucillius libro XXVI.

Et quod tibi magnopere cordi est, mi vehementer displicet. Idem, Si tibi porro idcirco isthæc res cordi est, quòd rere vtilem. Nonius.

AD QVINTIVM.

QVINTI, *si tibi vis oculos debere Catullum,*
Aut aliud, si quid carius est oculis,
Eripere ei noli, multo quod carius illi
Est oculis, seu quid carius est oculis.

Quinti. *Quintium rogat, ne sibi aut amicã, aut certe tale aliquid præripiat.* Seu quid carius est oculis, *id est, ac carius etiam eo, si quid est oculis carius.*

IN LESBIAE MARITVM.

Lesbia mi, præsente viro, mala plurima dicit.
Hoc illi fatuo maxima lætitia est.
Mule nihil sentis, si nostri oblita taceret,
Sana esset, quòd nunc garrit, & obloquitur,
Non solum meminit, sed, quæ multo acrior est res,
Irata est, hoc est, vritur, & loquitur.

Lesbia. *falluntur sæpe homines in iudicandis rebus, ignoratione caussarum: dum quod ex caussa quapiam effectum est, id, vel inscientia, vel affectu aliquo occæcati, ad aliam referendum putant. neq; enim sua quadam, certáque rebus omnibus definita caussa est: immo vero & vna eadémque caussa variarum sæpéq; pugnantium rerum efficientiam in se cohibet: & eadem res ex*

varijs,

varijs, etiamq́; à se inuicem dissidentibus caussis effici potest. In hoc genere fallebatur Lesbiæ maritus; qui cum ipsam multa de Catullo, irato animo dicere videret, totus gestiebat gaudio, ratus ex his maledictis suam sibi postea Lesbiam totam fore, neque amplius Catullo datu ram delicias, quem iam ita vehementer exhosum haberet. At Catullus longe aliter raciocinatur. Si Lesbia, inquit, serio deposuisset amorem mei, tum me ne nominaret quidem: nunc cum mihi tam sæpe male dicat, hoc ipso indicat, ita vri se, vt tacere non possit. Quod autem hic de Lesbia dicitur, id καθόλω de toto talium mulierum genere affirmari potest. Mule, fatue. Sunt, qui Mulum hoc loco, vt nomen propriũ viri, acceperunt: quos ego ipsos mulos fuisse arbitror.

DE ARRIO.

Chommoda dicebat, si quando commoda vellet
Dicere, & hinsidias Arrius insidias;
Et tum mirifice sperabat se esse locutum,
Cum, quantum poterat, dixerat hinsidias.
Credo sic mater, sic Liber auunculus eius,
Sic maternus auus dixerat, atque auia.
Hoc misso in Syriam, requierant omnibus aures:
Audibant eadem hæc leniter, & leuiter:
Nec sibi postilla metuebant talia verba,
Cum subito affertur nuncius horribilis,
Ionios fluctus, postquam illuc Arrius isset,
Iam non Ionios esse, sed Hionios.

Chommoda. omnia, quæ ad huius epigrammatis intelligentiam pertinent, studiose diligentérque collegit Angelus Politianus capite XIX. Miscellaneorum.

IN LESBIAM.

Odi, & amo. quare id faciam, fortasse requiris.

Nescio

Nescio:sed fieri sentio,& excrutior.

Odi,& amo. *odisse se ait mores, & ingenium Lesbiæ, amare autem formam illius, & venustatem. hoc ipsum argumentum pereleganter tractauit Marullus his versibus,*

Odi te, mihi crede, quantacunque es:
Odi, confiteor, Camilla. sed, quam
Et odi,& magis in dies, magisque
Velim odisse, sequi, atque amare cogor.
Sic me amor retrahit tuus, trahitque:
Sic, quem sæuitia fugas proterua,
Tam rara reuocas decore formæ.

IN QVINTIAM, ET LESBIAM.

Quintia formosa est multis:mihi candida, longa,
Recta est. hac ego sic singula confiteor.
Totum illud, fomosa, nego. nam nulla venustas,
Nulla in tam magno est corpore mica salis.
Lesbia formosa est; quæ cum pulcherrima tota est,
Tum omnibus vna omnes surripuit Veneres.

Quintia. *Quintiam quandam, etsi satis bene conformato corpore, formosam tamen negat esse, quòd insulsa sit.* Multis, *multorum iudicio.* Nulla in tam magno est corpore mica salis. *significat deesse illi* κυντικὸν *illud, &, vt Græci quoque loquuntur,* ἁλμυρὸν, *sine quo friget forma, quamlibet alioqui bona. huius loci meminit Fabius lib.* VI *quem reprehendit Parthenius, sed corrupto, vt apparet, libro vsus. Vide Erasmum in Adagio, Salsugo non inest illi: & Victorii variarum lectionum lib.* XII. *cap.* XIII.

Sal aut sale vocabant vrbanitatem.

Terentius, -*qui habet sale, Quod in te est.*

Afranius

Afranius Compitalibus,

- ut, quidquid loquitur, sal merum est.

Veneres, *omnem leporem. sic Fabius libro* XI, *Isocratem omnes dicendi Veneres consectatum fuisse dicit.*

DE SVO IN LESBIAM AMORE.

Nulla potest mulier tantum se dicere amatam
Vere, quantum à me Lesbia amata mea est.
Nulla fides ullo fuit unquam fœdere tanta,
Quanta in amore suo ex parte reperta mea est.

Nulla potest. *commendat amorem in Lesbiam suum.* In amore suo, *in amore ipsius. Sic veteres sæpe loquebantur. Cicero* V I. *de rep. Graues enim dominæ cogitationum libidines infinita quadam cogunt, atque imperant: quæ quia expleri, nec satiari ullo modo possunt, ad omne facinus impellunt eos, qui illecebris suis incenduntur. Suis, dixit pro, ipsarum.* Ex parte mea. *τ' ἐμὸν μέρος. dixi supra.*

IN GELLIVM.

Quid facit is Gelli, qui cum matre, atque sorore
Prurit, & abiectis peruigilat tunicis?
Quid facit is, patruum qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis, quantum suscipiat sceleris?
Suscipit o Gelli, quantum non ultima Tethys,
Non genitor nympharum abluat Oceanus.
Nam nihil est quidquam sceleris, quò prodeat ultra,
Non si demisso se ipse voret capite.

Quid facit is, Gelli. *Gellium hunc prodigiosæ admodum libidinis fuisse oportet, qui matrem, sororem, patrui uxorem, patruum ipsum, aliásque præterea cognatas puellas unus contaminaret.* Non ultima Tethys. *aqua marina veteres flagitia expiari putabant:*

quod etiam Cicero pro Sex. Roſcio indicat. & notus eſt Euripidis verſus,

Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά, *id eſt,*

Mortalium mala omnia abluit mare.

ſignificat igitur nullo modo, ac ne vniuerſi quidem maris aqua poſſe Gellij facinora expiari. Vide Cœlium Rhodiginum capite XLIIII. *lib.* VI.

IN EVNDEM.

Gellius eſt tenuis. quid ni? cui tam bona mater,
Támque valens viuat, támque venuſta ſoror,
Támque bonus patruus, támque omnia plena puellis
Cognatis, quare is deſinat eſſe macer?
Qui vt nihil attingat, niſi quod fas tangere non eſt,
Quantumuis quare ſit macer, inuenies.

Gellius eſt tenuis. *mirandum non eſſe ait, ſi Gellius exili & attenuato ſit corpore, vtpote qui immodico Veneris vſu maciem non contrahere non poſſit. Porro & Venere inſigniter extenuari corpora medici docent: & fere etiam, qui macilenti natura gracileſque ſunt, libidinoſiores eſſe conſueuerunt: cum adeps contra frigidos & ad Venerem ineptos efficiat. itaque Propertius ſe, quamuis exili corpore, ſtrenuum tamen in hac militia eſſe profitetur his verſibus:*

Sed tibi ſi exiles videor tenuatus in artus,
Falleris. haud vnquam eſt culta labore Venus.
Percontere licet. ſæpe eſt experta puella
Officium tota nocte valere meum.

Tam bona mater, *tam officioſa, támque obſequens, quæq; ſubſternere ſe ipſi filio non recuſet. Eadem figura vocat Ariſtophanes Pluto* χρηστοὺς παῖδας, *qui ſine nummis facerent copiam ſui.* Támque valens. *valentes aut fortes puellas vocabant corpore ſolido ac*

ſucci

succipleno, quæ q; viderentur alacriter posse - tauri, vt ille ait, ruentis In Venerem tolerare pondus. Plautus Casina, - obsecro, vt valentula est? Idem Milite, - ecquid fortis visa est tibi? & paulo infra,

Quid is? ecquid fortis? P. abi sis hinc: nam tu quidem
Hercule fuisses scitus emissarius,
Qui conséctere, quà mares, quà feminæ.

Idem Bacchidibus,

Sed Bacchis etiam fortis tibi visa est? P. rogas?
Ni nactus Venerem essem, hanc Iunonem dicerem.

IN EVNDEM.

Nascatur magus ex Gelli matrisque nefando
Concubitu, & discat Persicum haruspicium.
Nam, magus ex matre & gnato nascatur, oportet;
Si vera est Persarum impia relligio.
Natus vt accepto veneretur carmine diuos,
Omentum in flamma pingue liquefaciens.

Nascatur magus. *hoc quoque epigrammate, quod in quibusdam libris male cum præcedente connexum legitur, detestatur nefariam Gellij cum matre libidinem; aitque ex eorum concubitu magum aliquē nasci oportere, si Persarum religio vera sit, qui eiusmodi corporum commistiones licitas esse censent: adeóque bonum magum existere non posse, nisi quem à filio compressa ediderit mater. Xanthus in Magicis narrat, magos matribus, filiabus, sororibus cōmisceri solitos esse, eósque concubitus habuisse legitimos. auctor Clemens libro* III. *ςρωμ. Quæ ad hanc rem faciunt, ex vtriusque linguæ scriptoribus studiose collegit Cœlius Rhodiginus capite* XVIII. *libri* X.

IN GELLIVM.

Non ideo Gelli sperabam, te mihi fidum

In misero hoc nostro perdito amore fore,
Quin te cognossem bene, constantérque putarem,
Haud posse à turpi mentem inhibere probro:
Sed quòd nec matrem, nec germanam esse videbam
Hanc tibi, cuius me magnus edebat amor.
Et quamuis tecum multo coniungerer vsu,
Non satis id caussæ credideram esse tibi.
Tu satis id duxti. tantum tibi gaudium in omni
Culpa est, in quacunque est aliquid sceleris.

Non ideo. *præclarum hoc epigramma est, & mirabili quodam artificio factum ad inuidiam concitandam. eius autem hæc sententia est. Sperabam equidem Gelli te mihi in misero hoc meo in Lesbiã amore fidum fore. Quid ita? an quòd vllam in te vnquam scintillam bonitatis aut fidei perspicere potuissem? minime vero. præclare noueram, ingenium tuum esse eiusmodi, vt à designandis in dies nouis sceleribus abstinere non possit. Quid igitur? animaduerteram videlicet, vt eximios artifices exquisitis tantum edendis operibus, ita te quoque non popularibus istis vsitatisque, sed horrendis tantum, & quæ nemo alius imitari auderet, patrandis facinoribus oblectari solere: itaque non in quaslibet mulieres, sed in matrem, in sororẽ, ceterásque à quibus reliqui homines duce natura abhorrent, libidine abuti tua. Quòd igitur meam hanc neque matrem tibi esse, neque sororem videbam; nihil à te mihi metuendum esse arbitrabar. Cogitabam quidem, me tibi magno vsu amicitiæ esse coniunctum; fierique posse, vt ea te turpitudo, quæ est in prodendis amicis, ad imponendam mihi hanc iniuriam adduceret: sed tamen accuratius cogitanti, ea res nondum satis turpis esse ad te permouendum videbatur. ita enim iam consuetudinẽ tritum est, in amicos*

perfidiose se gerere, ut id non satis dignum videretur eo, qui nullum in se scelus suscipere, nisi palmarium, vellet. At tu, ne videreris ullam unquam scelerate agẽdi occasionem prætermisisse, eam ipsam consuetudinem nostram satis tibi magnam caussam violãdi mei esse duxisti, ut ostenderes, quibus rebus ceteri etiam improbi homines ab iniuria auocari solent, iis te omnibus ad faciendam iniuriam incitari.

IN LESBIAM.

LESBIA *mi dicit semper male, nec tacet unquam*
De me. dispeream, me nisi Lesbia amat.
Quo signo? quasi eadem totidem mox deprecor illi
Assidue; verum dispeream, nisi amo.

Lesbia mi dicit semper male. *eiusdem pene argumenti est cum illo superiore, Lesbia mi præsente viro. Porro, quod hic Catullus iram in muliere, & conuicia signum esse amoris docet, idem alicubi affirmat Propertius,*

Nimirum veri dantur mihi signa caloris:
Nam sine amore graui femina nulla dolet.

Quo signo? quasi eadem. *in aliis,* Quo signo? eadem totidem, *ut in,* signo, *postrema vocalis non eliditur. Quòd autem Gellius libri* VI. *capite* XII. *verbum deprecor, hoc loco valere ait, detestor, execror, depello, abominor, mihi quidem nullo modo probari potest. neque enim dubium est, quin hoc Catullus dicat, se quoque vicissim Lesbiæ male precari, & tamen illius amore flagrare: quo modo & Gellius ipse exponit. ea vero sententia quomodo effici possit, verbo hoc, ita ut ipse vult, accepto, equidem haud video.*

IN CAESAREM.

NIL *nimium studeo Cæsar tibi velle placere,*

Nec scire, virum sis albus, an ater homo.

Nil nimium. *summum suum Cæsaris contemptum duobus versiculis indicat.* Vtrum sis albus, an ater homo. *hunc locum citat Quintilianus libro* XI. *suppresso, vt sæpe fit, auctoris nomine. est autem prouerbium ad contemptum indicandum valens, & Ciceroni, & alijs vsitatum.*

IN MENTVLAM.

MENTVLA *mœchatur, mœchatur Mentula certe.*
Hoc est, quod dicunt, ipsa olera olla legit.

Mentula mœchatur. *impurum quendam, quem ficto nomine, opinor, ob partis obscœnæ magnitudinem, Mentulam vocat, ac fortasse Mamurram ipsum. nam & cinædum fuisse, notum est: & de eo supra loquens, scripsit,*

Vt ista vestra diffututa mentula
Ducenties comesset, aut trecenties:

sed siue eum, siue alium quempiam, vt mollem, & alienarum vxorum corruptorem, hoc disticho incessit. Ipsa olera olla legit. *videtur vulgare dictum fuisse in eos, qui cum ad aliorum libidinem antea prostitissent, aut etiam prostarent, quærerent ipsi quoque, vbi libidinem exercerent suam. tale est, Tute lepus es, & pulpamentum quæris.*

IN SMYRNAM CINNAE.

SMYRNA *mei Cinnæ nonam post denique messem,*
Quàm cœpta est, nonámque edita post hiemem:
Millia cum interea quingenta Hortensius vno

*

Smyrna cauas Atracis penitus mittetur ad vndas:
Smyrnam incana diu sæcula peruoluent.
At Volusi annales *

Et laxas

Et laxas scombris sæpe dabunt tunicas.
Parua mei mihi sunt cordi monimenta sodalis.
At populus tumido gaudeat Antimacho.

Smyrna. *commendat poema Cinnæ; quod ipse Smyrnam inscripserat; in eóque perpoliendo totos nouem annos elaborarat. Fieri potest, vt ad hanc commendationem respexerit Horatius in epistola ad Pisones, cũ præciperet, duratura poemata in nonum annum premẽda esse. Porro hunc Cinnam esse, qui in tumultu illo, quem Antonius in Cæsaris interfectores concitauerat, necatus est errore populi, ob similitudinem nominis ipsius cũ vno è coniuratis, admonet Victorius: idémque proponit duos versus sumptos è Seruio, quos eruditus ille grammaticus ex hoc Cinnæ poemate citarat. sunt autem hi,*

Te matutinus flentem conspexit Eous.
Et flentem paulo vidit post hesperus idem.

Millia cum interea. *hic versus intelligi non potest, nisi in vetere aliquo libro insequens, qui temporum iniuria amissus est, reperiatur. sed & ante hunc ipsum, in veteribus libris tantum spatij est, quantum vni, quod minimum sit, distícho scribendo sit satis. has plagas sanare ipsi non possumus. non enim vates, aut harioli sumus. procul autem à nobis absit tantus furor, vt imitemur, quod, malo exemplo, alij quidam fecerunt: quibus religio non fuit, vbi quid deerat, hasce sacrosanctas venerandæ antiquitatis reliquias, admistis ineptijs suis, intolerabili audacia, contaminare. Licuerit fortasse dijs, (vt in fabulis est) cum humerum Pelopis Minerua depasta esset, veri loco eburneum apponere: nobis certe non licet, vbi veros bonorum poetarum versus absumpsit vetustas, alios à nobis confictos eorum oco substituere. docui supra, hoc à Parthenio in versi-*

bus Sapphicis factum fuisse:idem (vt incitata semel audacia non nouit modum:multisque,vt iterum peccare audeant,satis argumenti est semel peccasse) hoc etiam loco fecit,pentametrúmque suum Catulli versibus immiscuit. id ipse fassus ne esset:hodie fortasse versus ille sine vlla dubitatione Catullo tribueretur.itaq; verba ipsius ascribam.

Hic quum manifeste desit pentameter versus,ac, eius subtractione, sensus poetæ sit imperfectus;nemini bono viro arrogans,aut impudens, sed potius pium atque officiosum factum meum videri debebit, si meo ciui, Catullo, de patria nostra bene merito,versum meum, hoc in loco, quousque suum poeta inueniet, mutuabo: immo etiam, si poetæ placuerit, benigne donabo. omnia enim amicorum inter bonos ciues sunt communia. suppleatur itaque hic Catulli nostri locus hoc modo,

Villia cum interea quingenta Hortensius vno
In pede stans fixo carmina ructat hians.

hoc mihi faciendum quoque fuit superius,vbi Adoniũ versum vetustate abolitum Sapphicis suppleui.

Apage ista officia, Partheni; non placent.nemo,opinor, sanus bonos libros isto modo iuuari velit. vt in signis, ita in scriptis quoque veteribus,si quam labem importauerit vetustas,mutila potius ipsa nos,quàm à recenti aliquo artifice interpolata, delectant. At, tanquam vnum insanisse non esset satis, accessit alius, qui spatium hoc ita impleret,

Millia cum interea quingenta Hortensius vno
Accipit autumno versuum ab Antimacho.

Mihi ita videtur;quæ in bonis auctoribus desunt,vt è libris veteribus, adhibita ope ingeniosorum, exercita-

torum

torúmque hominum, suppleantur, omni studio laborari oportere: sin minus, τὸν δεύτερόν, φασι, πλοῦν, *cauendum quidem certe esse, ne quid alieni admisceatur.* Atracis. *in alijs Athesis. ego, etsi nihil affirmo, malim tamen, Atracis: pro eo, quòd verba illa,* Penitus mittetur, *fluuium aliquem longinquum, non autem finitimum, & in propinquo situm, exposcere videntur.* Incana, *valde cana.* καταχρηστικῶς *autem, quod hominum proprium est, tribuit tempori.* At Volusi annales. *huius quoque versus reliqua pars in veteribus libris desideratur. Sunt qui legant, At Volusi annales Paduam morientur ad ipsam. in quo etsi veteres libros auctores habere se dicunt; mihi tamen non probant; qui Paduæ nomen barbarum esse, & veteribus incognitum arbitrer. alij, Pataui morientur ad vrbem: quod reciperem, si veterum librorũ testimonio niteretur.* Parua mei. *huius quoque versus extrema dictio, quæ esse debeat, incertum est. abest à veteribus libris, quos ego quidem viderim. itaque itum est in varias sententias, alijs legentibus, poetæ, alijs, sodalis, alijs, laboris: quam postremam scripturam Petrus Victorius in duobus veteribus libris vidisse se dicit. ego, quid fugiam, vt ille dicebat, habeo; quid sequar, non habeo. illud, laboris, etsi Victorio probatur, mihi, vt verum fatear, non placet. inconcinna enim videtur subita illa è commendatione Cinnæ ad laudem sui operis transitio. sodalis, reciperem, si quid probare possem, à quo veterum librorum abesset auctoritas. non enim magnum est, quod adfert Victorius, parua monimenta vocari vix posse, carmina tanto studio, per tantum tempus elaborata. scimus libros bonitate, non mole, spectari, exiguásque gemmas ingentibus sæpenumero colossis anteponi.* Antimacho.

tumidum hunc & inflatum Horatiani interpretes poetam fuiſſe aiunt; qui bellum Thebanum ſcribere ingreſſus, ante quàm Thebas duces perduxiſſet, vigintiquatuor volumina confecerit.

AD CALVVM DE QVINTILIA.

SI quidquam mutis gratum, acceptúmve ſepulcris
Accidere à noſtro Calue dolore poteſt,
Quom deſiderio veteres renouamus amores,
Atque olim miſſas flemus amicitias;
Certe non tanto mors immatura dolori eſt
Quintiliæ, quantum gaudet amore tuo.

Si quidquam. *commendat Calui officium pietatémq; in deploranda puella Quintilia, quam viuam adamauereat, præpropera morte; aitque, ſi quis in vmbris eorum, quæ hic geruntur, permanet ſenſus, non tam dolere ipſam, quòd ante diem extincta fuerit, quàm gaudere eo amoris teſtimonio, quod ediderit Caluus. hac ipſa de re Propertius,*

Hoc etiam docti confeſſa eſt pagina Calui,
Cum caneret miſeræ funera Quintiliæ.

Mutis ſepulcris. *ſepulcrorum nomine, eos ipſos, qui è vita exceſſerunt, intelligit κατὰ συνεκδοχήν. Mutos autem vocat, quòd antiqui ſilentes pro mortuis etiam dixere, vnde & regna ſilentia, inferos, & ſilicernium, cenam, quæ ſilentibus poneretur. ſic infra,*

Et mutum nequidquam alloquerer cinerem.

Propertius,

Sed fruſtra mutos reuocabis Cynthia manes.

IN AEMILIVM.

NON, ita me dij ament, quidquam referre putaui,
Vtrum ne os, an culum olfacerem Æmilio.

Nil

Nil immundius hoc; nihil est immundius illo:
Verum etiam culus mundior, & melior.
Nam sine dentibus est; hoc dentes sesquipedales,
Gingiuas vero Ploxemi habet veteris.
Praeterea rictum, qualem defessus in aestu
Meientis mulae cunnus habere solet.
Hic futuit multas, & se facit esse venustum,
Et non pistrino traditur, atque asino?
Quem si qua attingit, non illam posse putemus
Aegroti culum lingere carnificis?

Non, ita me dii ament. *deformitatem, grauaeolentiámque oris in Aemelio quodam exagitat, quem cinaedũ fuisse quod ait Parthenius, vnde id colligat, nescio. cinaedico quidem vultu non fuit. elegãtes oportuisset esse amatores, qui tam pulchellum puerum in delicijs haberent.* Non, ita me dij ament. *idem prope principium epigrammatis Graeci, cuius incertus est auctor:*

Τὸ στόμα, χ' ὡ πρωκ]ὸς ταὐ]ὸν Θεόδορέ σου ὄζει.

Vtrum ne. *haec vera est veterum librorum scriptura. Terentius Adelphis,*
-di vestram fidem
Vtrum ne studio id sibi habet, an laudi putat
Fore, si perdiderit gnatum? Ploxemi. *Transpadanum vocabulum erat. eo significabant capsam. Porro oportuit e a latitudine esse gingiuas, in quib. sesquipedales dẽtes insiderent. vtrunq; ridiculi caussa ὑπερβολικῶς dictum.* Esse, videri. Atque asino, *ad agendum videlicet asinum molarium. In nonnullis legitur, atque asinus. quod si recipias, exponendum erit, ita vt asinus: vt ipse scilicet Aemilius in pistrino subeat asini molaris vicem.*

IN VECTIVM.

IN te, si in quenquam, dici pote, putide Vecti,
Id, quod verbosis dicitur, & fatuis.
Ista cum lingua, si vsus veniat tibi, possis
Culos, & trepidas lingere cercolipas.
Si nos omnino vis omnes perdere Vecti,
Dicas. omnino, quod cupis, efficies.

In te, si in quenquam. *insulsam Vectij loquacitatem notat.* In te, si in quenquam. *quacunque, inquit, in verbosos fatuósque dicuntur, ea in te omnia dici queũt Simile fere orationis genus est apud Terentium Heautontimorumeno,*
In me quiduis harum rerum conuenit,
Quæ dicta sunt in stultum. Ista cum lingua. *particula, cum, in his locutionibus, tacitam quandam significandæ indignationis vim habet, quæ percipi facilius, quàm exprimi, potest. Terentius Eunucho,*
-abi hinc, quò dignus es,
Cum donis tuis tam lepidis. Idem Adelphis,
-vt te Syre cum tua
Monstratione magnus perdat Iuppiter.
Si vsus veniat tibi. *ridicule, quasi harum quoque rerum vsus aliquis incidere possit.* Culos, & trepidas lingere cercolipas. *cercolipas vocat obscœnas partes viriles, ficto ex cauda & pinguitudine vocabulo. Trepidas autem dicit, significans id, quod Persius expressit hoc versu,*
Cum morosa vago singultiet inguine vena.
Quod autem Politianus legit, crepidas carbatinas, multis de caussis non placet: primum, quia est contra fidem veterum exemplarium: deinde, quid habent commune crepidæ carbatinæ cum ea parte corporis, quæ paulo
ante

ante nominata est. Insulsum plane fuerit ista coniungere. itaque doctissimi homines, cum hanc, quam nos sequimur, scripturam approbassent, illam Politiani, summo consensu, repudiarūt. ac præter ceteros Marullus, qui ut & homo Græcus, & supra modum Politiani odio imbutus, distichon scripsit, quo acerbe atque amarulente ait, Politianum Vectio pro cercolipis carbatinas dedisse, quod suum sibi munus ab eo præripi nollet.

Lingere carbatinas vult Vection Eunomus, ipse
Ut possit trepidas lingere cercolipas.

Si nos. *si decreuisti, inquit, nos omnes miserrimis modis perdere, tædióque ac molestia plane conficere; nullo id modo facilius, quàm dicendo apud nos, consequi potes.*

AD IVVENTIVM.

Surripui tibi, dum ludis, mellite Iuuenti
Suauiolum dulci dulcius ambrosia.
Verum id non impune tuli: nanque amplius horam
Suffixum in summa me memini esse cruce,
Dum tibi me purgo, nec possum fletibus vllis
Tantillum vestræ demere sæuitiæ.
Nam simul id factum est, multis diluta labella
Guttis, abstersisti omnibus articulis:
Ne quidquam nostro contractum ex ore maneret,
Tanquam commistæ spurca saliua lupæ.
Præterea infesto miserum me tradere amori
Non cessasti, omnique excruciare modo:
Ut mi, ex ambrosio mutatum, iam foret illud
Suauiolum tristi tristius helleboro.
Quam quoniam pœnam misero proponis amori,
Nunquam iam posthac basia surripiam.

Surri

Surripui tibi. *ita venustum hoc epigramma est, vt, ipsa si velit Venus, venustius eo efficere quidquam non queat: difficultatis autem nihil omnino habet: quocirca neque nos in eo explicando diutius immorari necesse est.* Vestræ sæuitiæ, *ferocitatis illius, vobis omnibus, qui formosi estis, innatæ. Tale est illud Ouidij, quæ vestra libido est.* Guttis, absterſiſti. *ita est in veteribus libris. Quod autem hic Iuuentius fecisse dicitur, vt, quasi ad delendam basij notam, os sibi multa aqua prolueret, digitisque omnibus confricaret, id puella quædam apud Theocritum facere se, atque etiam basium, nolenti sibi à puero rustico impressum, expuere dicit.*

Τὸ ϛόμα μευ πλύνω, καὶ ἀποπτύω τὸ φίλαμα.

Commiſtæ lupæ. *perinde ac si lupa te aliqua recens à coitu, & ex illo ardore libidinis, spumanti adhuc ore, dissuauiata esset.*

DE COELIO, ET QVINTIO.

Cœlius Aufilenum, & Quintius Aufilenam,
Flos Veronensium, depereunt, iuuenum,
Hic fratrem, ille sororem. hoc est, quod dicitur, illud
Fraternum vere dulce sodalitium.
Cui faueam potius? Cœli tibi. nam tua nobis
Perspecta exigit hoc vnica amicitia,
Cum vesana meas torreret flamma medullas.
Sis fœlix Cœli, sis in amore potens.

Cœlius Aufilenum. *Cœlium & Quintium fratres fuisse ait Parthenius: male omnino: è diuersis enim familijs fuisse nomina ipsa indicant.* Quod dicitur. *vulgare dictum fuisse indicat.* Cui, *vtri.* Nam tua nobis. *erat & alia ratio, cur Quintio fauere non posset. amabat enim ipse quoque Aufilenam; eámque, vt ex*

alijs locis intelligi potest, etiam data pecunia, ad partes suas perducere moliebatur.

INFERIAE AD FRATRIS TVMVLVM.

Multas per gentes, & multa per aequora vectus,
Aduenio has miseras frater ad inferias;
Vt te postremo donarem munere amoris,
Et mutum nequidquam alloquerer cinerem:
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum.
Heu miser indigne frater adempte mihi.
Nunc tamen interea, prisco quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe, fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum frater aue, atque vale.

Multas per gentes. *fratris manibus hoc carmine inferias soluit. Inferias autem vocabant sacrificia in eorum, qui vita excesserant, honorem; in quibus interdum non nulla, quae grata ipsis fuissent, comburere, mactare quoque hostias, aut etiam captiuos homines solebant.* Aue, atque vale. *sic apud Virgilium Æneas-salue aeternum mihi maxime Palla, Æternúmque vale.*

AD CORNELIVM.

Si quidquam tacite commissum est fido ab amico,
Cuius sit penitus nota fides animi,
Me vnum esse inuenies illorum iure sacratum
Corneli: & factum me esse puta Harpocratem.

Si quidquam. *fidem & taciturnitatem suam Cornelio cuidam pollicetur.* Illorum iure sacratum, *eorum quasi sacramento adactum. Metaphora à re militari. Est autem hic* ἀνακόλουθον, *quale in illo Terentij,*

In

In ijs poeta hic nomen profitetur suum. Harpocratem. *supra diximus.*

AD SILONEM.

Aut sodes mihi redde decem sestertia Silo;
Deinde esto quamuis sæuus, & indomitus:
Aut, si te nummi delectant, desine quæso
Leno esse, atque idem sæuus, & indomitus.

Aut sodes. *Silo quidam, quantum hinc colligi potest, policitus erat poetæ, effecturũ se, vt ipse puella quapiam potiretur, eóque nomine ab eo decem sestertia, id est, decem nummorum millia acceperat: deinde autem vrgẽtem ipsum instantem q́; ferociter repudiabat. petit igitur ab eo poeta, vt vel pecuniam reddat, vel suam illam, si leno esse vult, deponat ferocitatem.*

AD QVENDAM DE LESBIA.

Credis, me potuisse meæ male dicere vitæ,
Ambobus mihi quæ carior est oculis?
Non potui; nec, si possem, tam perdite amarem.
Sed tu cum caupone omnia monstra facis.

Credis me potuisse, *in his versibus nihil video, in quo explicando magnopere laborare oporteat.* Sed tu cum caupone. *indicat hunc, quisquis est, sæpe in caupona versari, ac, cum caupone ipso perpotantem, varios de hoc aut illo sermones comminisci solitum fuisse, interdum nullo pacto verisimiles, planéque monstrosos: quale erat hoc, quòd Catullum puellæ, quam plus oculis amabat suis, male dixisse fingebat. Porro quem cauponem dicimus, antiqui cuponem vocabant, à cupa videlicet, quod vas vinarium est, quin & mulierem quoque, quæ cauponam exerceret, vocant cupam: vnde & nomen Virgiliano poemati, quod hodie*

die vulgo copa dicitur: cum, cupam dici debere, ex Flauio Sosipatro constet.

IN MENTVLAM.

Mentula conatur Pimpleum scandere montem:
Musæ furcillis præcipitem eyciunt.

Mentula. *Formianum illum, quem Mentulam vocabat, ait ad poeticæ facultatis laudem contendere, sed reyci à Musis, quasiq́; de monte ipsis sacro, quem ille conscendere conetur, præcipitem dari.*

DE PVERO, ET PRAECONE.

Cum puero bello præconem qui videt esse,
Quid credat, nisi se vendere discupere?

Cum puero bello. *formosum quendam puerum à præconis consuetudine reuocare cupiens, ait homines, qui tam frequenter eum cum præcone videāt, nihil posse aliud cogitare, quàm velle ipsum pudicitiam suam ei, qui eam pluris liceatur, addicere. notum enim est, præcones vendendis in auctione rebus adhiberi.*

AD LESBIAM.

Si quidquam cupidóque, optantíque obtigit vnquam
Insperanti, hoc est gratum animo proprie.
Quare hoc est gratum, nobis quoque carius auro,
Quòd te restituis Lesbia mi cupido,
Restituis cupido, atque insperanti ipsa refers te:
** o lucem candidiore nota.*
** Quis me vno viuit felicior? aut magis hac quid*
** Optandum vita dicere quis poterit?*

Si quidquam. *gratulatur sibi de reconciliato Lesbiæ animo; idque eo sibi gratius esse ait, quo minus sperauerat fore. nã & in rebus lætis, & in tristibus ea nos præcipue, quæ insperantibus accidunt, mouent.* Refers te. *hac locutione vsus & Propertius,*

Sic mihi te referas leuis, vt non altera nostro
Limine formosos intulit vlla pedes.

Huius epigrammatis tres postremi versus mihi valde suspecti sunt. ita enim varie leguntur, vt appareat eam varietatem non aliunde, quàm ex corrigere volentium temeritate, extitisse.

IN COMINIVM.

Si, Comini, arbitro populi tua cana senectus
Spurcata impuris moribus intereat,
Non equidem dubito, quin primum inimica bonorũ
Lingua execta auido sit data vulturio,
Effossos oculos voret atro gutture coruus,
Intestina canes, cetera membra lupi.

Si Comini. *tantum odium populi in Cominium esse dicit, vt nemo sit, qui non eum à feris discerpi dilaniarique cupiat.*

AD LESBIAM.

Iucundum, mea vita, mihi proponis amorem
Hunc nostrum inter nos, perpetuúmque fore.
Dij magni facite, vt vere promittere possit,
Atque id sincere dicat, & ex animo;
Vt liceat nobis tota perducere vita
Æternum hoc sanctæ fœdus amicitiæ.

Iucundum. *epigramma hoc elegantiæ multum habet, difficultatis nihil.*

AD AVFILENAM.

Aufilena, bonæ semper laudantur: amicæ
Accipiunt pretium, quæ facere instituunt.
Tu quòd promisti mihi, quòd mentita inimica es,
Quòd nec das, & fers sæpe, facis facinus.
Aut facere ingenuæ est: aut non promisse pudicæ,
Aufilena fuit. sed data corripere

Frau-

Fraudando, efficitur plusquam meretricis auara,
Quæ sese toto corpore prostituit.

Aufilena. *insectatur Aufilenam, quòd cum promisisset, se ei potestatem sui corporis facturam esse, eoque nomine pecuniam accepisset, postea tamen eum ludificabatur, neque vnquam volebat in rem præsentem venire.* Bonæ. *quæ neque faciunt copiam sui, neque à quoquam, ea caussa, pecuniam accipiunt.* Amicæ. ἑταῖραι. Quòd nec das. *dare dicuntur mulieres, quæ se substernunt viris. Græci quoque hoc sensu dicunt* παρέχειν. Et fers. *munera videlicet. fers autem pro aufers.* Ingenuæ. *eius, quæ nullo rustico pudore, à præstanda, quam semel dederit, fide absterreatur.*

AD AVFILENAM.

AVFILENA, *viro contentam viuere solo,*
Nuptarum vna est è laudibus eximijs.
Sed cuiuis quamuis potius succumbere fas est,
Quàm matrem fratres efficere ex patruo.

Aufilena. *vna de præcipuis nuptarum laudibus est, ab omni illicita Venere abstinere. præ ceteris tamen detestanda est earum libido, quæ se non illicitis tantum, verum etiam incestis coitibus commaculant: quod facere Aufilenam ait Catullus, quæ se patruo subijciebat suo.* Fratres. *patruorum enim filios, fratres patrueles vocamus. Quare ijdem Aufilenæ & filij, & fratres patrueles erant.*

IN NASONEM.

MVLTVS *homo es Naso, neque tecum multus homo, sed*
Descendis Naso, multus es & pathicus.

Multus homo. *hoc epigrammate turpem aliquam libidinem Nasoni obijci constat: quæ tamen cuiusmodi sit, non intelligere me, ingenue fateor.*

AD CINNAM.

CONSVLE *Pompeio primum duo Cinna sedebant*

** Mœchilia, facto consule nunc iterum*
Manserunt duo, sed creuerunt millia in vnum
Singula. fœcundum semen adulterio.

Consule Pompeio. *ne hic quidem me pudebit fateri, hos quatuor versus à me non intelligi. Possem, quæ ab alijs afferuntur, refellere: possem ipse quoque, si liberet, aliquid eorum exemplo confingere. malo simpliciter id, quod est, dicere: neque facere, quod isti, qui dum integra, corrupta, facilia, difficilia, nusquam hæsitantes, sine vllo discrimine interpretantur, imperitis fortasse docti, doctis quidem & intelligentibus imperiti atque audaces videntur. sed nimirum cæcorum oculis tantundem intempesta nocte, quantum vel meridie, lucet. accuset in his locis inscitiam meam alius, dum ipse, quod probemus, afferat. gaudebimus.*

IN MENTVLAM.

FIRMANO *saltu non falso Mentula diues*
Fertur, qui tot res in se habet egregias,
Aucupiū omne genus, pisces, prata, arua, ferásque.
Nequicquam. fructus sumptibus exuperat.
Quare concedo sit diues, dum omnia desint.
Saltum laudemus, dum tamen ipse egeat.

Firmano saltu. *Mentulam, de quo superius egimus, id est, vt suspicor, Mamurram, ait non falso haberi*

beri diuitem, qui saltum habeat pulcherrimum, & fructuosissimum. eundem tamen ita sumptuosum esse, vt tantos fructus, quos ex illo saltu capit, exuperet sumptibus: itaque in tantis diuitijs perpetuo tamen egere. Pro Firmano autem, in nonnullis legitur Formiano. & Firmani, & Formiani populi sunt Italiæ. vtrum verius sit, haud facile dixerim. quin enim Formianus quoque penultima breui dici queat, dubitari non oportet. Qui. *saltus.* Nequicquam. *frustra, inquit, hæc tam multa possidet. homo enim libidinosus.* Fructus sumptibus exuperat. *Quo fit, vt in tantis diuitijs, omnia tamen ei deesse videantur.*

IN EVNDEM.

MENTVLA *habet noster triginta iugera prati,*
Quadraginta arui, cetera sunt maria.
Cur non diuitijs Crœsum superare potis sit,
Vno qui in saltu tot bona possideat?
Prata, arua, ingentes siluas, saltusq́ue, paludésque,
Vsque ad Hyperboreos, & mare ad Oceanum.
Omnia magna hæc sunt: tamen vt sint maxima, & vltra,
Non homo, sed vere mentula magna nimis.

Mentula habet. *hoc quoque versu eiusdem diuitias exagitat, negátque eum, diuitiarum caussa, pluris fieri oportere; cum hominis nomine indignus, præter obscœnæ partis magnitudinem, nihil habeat, quo in aliquo numero poni queat.*

AD GELLIVM.

SAEPE *tibi studioso animo venante* *
Carmina vti possem mittere Battiadæ,

Queis te lenirem, nobis neu conarere,
Tela infesta meum mittere in vsque caput.
Hunc video mihi nunc frustra sumptum esse laborẽ
Gelli, nec nostras huc valuisse preces.
Quare nos tela ista tua euitamus amictu:
At fixus nostris tu dabi' supplicium.

Sæpe tibi. *difficile est in tam deprauatis versibus, quid verum sit, videre. si quis tamen coniecturæ locus est, ita suspicor. Gellius, propter impositas sibi Catullianis versibus notas, cœperat ipse quoque vicissim Catullum, non tam metuendus, quàm ipsa assiduitate molestus hostis, quacunque ratione poterat, lædere. Catullus, vt hanc à se molestiam depelleret, sæpe cogitasse se dicit, de carminibus quibusdam, quæ ex Callimacho verterat, dono ad eum mittendis, quibus ipsius animus mitigaretur: quem laborem cum sibi frustra sumptum esse videat, intelligátque nulla ratione placari Gellium posse; hoc se fidere ait, quòd tela Gellij eius generis sunt, vt facile vitari queant; at illa, quibus ipse Gellium fixit, eam vim habent, vt in omnem posteritatem nefarias ipsius libidines propagatura sint. Primi versus postrema vox desideratur.* Tela infesta. *in alijs, Infestum telis icere musca caput. qui versus neque inconcinnus, neque à sententia alienus est; sed, quod in his rebus vnum considerari oportet, Catulli non est. hunc autem, quem nos reposuimus, in libris veteribus legi, ipsi quoque, qui eum reiecerunt, confitentur. Porro si, vbi veteres libri aut deficiunt, aut scripturam parum probabilem habent, tamen, eorum auctoritate neglecta, aliquid de suo attexere temeritatis est; vbi perspicue in eis probabile aliquid & idoneum legitur, consulto alia quærere, & noua veteribus, adulterina germanis, falsa veris*

ante

anteponere, cuius insaniæ esse dicemus? Hæc habui, quæ in Catullum scriberem: quæ si studiosis huius poetæ placebunt; erit, quod mihi gratuler: sin minus; nunquam me tamen, præstitisse ea, quæ potui, & morem gessisse voluntati amicorum, qui hortati me sunt, vt hoc munus susciperem, pœnitebit.

FINIS.

SEX. PROPERTIVS.

M. ANTONII MVRETI IN EVM SCHOLIA,

AD FRANCISCVM GONZAGAM FERDINANDI F.



LVGDVNI,

APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,

SVB SCVTO VENETO.

M. D. LIX.

M. ANTONIVS MVRETVS FRANCISCO GONZAGAE, FERDINANDI F. S. D.

NON iniuria dubitatum est à veteribus, FRANCISCE GONZAGA, adolescens præstantissime, Tibullo ne, an Propertio deferendus esset inter latinos poetas elegiæ scribendæ principatus. nam vt insunt in vtroque permulta, quæ eos vulgarium numero exemptos in edito atque eminenti statuant loco: sic propriæ quædam extant & elucent in vtroque virtutes, quibus vterque alterius palmam ambiguã facere videatur. Summa in Tibullo elocutionis elegantia, & proprietas: summa in Propertio eruditionis poeticæ copia. & varietas: in illo Romana prope omnia, in hoc pleraque transmarina. illum, natiua quædam & incorrupta Romani sermonis integritas, in media vrbe natum & altum esse, perspicue ostendit: hunc præter cetera, forma & chara

ĉter ipſe dicendi in Græcorum poetarum ſcriptis aſsiduiſsime verſatum eſſe demonſtrat. cumq; à ſapientiſsimis viris traditum ſit, duo eſſe præcipua poeticæ dictionis ornamenta, τὸ σαφὲς, καὶ τὸ ξενικόν, illo Tibullus, hoc Propertius excellere videtur. mollior ille, & delicatior: neruoſior hic, & accuratior. illo magis oblectere; hūc magis, vt opinor, admirere. illum iudices ſimplicius ſcripſiſſe, quæ cogitaret: hunc diligentius cogitaſſe, quid ſcriberet. in illo plus naturæ, in hoc plus curæ, atque induſtriæ fuiſſe perſpicias. Quæ cum ita ſe habeant, perdifficile eſt, decernere ac conſtituere, vter alteri præſtet. nam ſi præcipua laus poetarum in imitatione conſiſtit: mihi quidem videtur Tibullus varios illos fluctuantis animi motus, quibus amantes agitari ſolent, melius imitatus eſſe. ſin, vt quicq; ad optimum proxime accedit, ita ipſum quoq; optimum iudicandum eſt: crediderim ſane veterum illorum Græcorum, ac præcipue Callimachi, Propertium haud paulo ſimiliorem fuiſſe: qua etiam fiducia ipſe ſe Romanum Callimachum vocare auſus eſt. ſed hæc vt ſunt, neque noſtrum eſt, neque cuiuſquam hominis pudentis, & conſiderati, qua de re vete-

res illi, quorum fuit & doctrina maior, & iudicium acrius, non liquere pronunciarunt, de ea certi quicquam constituere, & litem secundum alterutrum dare. Satius fuerit, vtrunque studiose ac diligenter euoluere vtri[illegible] virtutes accu[illegible]e perpender[illegible] tr[illegible] imit[illegible] opo[illegible]

hominibus: confero ſtudium non mediocre ad libros eorum perpurgandos, & ad locos, ſi quos mihi forte intelligere videor, qui non ita ſint omnibus peruij, explicandos. tale igitur quiddam his diebus in Pro-
ö præſtiti: & [illegible] admirabil [illegible] rio
inſinuan [illegible] aliqu [illegible] m

ſed multo te, mihi crede, impenſius colunt, quòd eam te viam ingreſſum, aut potius in ea iam longe progreſſum vident, in qua ſi, vt ſpes minime dubia eſt, perſtiteris, non ille apud poſteros tot victoriis, tot opimis ſpoliis, tot trophæis, quàm te filio, clarior ſit futurus. ſed illius quidem res geſtæ cum aliorum monumentis celebrabuntur, tum præcipue ſcriptis Antonij Poſſeuini, familiaris tui, eruditiſsimi hominis, & ad conſcribendam hiſtoriam facti, tradentur memoriæ hominum ſempiternæ: tuas autem hoc loco pluribus perſequi nolo: tum, ne modum epiſtolæ excedam; tum, quòd mihi veniunt in mentem Euripidis verſus:

Αἰνούμενοι γὰρ οἱ 'γαθοὶ τρόπον τινὰ
Μισοῦσι τοὺς αἰνοῦντας, ἢν αἰνῶσ' ἄγαν.

Id tantum te orabo, vt, cum à philoſophiæ ſtudiis, in quibus te quotidie Bernardinus Tomitanus, ſingulare Patauini gymnaſij decus, exercet, relaxare animum voles, Propertianæ lectioni temporis aliquid tribuere ne graueris: in qua ſi comitem tibi, vt facturum auguror, Hippolytum Capilupum, Epiſcopum Fanenſem des, incre-

dibili & virtute, & doctrina hominem assumpseris, habebis, qui tibi possit ea, quæ à me vel omissa, vel non satis intellecta sunt, vnus optime omnium interpretari. Vale. Patauij, Cal. Sext. CIↃ IↃ LVIII.

SEX. PROPERTII ELEGIARVM

LIBER I.

AD TVLLVM.

CYNTHIA prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum nullis ante cupidinibus.
Tum mihi constantis deiecit lumina fastus,
Et caput impositis pressit Amor pedibus,
Donec me docuit castas odisse puellas
Improbus, & nullo viuere consilio.
Et mihi iam toto furor hic non deficit anno,
Cum tamen aduersos cogor habere deos.
Milanion nullos fugiendo, Tulle, labores
Saeuitiam durae contudit Iasidos.
Nam modo Partheniis amens errabat in antris,
Ibat & hirsutas ille videre feras.
Ille etiam, Hylaei percussus vulnere rami,
Saucius Arcadiis rupibus ingemuit.
Ergo velocem potuit domuisse puellam:
Tantum in amore preces, & bene facta valent.
In me tardus Amor non vllas cogitat artes,
Nec meminit notas, vt prius, ire vias.
At vos, deductae quibus est fallacia Lunae,
Et labor in magicis sacra piare focis,
En agedum dominae mentem conuertite nostrae,

Et facite illa meo palleat ore magis.
Tunc ego crediderim vobis, & sidera, & amnes
Posse Cytæinis ducere carminibus.
Et vos, qui sero lapsum reuocatis amici,
Quærite non sani pectoris auxilia.
Fortiter & ferrum, sæuos patiemur & ignes:
Sit modo libertas, quæ velit ira loqui.
Ferte per extremas gentes, & ferte per vndas,
Quà non vlla meum fœmina norit iter.
Vos remanete, quibus facili deus annuit aure;
Sitis & in tuto semper amore pares.
In me nostra Venus noctes exercet amaras,
Et nullo vacuus tempore desit amor.
Hoc moneo vitate malum: sua quenque moretur
Cura, neque assueto mutet amore locum.
Quòd si quis monitis tardas aduerterit aures,
Heu referet quanto verba dolore mea.

AD CYNTHIAM.

QVid iuuat ornato procedere, vita, capillo,
Et tenues Coa veste mouere sinus?
Aut quid Orontea crines perfundere myrrha?
Teque peregrinis vendere muneribus?
Naturæq; decus mercato perdere cultu,
Nec sinere in proprijs membra nitere bonis?
Crede mihi, non vlla tua medicina figuræ est.
Nudus amor formæ non amat artificem.
Aspice quos summittit humus formosa colores,
Et veniant ederæ sponte sua melius,
Surgat & in solis formosius arbutus antris,
Et sciat indociles currere lympha vias.
Littora natiuis pellucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

Non

Non sic Leucippis succendit Castora Phœbe,
Pollucem cultu non Elaira soror.
Non Idæ, & cupido quondam discordia Phœbo
Eueni patrijs filia littoribus.
Nec Phrygium falso traxit candore maritum
Auecta externis Hippodamia rotis.
Sed facies aderat nullis obnoxia gemmis,
Qualis Apelleis est color in tabulis.
Non illis studium vulgo conquirere amantes.
Illis ampla satis forma pudicitia.
Non ego nunc vereor, ne sim tibi vilior istis.
Uni si qua placet, culta puella sat est.
... ertim Phœbus sua carmina donet,
... e libens Calliopea lyram,
... iucundis gratia verbis,
... Venus, quæq; Minerua probat.
... atissima vita,
... luxuriæ.

... M.

... carina
... ibus.

Hac Amor, hac Liber, durus vterque deus,
Subiecto leuiter poſitam tentare lacerto,
Oſculáque admota ſumere, & arma manu:
Non tamen auſus eram dominæ turbare quietem,
Expertæ metuens iurgia ſæuitiæ:
Sed ſic intentis hærebam fixus ocellis,
Argus vt ignotis cornibus Inachidos.
Et modo ſoluebam noſtra de fronte corollas,
Ponebámque tuis Cynthia temporibus;
Et modo gaudebam lapſos formare capillos;
Nunc furtiua cauis poma dabam manibus:
Omniáque ingrato largibar munera ſomno,
Munera de prono ſæpe voluta ſinu.
Et, quoties raro duxti ſuſpiria motu,
Obſtupui vano credulus auſpicio,
Nec qua tibi inſolitos portarent viſ
Ne ve quis inuitam co
Donec diuerſas percu
Luna moraturis ſe
Compo‑ſos leuibus r
Sic ai

Illa fuit lacrymis vltima cura meis.

AD BASSVM.

QVid mihi tam multas laudando Basse puellas
Mutatum domina cogis abire mea?
Quid me non pateris, vitæ quodcunque sequetur,
Hoc magis assueto ducere seruitio?
Tu licet Antiopæ formam Nycteidos, & tu
Spartanam referas laudibus Hermionen,
Et quascunque tulit formosi temporis ætas,
Cynthia non illas nomen habere sinat.
Nedum, si leuibus fuerit collata figuris,
Inferior duro iudice turpis eat.
Hæc sed forma mei pars est extrema furoris:
Sunt maiora, quibus Basse perire iuuat:
Ingenuus color, & multis decus artibus, & quæ
Gaudia sub tacita dicere veste libet.
Quo magis & nostros contendis soluere amores,
Hoc magis accepta fallit vterque fide.
Non impune feres. sciet hæc insana puella,
Et tibi non tacitis vocibus hostis erit.
Nec tibi me posthac committet Cynthia, nec te
Quæret. erit tanti criminis illa memor:
Et te circum omnes alias irata puellas
Deferet. heu nullo limine carus eris.
Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Et quicunque sacer, qualis vbique, lapis.
Non vllo grauius tentatur Cynthia damno,
Quàm sibi dum rapto cessat amore deus,
Præcipue nostri. maneat sic semper, adoro;
Nec quicquam ex illa, quod querar, inueniam.

AD GALLVM.

INuide, tu tandem voces compesce molestas,

Et

Et sine nos cursu, quo sumus, ire pares.
Quid tibi vis insane meos sentire furores?
Infelix properas vltima nosse mala,
Et miser ignotos vestigia ferre per ignes,
Et bibere è tota toxica Thessalia.
Non est illa vagis similis collata puellis.
Molliter irasci non solet illa tibi.
Quòd si forte tuis non est contraria votis,
At tibi curarum millia quanta dabit.
Non tibi iam somnos, non illa relinquet ocellos.
Illa feros animis alligat vna viros.
Ah mea contemptus quoties ad limina curres,
Cum tibi singultu fortia verba cadent,
Et tremulis mœstus orietur fletibus horror,
Et timor informem ducet in ore notam:
Et quacunque voles fugient tibi verba querenti;
Nec poteris, qui sis, aut vbi, nosse miser.
Tum graue seruitium nostræ cogere puellæ
Discere, & exclusum quid sit abire domum.
Nec iam pallorem toties mirabere nostrum,
Aut cur sim toto corpore nullus ego.
Nec tibi nobilitas poterit succurrere amanti.
Nescit amor priscis cedere imaginibus.
Quòd si parua tuæ dederis vestigia culpæ,
Quàm cito de tanto nomine rumor eris.
Non ego tum potero solatia ferre roganti,
Cum mihi nulla mei sit medicina mali
Sed pariter miseri socio cogemur amore
Alter in alterius mutua flere sinu.
Quare, quid possit mea Cynthia, desine Galle
Quærere, non impunè illa rogata venit.

AD TVLLVM.

NOn ego nunc Adriæ vereor mare noscere tecum
Tulle, neque Ægeo ducere vela salo,
Cum quo Rhyphæos possim conscendere montes,
Vlteriúsque domos vadere Memnonias.
Sed me complexæ remorantur verba puellæ,
Mutatóque graues sæpe colore preces.
Illa mihi totis argutat noctibus ignes,
Et queritur nullos esse relicta deos.
Illa meam mihi iam se denegat: illa minatur,
Quæ solet irato tristis amica viro.
His ego non horam possim durare querelis.
Ah pereat, si quis lentus amare potest.
An mihi sit tanti doctas cognoscere Athenas,
Atque Asiæ veteres cernere diuitias:
Vt mihi deducta faciat conuicia puppi
Cynthia, & insanis ora notet manibus?
Osculáque opposito dicat sibi debita vento,
Et nihil infido durius esse viro?
Tu patrui meritas conare anteire secures,
Et vetera oblitis iura refer socijs.
Nam tua non ætas vnquam seruiuit amori,
Semper at armatæ cura fuit patriæ:
Et tibi non vnquam nostros puer iste labores
Afferat, & lacrymis omnia nota meis.
Me sine, quem semper voluit fortuna iacere,
Hanc animam extremæ reddere nequitiæ.
Multi longinquo periere in amore libenter,
In quorum numero me quoque terra tegat.
Non ego sum laudi, non natus idoneus armis.
Hanc me militiam fata subire volunt.
At tu seu mollis quà tendit Ionia, seu quà

Lydia Pactoli tingit aratra liquor,
Seu pedibus terras, seu pontum carpere remis
Ibis, & accepti pars eris imperij,
Tum tibi si qua mei veniet non immemor hora,
Viuere me duro sidere certus eris.

AD PONTICVM POETAM.

Cum tibi Cadmeæ dicuntur Pontice Thebæ,
Armáque fraternæ tristia militiæ,
Atque, ita sim felix, primo contendis Homero,
Sint modo fata tuis mollia carminibus,
Nos, vt consuemus, nostros agitamus amores,
Atque aliquid duram quærimus in dominam;
Nec tantum ingenio, quantum seruire dolori
Cogor, & ætatis tempora dura queri.
Hic mihi conteritur vitæ modus, hæc mea fama est,
Hinc cupio nomen carminis ire mei.
Me laudent doctæ solum placuisse puellæ,
Pontice, & iniustas sæpe tulisse minas.
Me legat assidue post hæc neglectus amator,
Et prosint illi cognita nostra mala.
Te quoque si certo puer hic concusserit arcu,
Quod nolim nostros euiolasse deos:
Longe castra tibi, longe miser agmina septem
Flebis, in æterno surda iacere situ.
Et frustra cupies mollem componere versum,
Nec tibi subijciet carmina sæuus Amor.
Tunc me non humilem mirabere sæpe poetam:
Tunc ego Romanis præferar ingenijs:
Nec poterunt iuuenes nostro reticere sepulcro,
Ardoris nostri magne poeta iaces.
Tu caue nostra tuo contemnas carmina fastu.
Sæpe venit magno fœnore tardus amor.

AD CYNTHIAM.

TV ne igitur demens? nec te mea cura moratur?
An tibi sum gelida vilior Illyria.
Et tibi iam tanti, quicunque est iste, videtur,
Vt sine me vento quolibet ire velis?
Tu ne audire potes vesani murmura ponti?
Fortis & in dura naue iacere potes?
Tu pedibus teneris positas fulcare pruinas?
Tu potes insolitas Cynthia ferre niues?
O vtinam hiberna duplicentur tempora bruma,
Et sit iners tardis nauita Vergilijs,
Ne tibi Tyrrhena soluatur funis arena,
Néve inimica meas eleuet aura preces:
Atque ego non videam tales subsidere ventos,
Cum tibi prouectas auferet vnda rates,
Et me defixum vacua patiaris arena
Crudelem infesta saepe vocare manu.
Sed, quocunque modo de me periura mereris,
Sit Galathea tuae non aliena viae;
Vt te felici vectam per caerula remo
Accipiat placidis Oricos aequoribus.
Nam me non vllae poterunt corrumpere tedae,
Quin ego vita tuo limine verba querar.
Nec me deficiet nautas rogitare citatos.
Dicite, quo portu clausa puella mea est:
Et dicam, Autaricis licet haec consideat in oris,
Et licet Hyleis, illa futura mea est.
Hic erit, hic iurata manet: rumpantur iniqui.
Vicimus: assiduas non tulit illa preces.
Falsa licet cupidus deponat gaudia liuor;
Destitit ire nouas Cynthia nostra vias.
Illi carus ego, & per me carissima Romae

Dicitur, & sine me dulcia regna negat.
Illa vel angusto mecum requiescere lecto,
Et quocunque modo maluit esse mea:
Quàm sibi dotata regnum vetus Hippodamia,
Et quas Elis opes ante pararat equis.
Quamuis magna daret, quamuis maiora daturus,
Non tamen illa meos fugit auara sinus.
Hanc ego non auro, non Indis flectere conchis,
Sed potui blandi carminis obsequio.
Sunt igitur Musæ, neque amanti tardus Apollo,
Queis ego fretus amo, Cynthia rara mea est.
Nunc mihi summa licet contingere sidera plantis:
Siue dies, seu nox venerit, illa mea est:
Nec mihi riualis certos subducet amores.
Ista meam norit gloria canitiem.

AD PONTICVM SVVM.

DICEBAM *tibi venturos irrisor amores,*
Nec tibi perpetuo libera verba fore.
Ecce iaces, supplexque venis ad iura puellæ,
Et tibi nunc quæuis imperat empta modo.
Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ
Dicere, quos iuuenes quæq; puella domet.
Me dolor, & lacrymæ merito fecere peritum.
Atque vtinam posito dicar amore rudis.
Quid tibi nunc misero prodest graue dicere carmen?
Aut Amphioniæ mœnia flere lyræ?
Plus in amore valet Mimnermi versus Homero,
Carmina mansuetus lenia quærit Amor.
I quæso, & tristes istos depone libellos,
Et cane quod quæuis nosse puella velit.
Quid si non esset facilis tibi copia? nunc tu
Insanus medio flumine quæris aquam.

Nec

Nec dum etiam palles, vero nec tangeris igni:
Hæc est venturi prima fauilla mali.
Tunc magis Armenias cupies accedere tigres,
Et magis infernæ vincula nosse rotæ,
Quàm pueri toties arcum sentire medullis,
Et nihil iratæ posse negare tuæ.
Nullus amor cuiquam faciles ita præbuit alas,
Vt non alterna presserit ille manu,
Nec te decipiat, quòd sit satis illa parata.
Acrius illa subit Pontice, si qua tua est.
Quippe vbi non liceat vacuos seducere ocellos,
Nec vigilare alio nomine cedat Amor.
Qui non ante patet, donec manus attigit ossa.
Quisquis es, assiduas aufuge blanditias.
Illis & silices, & possunt cedere quercus,
Nedum tu possis spiritus iste leuis.
Quare, si pudor est, quamprimum errata fatere.
Dicere quo pereas, sæpe in amore iuuat.

AD GALLVM.

O IVCVNDA *quies, primo cum testis amori*
Affueram vestris conscius in lacrymis.
O noctem meminisse mihi iucunda voluptas,
O quoties votis illa vocanda meis,
Cum te complexa morientem Galle puella,
Vidimus in longam ducere verba moram.
Quamuis labentes premeret mihi somnus ocellos,
Et medijs cœlo luna ruberet equis,
Non tamen à vestro potui secedere lusu:
Tantus in alternis vocibus ardor erat.
Sed quoniam non es veritus concredere nobis:
Accipe commissæ munera lætitiæ.
Non solum vestros didici reticere dolores.

Est quiddam in nobis maius amice fide.
Possum ego diuisos iterum coniungere amantes,
Et dominæ tardas possum aperire fores,
Et possum alterius curas sanare recentes,
Nec leuis in verbis est medicina meis.
Cynthia me docuit semper, quæ cunque petenda,
Quæq; cauenda forent. non nihil egit amor.
Tu caue ne tristi cupias pugnare puellæ,
Néve superba loqui, néve tacere diu,
Neu si quid petijt, ingrata fronte negaris,
Neu tibi pro vano verba benigna cadant.
Irritata venit quando contemnitur illa,
Nec meminit iustas ponere læsa minas.
At quo sis humilis magis, & subiectus amori,
Hoc magis effecto sæpe fruare bono.
Is poterit felix vna remanere puella,
Qui nunquam vacuo pectore liber erit.

AD CYNTHIAM.

ECQVID te medijs cessantem Cynthia Baijs,
Quà iacet herculeis semita littoribus,
Et modo Thesproti mirantem subdita regno
Proxima Misenis æquora nobilibus,
Nostri cura subit memores abducere noctes?
Ecquis in extremo restat amore locus?
An te nescio quis simulatis ignibus hostis
Sustulit è nostris Cynthia carminibus?
Atque vtinam mage te remis confisa minutis
Paruula Lucrina cymba moretur aqua:
Aut teneat clausam tenui natitantis in vnda
Alternæ facilis cedere lymphæ manu,
Quàm vacet alterius blandos audire susurros
Molliter in tacito littore compositam.

Vt so

Vt solet amoto labi custode puella
Perfida communes nec meminisse deos.
Non quia perspecta non es mihi cognita fama,
Sed quòd in hac omnis parte timetur amor.
Ignosces igitur, si quid tibi triste libelli
Attulerint nostri: culpa timoris erit.
An mihi sit maior caræ custodia matris,
Aut sine te vitæ cura sit vlla meæ?
Tu mihi sola domus, tu Cynthia sola parentes,
Omnia tu nostræ tempora lætitiæ.
Seu tristis veniam, seu contra lætus amicis:
Quidquid ero, dicam, Cynthia caussa fuit.
Tu modo quamprimum corruptas desere Baias.
Multis ista dabunt littora dissidium,
Littora quæ fuerant castis inimica puellis.
Ah pereant Baiæ crimen amoris aquæ.

Conqueritur poeta, propter Baianum secessum Cynthiam ab amore suo abalienatam esse.

QVID *mihi desidiæ non cessas fingere crimen,*
Quòd faciat nobis conscia Roma moram?
Tam multa illa meo diuisa est millia lecto,
Quantum Hypanis Veneto dissidet Eridano.
Nec mihi consuetos amplexu nutrit amores
Cynthia, nec nostra dulcis in aure sonat.
Olim gratus eram. non illo tempore cuiquam
Contigit, vt simili posset amare fide.
Inuidiæ fuimus. num me deus obruit? an quæ
Lecta Prometheis diuidit herba iugis?
Non sum ego qui fueram. mutat via longa puellas.
Quantus in exiguo tempore fugit amor.
Nunc primum longas solus cognoscere noctes
Cogor, & ipse meis auribus esse grauis.

Felix qui potuit præsenti flere puellæ.
Non nihil aspersis gaudet amor lacrymis.
Aut si despectus potuit mutare calores,
Sunt quoque translato gaudia seruitio.
Mi neque amare aliam, neque ab hac discedere fas est.
Cynthia prima fuit, Cynthia finis erit.

AD GALLVM.

TV, *quod sæpe soles, nostro lætabere casu*
Galle, quòd abrepto solus amore vacem.
At non ipse tuas imitabor perfide voces.
Fallere te nunquam Galle puella velit.
Dum tibi deceptis augetur fama puellis,
Certus & in nullo quæris amore moram,
Perditus in quadam tardis pallescere curis
Incipis, & primo lapsus adire gradu.
Hæc erit illarum contempti pœna doloris:
Multarum miseras exiget vna vices:
Hæc tibi vulgares istos compescet amores:
Nec noua quærendo semper amicus eris.
Hæc ego non rumore malo, non augure doctus:
Vidi ego, me quæso teste negare potes?
Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere iniectis Galle diu manibus,
Et cupere optatis animam deponere verbis,
Et quæ deinde meus celat amice pudor.
Non ego complexus potui diducere vestros.
Tantus erat demens inter vtrosque furor.
Non sic Æmonio Salmonida mistus Enipeo
Tænarius facili pressit amore deus.
Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in Oetæis gaudia prima iugis.
Vna dies omnes potuit præcurrere amantes,

Nam

Nam tibi non tepidas subdidit illa faces.
Nec tibi præteritos passa est succedere fastus,
Nec sinet abduci. te tuus ardor aget.
Nec mirum cum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu, gratior vna tribus.
Illa sit Inachijs & blandior heroinis,
Illa suis verbis cogat amare Iouem.
Tu vero quoniam semel es periturus amore,
Vrere, non alio lumine dignus eras.
Quæ tibi sit felix: quoniam nouus incidit error,
Et quodcunque voles, vna sit ista tibi.

AD TVLLVM.

TV licet abiectus Tiberina molliter vnda
Lesbia Mentoreo vina bibas opere,
Et modo tam celeres mireris currere lintres,
Et modo tam tardas funibus ire rates,
Et nemus omne satas intendat vertice siluas,
Vrgetur quantis Caucasus arboribus,
Non tamen ista meo valeant contendere amori.
Nescit amor magnis cedere diuitijs.
Nam siue optatam mecum trahit illa quietem,
Seu facili totum ducit amore diem:
Tunc mihi Pactoli veniunt sub tecta liquores,
Et legitur rubris gemma sub æquoribus:
Tum mihi cessuros spondent mea gaudia reges:
Quæ maneant, dum me fata perire volent.
Nam quis diuitijs aduerso gaudet amore?
Nulla mihi tristi præmia sunt Venere.
Illa potest magnas heroum infringere vires,
Illa etiam duris mentibus esse dolor.
Illa neque Arabium metuit transcendere limen,
Nec timet ostrino Tulle subire toro,

Et miserum toto iuuenem versare cubili.
Quid releuant varijs serica textilibus?
Quæ mihi dum placata aderit, non vlla verebor
Regna, nec Alcinoi munera despicere.

AD CYNTHIAM.

SAEPE ego *multa tuæ leuitatis damna timebam,*
Hac tamen excepta Cynthia perfidia.
Aspice me quanto rapiat fortuna periclo,
Tu tamen in nostro lenta timore venis,
Et potes externos manibus componere crines,
Et longa faciem quærere desidia.
Nec minus Eois pectus variare lapillis,
Vt formosa nouo quæ parat ire viro.
At non sic Ithaci digressu mota Calypso
Desertis olim fleuerat æquoribus.
Multos illa dies incomptis mæsta capillis
Sederat iniusto multa locuta salo:
Et quamuis nunquam, posthac visura, dolebat
Illa tamen longæ conscia lætitiæ.
Alphesibœa suos vlta est pro coniuge fratres,
Sanguinis & cari vincula rupit amor.
Nec sic Æsoniden rapientibus anxia ventis
Hypsipyle vacuo constitit in thalamo.
Hypsipyle nullos post illos sensit amores,
Vt semel Æmonio tabuit hospitio.
Coniugis Euadne miseros elata per ignes,
Occidit Argiuæ fama pudicitiæ.
Quarum nulla tuos potuit conuertere mores,
Tu quoque vti fieres nobilis historia.
Desine iam reuocare tuis periuria verbis
Cynthia, & oblitos parce mouere deos;
Audax ah nimium nostro dolitura periclo,

Si quid

Si quid forte tibi durius inciderit.
Multa prius vasto labentur flumina ponto,
Annus & inuersas duxerit ante vices,
Quàm tua sub nostro mutetur pectore cura,
Sis quocunque voles, non aliena tamen.
Quamvé mihi viles isti videantur ocelli,
Per quos sæpe mihi credita perfidia est.
Hos tu iurabas, si quid mentita fuisses,
Vt tibi suppositis exciderent manibus.
Et contra magnum potes hos attollere solem?
Nec tremis admissæ conscia nequitiæ?
Quis te cogebat multos pallere colores,
Et fletum inuitis ducere luminibus?
Queis ego nunc pereo, similes moniturus amantes.
O nullis tutum credere blanditijs.

VERBA IANVAE CONQVERENTIS.

QVa fueram magnis olim patefacta triumphis
Ianua Tarpeiæ nota pudicitiæ,
Cuius inaurati celebrarunt limina currus,
Captorum lacrymis humida supplicibus;
Nunc ego nocturnis potorum saucia rixis,
Pulsata indignis sæpe queror manibus.
Et mihi non desunt turpes pendere corollæ,
Semper & exclusis signa iacere faces:
Nec possum infamis dominæ defendere noctes
Nobilis obscœnis tradita carminibus.
Nec tamen illa suæ reuocatur parcere famæ
Turpior, & secli viuere luxuria.
Has inter grauibus cogor deflere querelis
Supplicis à longis tristior excubijs.
Ille meos nunquam patitur requiescere postes
Arguta referens carmina blanditia.

Ianua vel domina penitus crudelior ipsa,
Quid mihi tam duris clausa taces foribus?
Cur nunquam reserata meos admittis amores,
Nescia furtiuas reddere mota preces?
Nulla ne finis erit nostro concessa dolori?
Tristis & in tepido limine somnus erit?
Me mediæ noctes, me sidera plena iacentem,
Frigidáque Eoo me dolet aura gelu.
Tu sola humanos nunquam miserata dolores,
Respondes tacitis mutua cardinibus.
O vtinam traiecta caua mea vocula rima,
Percussas dominæ vertat in auriculas.
Sit licet & saxo patientior illa Sicano,
Sit licet & ferro durior, & chalybe:
Non tamen illa suos poterit compescere ocellos,
Surget & inuitis spiritus in lacrymis.
Nunc iacet alterius felici nixa lacerto,
At mea nocturno verba cadunt Zephyro.
Sed [illegible] sola mei tu maxima caussa doloris
Victa meis nunquam ianua muneribus.
Te non vlla meæ læsit petulantia linguæ,
Quæ solet irato dicere tuta loco,
Ut me tam longa raucum patiare querela,
Solicitas triuio peruigilare moras.
At tibi sæpe nouo deduxi carmina versu,
Osculáque impressis nixa dedi gradibus.
Ante tuos quoties verti me perfida postes,
Debitáque occultis vota tuli manibus;
Hæc ille, & si quæ miseri nouistis amantes,
Et matutinis obstrepit alitibus.
Sic ego nunc dominæ vitiis, & semper amantis
Fletibus æterna differor inuidia.

AD CYNTHIAM DE MARIS TEMPESTATE.

ET merito, quoniam potui fugisse puellam,
Nunc ego desertas alloquor Halcyonas.
Nec mihi Cassiope solito visura carinam,
Omniáque ingrato littore vota cadunt.
Quin etiam absenti prosunt tibi Cynthia venti.
Aspice quàm sæuas increpat aura minas.
Nulla ne placatæ veniet fortuna procellæ?
Hæccine parua meum funus arena teget?
Tu tamen in melius sæuas conuerte querelas,
Sat tibi sit pœna nox, & iniqua vada.
An poteris siccis mea fata reponere ocellis?
Ossáque nulla tuo nostra tenere sinu?
Ah pereat, quicunque rates, & vela parauit
Primus, & inuito gurgite fecit iter.
Nonné fuit melius dominæ peruincere mores,
(Quamuis dura, tamen rara puella fuit)
Quàm sic ignotis circundata littora siluis
Cernere, & optatos quærere Tyndarias?
Illic si qua meum sepelissent fata dolorem,
Ultimus & posito staret amore lapis.
Illa meo caros donasset funere crines
Molliter, & tenera poneret ossa rosa,
Illa meum extremo clamasset puluere nomen,
Ut mihi non vllo pondere terra foret.
At vos æquoreæ formosa Doride natæ
Candida felici soluite vela noto,
Si quando vestras labens amor attigit vndas,
Mansuetis socio parcite littoribus.

Solus lamentatur de fastu Cynthiæ, ac leuitate.

HÆC certe deserta loca, & taciturna querenti,

Et vacuum Zephyri poſſidet aura nemus.
Hic licet occultos proferre impune dolores,
Si modo ſola queant ſaxa tenere fidem.
Vnde tuos primum repetam mea Cynthia faſtus?
Quod mihi das flendi Cynthia principium?
Qui modo felices inter numerabar amantes,
Nunc in amore tuo cogor habere notam.
Quid tantum merui? quæ te mihi carmina mutant?
An noua triſtitiæ cauſſa puella tuæ?
Sic mihi te referas leuis, vt non altera noſtro
Limine formoſos intulit vlla pedes.
Quamuis multa tibi dolor hic meus aſpera debet,
Non ita ſæua tamen venerit ira mea,
Vt tibi ſim merito ſemper furor, & tua flendo
Lumina deiectis turpia ſint lachrymis.
An quia parua damus mutato ſigna calore?
Et non vlla meo clamat in ore fides?
Vos eritis teſtes, ſi quos habet arbor amores,
Fagus, & Arcadio pinus amata deo.
Ah quoties teneras reſonant mea verba ſub vmbras,
Scribitur & veſtris Cynthia corticibus.
An tua quòd peperit nobis iniuria curas,
Quæ ſolum tacitis cognita ſunt foribus?
Omnia conſueui timidus perferre ſuperbæ
Iuſſa, neque arguto facta dolore queri,
Pro quo diuini fontes, & frigida rupes,
Et datur inculto tramite dura quies,
Et quodcunque meæ poſſunt narrare querelæ,
Cogor ad argutas dicere ſolus aues.
Sed qualiſcunque es, reſonent tibi Cynthia ſilua,
Nec deſerta tuo nomine ſaxa vacent.

AD CYNTHIAM.

NOn ego nunc tristes vereor mea Cynthia manes,
Nec moror extremo debita fata rogo:
Sed ne forte tuo careat mihi funus amore.
Hic timor est ipsis durior exequijs.
Non adeo leuiter noster puer hæsit ocellis,
Ut meus oblito puluis amore vacet.
Illic Phylacides iucundæ coniugis heros
Non potuit cæcis immemor esse locis,
Sed, cupidus falsis attingere gaudia palmis,
Tessalis antiquam venerat vmbra domum.
Illic quicquid ero, semper tua dicar imago.
Traijcit & facti littora magnus amor.
Illic formosæ veniant chorus heroinæ,
Quas dedit Argiuis Dardana præda viris,
Quarum nulla tua fuerit mihi Cynthia forma
Gratior, & tellus hoc ita iusta sinat.
Quamuis te longæ remorentur fata senectæ,
Cara tamen lacrymis ossa futura meis.
Quæ tu viua mea possis sentire fauilla.
Tum mihi non vllo mors sit amara loco.
Quàm vereor ne te contempto Cynthia busto,
Abstrahat è nostro puluere iniquus amor,
Cogat & inuitam lacrymas siccare cadentes.
Flectitur assiduis certa puella minis.
Quare, dum licet, inter nos lætemur amantes.
Non satis est vllo tempore longus amor.

AD GALLVM.

HOc pro continuo te Galle monemus amore,
Id tibi ne vacuo defluat ex animo,
Sæpe imprudenti fortuna occurrit amanti.
**Crudelis Minyis dux erit Ascanius.*

Est

Eſt tibi non infra ſpeciem, non nomine diſpar
Thiodamantheo proximus ardor Hylæ.
Nunc tu ſiue leges vmbroſæ flumina ſiluæ,
Siue Amena tuos tinxerit vnda pedes,
Siue gigantea ſpatiabere littoris ora,
Siue vbicunque vago fluminis hoſpitio,
Nympharum cupidas ſemper defende rapinas.
Non minor Auſonijs eſt amor in Dryadis.
Ne tibi ſit durum montes, & frigida ſaxa
Galle, neque expertos ſemper adire lacus,
Quæ miſer ignotis error perpeſſus in oris
Herculis indomito fleuerat Aſcanio:
Nanque ferunt olim Pagaſæ naualibus Argo
Egreſſam, longe Phaſido iſſe viam,
Et iam præteritis labentem Athamantidos vndis
Myſorum ſcopulis applicuiſſe ratem.
Hic manus heroum placidis vt conſtitit oris,
Mollia compoſita littora fronde tegit.
At comes inuicti iuuenis proceſſerat vltra,
Raram ſepoſiti quærere fontis aquam.
Hunc duo ſectati fratres Aquilonia proles,
Hunc ſuper & Zethes, hunc ſuper & Calais,
Oſcula ſuſpenſis inſtabant carpere palmis,
Oſcula & alterna ferre ſupina fuga.
Ille ſub extrema pendens ſecluditur ala,
Et volucres ramo ſubmouet inſidias.
Iam Pandioniæ ceſſet genus Orithyiæ.
** Ah dolor ibat Hylas, ibat Hamadryas hinc.*
Hic erat Arganti Phlegre ſub vertice montis,
Grata domus nymphis humida Thyniacis.
Quam ſupra nulli pendebant debita curæ
Roſcida deſertis poma ſub arboribus,

Et

Et circum irriguo surgebant lilia prato,
Candida purpureis mista papaueribus.
Quæ modo decerpens tenero pueriliter vngui,
Proposito florem prætulit officio,
Et modo formosis incumbens nescius vndis,
Errorem blandis tardat imaginibus.
Tandem haurire parat demissis flumina palmis
Innixus dextro plena trahens humero.
Cuius vt accensæ Dryades candore puellæ,
Miratæ solitos destituere choros;
Prolapsum leuiter facili traxere liquore.
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.
Cui procul Alcides iterat responsa, sed illi
Nomen ab extremis fontibus aura refert.
His o Galle tuos monitis seruabis amores,
Formosum nymphis credere visus Hylam.

GALLVS LOQVITVR.

TV, qui consortem properas euadere casum,
Miles ab Etruscis saucius aggeribus,
Quid nostro gemitu turgentia lumina torques?
Pars ego sum vestræ proxima militiæ.
Sic te seruato possint gaudere parentes:
Hæc soror acta tuis sentiat è lacrymis,
Gallum per medios ereptum Cæsaris enses,
Effugere ignotas non potuisse manus.
Et quicunque super dispersa inuenerit ossa
Montibus Etruscis, hæc sciat esse mea.

AD TVLLVM.

QValis, & vnde genus, qui sint mihi Tulle penates,
Quæris pro nostra semper amicitia.
Si Perusina tibi patriæ sunt nota sepulchra,
Italiæ duris funera temporibus,

Cum

Cum Romana suos egit discordia ciues.
(Sit mihi praecipue puluis Etrusca dolor,
Tu proiecta mei perpessa es membra propinqui:
Tu nullo miseri contegis ossa solo)
Proxima supposito contingens vmbria campo
Me genuit terris fertilis vberibus.

SEX. PROPERTII

ELEGIARVM

LIB. II.

AD MAECENATEM.

QVAERITIS vnde mihi toties scribantur amores,
Vnde meus veniat mollis in ora liber?
Non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
Ingenium nobis ipsa puella facit.
Siue togis illam fulgentem incedere Cois,
Hoc totum è Coa veste volumen erit:
Seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
Gaudet laudatis ire superba comis:
Siue lyrae carmen digitis percussit eburnis,
Miramur faciles vt premat arte manus:
Seu cum poscentes somnus declinat ocellos,
Inuenio causas mille poeta nouas:
Seu nuda erepto mecum luctatur amictu,
Tunc vero longas condimus Iliadas.
Seu quicquid fecit, siue est quodcunque locuta,
Maxima de nihilo nascitur historia.

Quòd

Quòd mihi si tantum Mæcenas fata dedissent,
Vt possem heroas ducere in arma manus,
Non ego Titanas canerem, non Ossan Olympo
Impositum, vt cæli Pelion esset iter,
Non veteres Thebas, nec Pergama nomen Homeri,
Xerxis & imperio bina coisse vada.
Regnáve prima Remi, aut animos Carthaginis altæ,
Cimbrorúmque minas, & bene facta Mari:
Belláque, résque tui memorarem Cæsaris, & tu
Cæsare sub magno cura secunda fores.
Nam quoties Mutinam, aut ciuilia busta Philippos,
Aut canerem Siculæ classica bella fugæ,
Euersósq; focos antiquæ gentis Etruscæ,
Et Ptolomææa littora capta Phari,
Aut canerem Ægyptum, & Nilũ, cũ tractus in vrbẽ
Septem captiuis debilis ibat aquis,
Aut regum auratis circundata colla catenis,
Actiáque in Sacra currere rostra via,
Te mea musa illis semper contexeret armis,
Et sumpta, & posita pace fidele caput.
Theseus infernis, superis testatur Achilles
Hic Ixioniden, ille Menœtiaden.
Sed neque Phlegræos Iouis, Enceladique tumultus
Intonet angusto pectore Callimachus:
Nec mea conueniunt duro præcordia versu
Cæsaris in Phrygios condere nomen auos.
Nauita de ventis, de tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, pastor oues:
Nos contra angusto versamus prælia lecto.
Qua pote quisque in ea conterat arte diem.
Laus in amore mori: laus si datur altera viuo
Posse frui, fruar ô solus amore meo.

Si memini, solet illa leues culpare puellas,
Et totam ex Helena non probat Iliada.
Seu mihi sint tangenda nouercæ pocula Phædræ,
Pocula priuigno non nocitura suo;
Seu mihi Circæo pereundum est gramine, siue
Colchis Colchiacis vrat ahena focis;
Vna meos quoniam prædata est fœmina sensus,
Ex hac ducentur funera nostra domo.
Omnes humanos sanat medicina dolores.
Solus amor morbi non amat artificem.
Tarda Philoctetæ sanauit crura Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Phillyrides:
Et deus extinctum Cressis Epidaurius herbis
Restituit patriis Androgeona focis:
Mysus & Æmonia iuuenis, qua cuspide vulnus
Senserat, hac ipsa cuspide sensit opem.
Hoc si quis vitium poterit mihi demere, solus
Tantaleæ poterit tradere poma manu;
Dolia virgineis idem ille repleuerit vrnis,
Ne tenera assidua colla grauentur aqua;
Idem Caucasea soluet de rupe Promethei
Brachia, & à medio pectore pellet auem.
Quandocunque igitur vitam mea fata reposcent,
Et breue in exiguo marmore nomen ero;
Mæcenas nostræ spes inuidiosa iuuentæ,
Et vitæ, & morti gloria iusta meæ,
Si te forte mea ducet via proxima busto,
Esseda cælatis siste Britanna iugis,
Taliáque illacrymans mutæ iace verba fauillæ,
Huic misero fatum dura puella fuit.

CYNTHIAE PVELLAE LAVDES.

LIBER *eram, & vacuo meditabar viuere lecto,*

At

At me composita pace fefellit Amor.
Cur hæc in terris facies humana moratur?
Iuppiter ignosco pristina furta tua.
Fulua coma est, longaq; manus: & maxima toto
Corpore: & incedit vel Ioue digna soror,
Aut cum Dulichias Pallas spatiatur ad aras,
Gorgonis anguiferæ pectus operta comis,
Qualis & Ischomache Lapithæ genus Heroine
Centauris medio grata rapina mero:
Mercurioque Sais fertur Bebeidos vndis
Virgineum primo composuisse latus.
Cedite iam diuæ, quas pastor viderat olim
Idæis tunicam ponere verticibus.
Hanc vtinam faciem nolit mutare senectus,
Et si Cumææ sæcula vatis aget.

ADVERSVM SE.

QVI nullum tibi dicebas iam posse nocere,
Hæsisti, cecidit spiritus ille tuus.
Vix vnum potes infelix requiescere mensem,
Et turpis de te iam liber alter erit.
Quærebam, sicca si posset piscis arena,
Nec solitus ponto viuere toruus aper:
Aut ego si possem studijs vigilare seueris.
Differtur, nunquam tollitur vllus amor.
Nec me tam facies, quamuis sit candida, cepit,
Lilia non dominæ sint magis alba meæ,
Et Mæotica nix nimio si certet Ibero,
Vtq; rosæ puro lacte natant folia,
Nec de more comæ per leuia colla fluentes,
Non oculi geminæ, sidera nostra, faces,
Nec si qua Arabio lucet bombyce puella.
Non sum de nihilo blandus amator ego:

Quantum, quòd posito formose saltat Iaccho,
Egit vt euantes dux Ariadna choros:
Et quantum Æolio cum tentat carmina plectro,
Par Aganippeæ ludere docta lyræ,
Et sua cum antiquæ committit scripta Corinnæ,
Carmináque Erinnes non putat æqua suis.
Num tibi nascenti primis mea vita diebus
Aridus argutum sternuit omen Amor?
Hæc tibi contulerunt cælestia munera diui:
Hæc tibi ne matrem forte dedisse putes.
Non non humani sunt partus talia dona:
Ista decem menses non peperere bona.
Gloria Romanis vna es tu nata puellis.
Romana accumbes prima puella Ioui:
Nec semper nobiscum humana cubilia vises.
Post Helenam hæc terris forma secunda redit.
Hac ego non mirer si flagret nostra iuuentus.
Pulchrius hac fuerat Troia perire tibi.
Olim mirabar, quòd tanti in Pergama belli
Europa atque Asia caussa puella fuit:
Nunc Pari tu sapiens, & tu Menelae fuisti,
Tu quia poscebas, tu quia lentus eras.
Digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles,
Vel Priamus belli caussa probanda fuit.
Si quis vult fama tabulas anteire vetustas,
Hic dominam exemplo ponat in ante meam:
Siue illam Hesperijs, siue illam ostendet Eois,
Vret & Eoos, vret & Hesperios.
His saltem vt tenear iam finibus, aut mihi si quis,
Acrius vt moriar, venerit alter amor.
Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arua iugo.

Sic

Sic primo iuuenes trepidant in amore feroces,
Dehinc domiti post hæc æqua,& iniqua ferunt.
Turpia perpessus vates est vincla Melampus,
Cognitus Iphicli subripuisse boues;
Quem non lucra,magis Pero formosa coegit
Mox Amithaonia nupta futura domo.

AD AMANTEM.

MVLTA *prius dominæ delicta queraris oportet,*
Sæpe roges aliquid,sæpe repulsus eas,
Et sæpe immeritos corrumpas dentibus vngues,
Et crepitum dubio suscitet ira pede.
Nequicquam perfusa meis vnguenta capillis
Ibat,& expenso planta morata gradu.
Non hic herba valet,non hic nocturna Cytæis,
Non per Medeæ gramina cocta manus.
Quippe vbi nec caussas,nec apertos cernimus ictus,
Vnde tamen veniant tot mala,cæca via est.
Non eget hic medicis,non lectis mollibus æger:
Huic nullum cœli tempus,& aura nocet.
Ambulat,& subito mirantur funus amici.
Sic est incautum quicquid habetur Amor.
Nam cui non ego sum fallaci præmia vati?
Quæ mea non decies somnia versat anus?
Hostis si quis erit nobis,amet ipse puellas.
Gaudeat in puero,si quis amicus erit.
Tranquillo tuta descendis flumine cymba.
Quid tibi tam parui littoris vnda nocet?
Alter sæpe vno mutat præcordia verbo,
Altera vix ipso sanguine mollis erit.

AD CYNTHIAM.

HOC *verum est tota te ferri Cynthia Roma,*
Et non ignota viuere nequitia.

Hoc merui sperare? dabis mihi perfida pœnas,
Et nobis Aquilo Cynthia ventus erit.
Inueniam tamen è multis fallacibus vnam,
Quæ fieri nostro carmine nota velit,
Nec mihi tam duris insultet moribus,& te
Vellicet. heu sero flebis amata diu.
Nunc est ira recens:nunc est discedere tempus.
Si dolor abfuerit,crede redibit amor.
Non ita Carpathiæ variant Aquilonibus vndæ,
Nec dubio nubes vertitur atra Noto,
Quàm facile irati verbo mutantur amantes.
Dum licet,iniusto subtrahe colla iugo.
Nec tu non aliquid, sed prima nocte,dolebis.
Omne in amore malum,si patiare,leue est.
At tu,per dominæ Iunonis dulcia iura,
Parce tuis animis,vita,nocere tibi.
Non solum taurus ferit vncis cornibus hostem,
Verum etiam instanti læsa repugnat ouis.
Nec tibi periuro scindam de corpore vestes:
Nec mea præclusas fregerit ira fores:
Nec tibi connexos iratus carpere crines,
Nec duris ausim lædere pollicibus.
Rusticus hæc aliquis tam turpia prœlia quærat,
Cuius non ederæ circumiere caput.
Scribam igitur quod non vnquam tua deleat ætas,
Cynthia forma potens,Cynthia verba leuis.
Crede mihi,quamuis contemnas murmura famæ,
Hic tibi pallori Cynthia versus erit.

AD EANDEM.

NON *ita complebant Ephyreæ Laidos ædes,*
Ad cuius iacuit Græcia tota fores:
Turba Menandreæ fuerat nec Thaidos olim

Tanta, in qua populus lusit Erichthonius:
Nec quæ deletas potuit componere Thebas
Phryne, tam multis facta beata viris.
Quin etiam falsos fingis tibi sæpe propinquos:
Oscula nec desunt qui tibi iure ferant.
Me iuuenum facies picta, me nomina lædunt,
Me tener in cunis, & sine voce puer:
Me lædet, si multa tibi dabit oscula mater,
Me soror, & cum qua dormit amica simul.
Omnia me lædent. timidus sum. ignosce timori.
Et miser in tunica suspicor esse virum.
His olim, vt fama est, vitijs ad prœlia ventum est:
His Troiana vides funera principijs.
Aspera Centauros eadem dementia iussit
Frangere in aduersum pocula Pirithoum.
Cur exempla petam Graium? tu criminis auctor
Nutritus duro Romule lacte Lupæ:
Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas.
Per te nunc Roma quidlibet audet Amor.
Felix Admeti coniux, & lectus Vlyssis,
Et quæcunque viri femina limen amat.
Templa Pudicitiæ quid opus statuisse puellis,
Si cuiuis nuptæ quidlibet esse licet?
Quæ manus obscœnas depinxit prima tabellas,
Et posuit casta turpia visa domo,
Illa puellarum ingenuos corrupit ocellos,
Nequitiaéq; suæ noluit esse rudes.
Ah gemat, in terris ista qui protulit arte,
Iurgia sub tacita condita lætitia.
Non istis olim variabant tecta figuris,
Cum paries nullo crimine pictus erat.
Sed non immerito velauit aranea fanum,

Et mala desertos occupat herba deos.
Quos igitur tibi custodes, quæ limina ponam,
Quæ nunquam supra pes inimicus eat?
Nam nihil inuitæ tristis custodia prodest:
Quam peccare pudet, Cynthia, tuta sat est.
Vxor me nunquam, nunquam me ducet amica:
Semper amica mihi, semper & vxor eris.

AD CYNTHIAM.

GAVISA *est certe sublatam Cynthia legem;*
Qua quondam edicta flemus vterque diu,
Ne nos diuideret. quamuis diducere amantes
Non queat inuitos Iuppiter ipse duos.
At magnus Cæsar, sed magnus Cæsar in armis.
Deuictæ gentes nil in amore valent.
Nam citius paterer caput hoc discedere collo,
Quàm possem nuptæ perdere amore faces.
An ego transirem tua limina clausa maritus
Respiciens vdis perdita luminibus?
Ah mea tum quales caneret tibi Cynthia cantus
Tibia, funesta tristior illa tuba.
Vnde mihi patriis natos præbere triumphis?
Nullus de nostro sanguine miles erit.
Quòd si vera meæ comitarem castra puellæ,
Non mihi sat magnus Castoris iret equus.
Hinc etenim tantum meruit mea gloria nomen,
Gloria ad hibernos lata Borysthenidas.
Tu mihi sola places: placeam tibi Cynthia solus.
Hic erit & patrio sanguine pluris amor.

AD AMICVM.

ERIPITVR *nobis iam pridem cara puella,*
Et tu me lacrymas fundere amice vetas?
Nullæ sunt inimicitiæ, nisi amoris, acerbæ.

Ipsum me iugula, lenior hostis ero.
Possum ego in alterius positam spectare lacerto?
Nec mea dicetur, quæ modo dicta mea est?
Omnia vertuntur, certe vertuntur amores.
Vinceris, aut vincis, hæc in amore rota est.

*

Magni sæpe duces, magni cecidere tyranni:
Et Thebæ steterant, altáque Troia fuit.
Munera quanta dedi, vel qualia carmina feci:
Illa tamen nunquam ferrea dixit, amo.
Ergo iam multos nimium temerarius annos.
Improba qui tulerim téque, tuámque domum.
Ecquando ire tibi liber sum visus? an vsque
In nostrum iacies verba superba caput?
Sic igitur prima moriere ætate Properti:
Sed morere; interitu gaudeat illa tuo.
Exagitet nostros manes, sectetur & vmbras,
Insultétque rogis, calcet & ossa mea.
Quid? non Antigones tumulo Bœotius Hæmon
Corruit ipse suo saucius ense latus?
Et sua cum miseræ permiscuit ossa puellæ,
Qua sine Thebanam noluit ire domum?
Sed non effugies. mecum morieris. oportet,
Hoc eodem ferro stillet vterque cruor.
Quamuis ista mihi mors est inhonesta futura,
Mors inhonesta quidem, tu moriere tamen.
Ille etiam abrepta desertus coniuge Achilles
Cessare in tectis pertulit arma sua.
Viderat ille fuga tractos in littore Achiuos,
Feruere & Hectorea Dorica castra face.
Viderat informem multa Patroclon arena
Porrectum, & sparsas cæde iacere comas.

Omnia formosam propter Briseida passus.
Tantus in erepto sæuit amore dolor.
At postquam sera captiua est redita pœna,
Fortem illum Æmonijs Hectora traxit equis.
Inferior multo cum sim vel Marte, vel armis,
Mirum si de me iure triumphat Amor.

AD AMICAM DE RIVALI.

Iste quod est, ego sæpe fui, sed fors & in hora
Hoc ipso eiecto carior alter erit.
Penelope poterat bis denos salua per annos
Viuere, tam multis femina digna procis.
Coniugium falsa poterat differre Minerua,
Nocturno soluens texta diurna dolo.
Visura & quamuis nunquam speraret Vlyssem,
Illum expectando facta remansit anus.
Nec non exanimem amplectens Briseis Achillem
Candida vesana verberat ora manu.
Et dominum lauit mærens captiua cruentum,
Appositum fluuijs in Simoenta vadis,
Fœdauitque comas, & tanti corpus Achillis,
Maximáque in parua sustulit ossa manu.
Quando ibi nec Peleus aderat, nec cærula mater,
Scyria nec viduo Deidamia viro.
Tunc igitur veris gaudebat Græcia natis,
Tunc etiam felix inter & arma pudor.
At tu non vna potuisti nocte vacare
Impia, non vnum sola manere diem.
Quin etiam multo duxisti pocula risu.
Forsitan & de me verba fuere mala.
Hic etiam petitur, qui te prius ipse reliquit.
Di faciant isto capta fruare viro.
Hæc mihi vota tuam propter suscepta salutem,

Cum capite hoc Stygiae iam peterentur aquae,
Et lectum flentes circumstaremus amici?
Hic vbi tum (pro dij) perfida, quisvé fuit?
Quid si longinquos retinerer miles ad Indos?
Aut mea si staret nauis in Oceano?
Sed vobis facile est verba, & componere fraudes.
Hoc vnum didicit femina semper opus.
Non sic incerto mutantur flamine Syrtes,
Nec folia hiberno tam tremefacta noto,
Quàm cito feminea non constat foedus in ira,
Siue ea caussa grauis, siue ea caussa leuis.
Nunc quoniam ista tibi placuit sententia, cedam.
Tela precor pueri figite acuta magis.
Figite certantes, atque hanc mihi soluite vitam.
Sanguis erit vobis maxima palma meus.
Sidera sunt testes, & matutina pruina,
Et furtim misero ianua aperta mihi,
Te nihil in vita nobis acceptius vnquam.
Nunc quoque eris, quamuis sis inimica mihi.
Nec domina vlla meo ponet vestigia lecto.
Solus ero, quoniam non licet esse tuum.
Atque vtinam, si forte pios eduximus annos,
Ille vir in medio fiat amore lapis.
Non ob regna magis diris cecidere sub armis
Thebani media non sine matre duces,
Quàm mihi si media liceat pugnare puella:
Mortem ego non fugiam morte subire tua.

AD MVSAM.

I*Am tempus lustrare alijs Helicona choreis,*
Et campum Hæmonio iam dare tempus equo.
Iam libet & fortes memorare ad praelia turmas;
Et Romana mei dicere castra ducis.

Quòd

Quòd si deficiant vires, audacia certe
Laus erit in magnis, & voluisse sat est.
Ætas prima canat Veneres, extrema tumultus.
Bella canam, quando scripta puella mea est.
Nunc volo subducto grauior procedere vultu:
Nunc aliam citharam me mea musa docet.
Surge anima ex humili iam carmine: sumite vires
Pierides: magni nunc erit oris opus.
Iam negat Euphrates equitem post terga tueri
Parthorum, & Crassos se tenuisse dolet.
India quin Auguste tuo dat colla triumpho,
Et domus intactæ te tremit Arabiæ.
Et si qua extremis tellus se subtrahit oris,
Sentiet illa tuas post modo victa manus.
Hæc ego castra sequar vates tua castra canendo,
Magnus ero, seruent hunc mihi fata diem.
Vt caput in magnis vbi non est tangere signis,
Ponitur hic imos ante corona pedes.
Sic nos nunc inopes laudis conscendere carmen,
Pauperibus sacris vilia thura damus.
Nondum etiam Ascræos norunt mea carmina fontes,
Sed modo Permessi flumine lauit Amor.

AD CYNTHIAM.

Scribant de te alij, vel sis ignota, licebit.
Ludes, qui sterili semina ponit humo.
Omnia, crede mihi, tecum vno munera lecto
Auferet extremi funeris atra dies:
Et tua transibit contemnens ossa viator,
Nec dicet, cinis hic docta puella fuit.

DE AMORE.

Qvicunque ille fuit, puerum qui pinxit Amorem
Non ne putas miras hunc habuisse manus?

Is

Is primum vidit, sine sensu viuere amantes,
Et leuibus curis magna perire bona.
Idem non frustra ventosas addidit alas,
Fecit & humano corde volare deum.
Scilicet alterna quoniam iactamur in vnda,
Nostráque non vllis permanet aura locis.
Et merito hamatis manus est armata sagittis,
Et pharetra ex humero Gnosia vtroque sonat:
Ante ferit quoniam, tuti quàm cernimus hostem,
Nec quisquam ex illo vulnere sanus abit.
In me tela manent, manet & puerilis imago,
Sed certe pennas perdidit ille suas.
Euolat è nostro quoniam de pectore nusquam,
Assiduúsque meo sanguine bella gerit.
Quid tibi iucundum siccis habitare medullis?
Si pudor est, alio traijce tela tua.
Intactos isto satius tentare veneno.
Non ego, sed tenuis vapulat vmbra mea:
Quam si perdideris, quis erit, qui talia cantet?
Hæc mea musa leuis gloria magna tua est,
Quæ caput, & digitos, & lumina nigra puellæ,
Et canit, vt soleant molliter ire pedes.

AD CYNTHIAM.

NOn tot Achæmenijs armantur Susa sagittis,
Spicula quot nostro pectore fixit Amor.
Hic me tam graciles vetuit contemnere musas,
Iussit & Ascræum sic habitare nemus:
Non vt Pieriæ quercus mea verba sequantur,
Aut possim Ismaria ducere valle feras:
Sed magis vt nostro stupefiat Cynthia versu.
Tunc ego sim Inachio notior arte Lino.
Non ego sum formæ tantum mirator honestæ,

Nec

Nec si qua illustres femina iactat auos.
Me iuuet in gremio doctæ legisse puellæ,
Auribus & puris scripta probasse mea.
Hæc vbi contigerint, populi confusa valeto
Fabula: nam domina iudice tutus ero.
Quòd si forte bonas ad pacem verterit aures,
Possum inimicitias tunc ego ferre Iouis.
Quandocunque igitur nostros mors claudet ocellos,
Accipe quæ serues funeris acta mei.
Nec mea tunc longa spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei:
Nec mihi tunc fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro.
Desit odoriferis ordo mihi lancibus, assint
Plebeij paruæ funeris exequiæ.
Sat sit magna mei, si tres sint, pompa libelli,
Quos ego Persephonæ maxima dona feram.
Tu vero nudum pectus lacerata sequeris,
Nec fueris nomen lassa vocare meum:
Osculaque in gelidis pones suprema labellis,
Cum dabitur Syrio munere plenus onyx.
Deinde, vbi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes paruula testa meos:
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat extincti funeris vmbra locum.
Et duo sint versus: Qui nunc iacet arida puluis,
Vnius hic quondam seruus amoris erat.
Nec minus hæc nostri notescet fama sepulcri,
Quàm fuerant Phthij busta cruenta viri.
Tu quoque, si quando venies ad fata, memento
Hoc iter, ad lapides cana veni memores.
Interea caue, sis nos aspernata sepultos,

Non

Non nihil ad verum conscia terra sapit.
Atque utinam primis animam me ponere cunis
Iussisset quauis de tribus vna soror.
Nam quò tam dubiæ seruetur spiritus horæ?
Nestoris est visus post tria sæcla cinis.
Si tam longæua minuisset fata senectæ
Gallicus Iliacis miles in aggeribus;
Non ille Antilochi vidisset corpus humati,
Diceret aut, ò mors cur mihi sera venis?
Tu tamen amisso non nunquam flebis amico.
Fas est præteritos semper amare viros.
Testis, qui niueum quondam percussit Adonin
Venantem Idalio vertice, durus aper.
Illis formosum fleuisse paludibus, illuc
Diceris effusa tu Venus isse coma.
Sed frustra mutos reuocabis Cynthia manes.
Nam mea quid poterunt ossa minuta loqui?

LAETATVR POTITVS AMICA.

NOn ita Dardanio gauisus Atrida triumpho est,
Cum caderent magnæ Laomedontis op[es],
Nec sic errore exacto lætatus Vlysses,
Cum tetigit caræ littora Dulichiæ;
Nec sic Electra saluum cum aspexit Oresten,
Cuius falsa tenens fleuerat ossa soror;
Nec sic incolumem Minois Thesea vidit,
Dædaleum lino cum duce rexit iter;
Quanta ego præterita collegi gaudia nocte.
Immortalis ero, si altera talis erit,
At, dum demissis supplex ceruicibus ibam,
Dicebar sicco vilior esse lacu.
Nec mihi iam fastus opponere quærit iniquos,
Nec mihi ploranti lenta sedere potest.

Atque

Atque utinam non tam sero mihi nota fuisset
Conditio: cineri nunc medicina datur.
Ante pedes caecis lucebat semita nobis.
Scilicet insano nemo in amore videt.
Hoc sensi prodesse magis, contemnite amantes.
Sic hodie veniet, si qua negauit heri.
Pulsabant alij frustra, dominámque vocabant.
Mecum habuit positum lenta puella caput.
Haec mihi deuictis potior victoria Parthis:
Haec spolia, haec reges, haec mihi currus erunt.
Magna ego dona tua figam Cytherea columna,
Taléque sub nostro nomine carmen erit.
Has pono ante tuas tibi diua Propertius aedes
Exuuias, tota nocte receptus amans.
Nunc ad te mea lux veniet mea littora nauis
Seruata, an medijs sidat onusta vadis?
Et, si forte aliqua nobis mutabere culpa,
Vestibulum iaceam mortuus ante tuum.

NARRAT VOLVPTATES SVAS.

O Me felicem, nox ò mihi candida, & ò tu
Lectule delicijs facte beate meis,
Quàm multa apposita narramus verba lucerna,
Quantáque sublato lumine rixa fuit.
Nam modo nudatis mecum est luctata papillis,
Interdum tunica duxit operta moram.
Illa meos somno lassos patefecit ocellos
Ore suo, & dixit, siccine lente iaces?
Quàm vario amplexu mutamus brachia, quantum
Oscula sunt labris nostra morata tuis.
Non iuuat in caeco Venerem corrumpere motu.
Si nescis, oculi sunt in amore duces.
Ipse Paris nuda fertur perijsse Lacaena,

Cum

Cum Menelaeo surgeret è thalamo.
Nudus & Endymion Phœbi cepisse sororem
Dicitur,& nuda concubuisse deæ.
Quòd si pertendens animo vestita cubaris,
Scissa veste meas experiere manus:
Quin etiam,si me vlterius prouexerit ira,
Ostendes matri brachia læsa tuæ.
Necdum inclinatæ prohibent te ludere mammæ.
Viderit hac,si quam iam peperisse pudet.
Dum nos fata sinunt,oculos satiemus amore.
Nox tibi longa venit,nec reditura dies.
Atque vtinam hærentes sic nos vincire catena
Velles,vt nunquam solueret vlla dies.
Exemplo iunctæ tibi sint in amore columbæ,
Masculus & tutum femina coniugium.
Errat,qui finem vesani quærit amoris.
Verus amor nullum nouit habere modum.
Terra prius falso partu deludet arantes,
Et citius nigros sol agitabit equos,
Fluminaque ad caput incipient reuocare liquores,
Aridus & sicco gurgite piscis erit,
Quàm possim nostros alio transferre calores.
Huius ero viuus,mortuus huius ero.
Quòd mihi si secum tales concedere noctes
Illa velit,vitæ longus & annus erit.
Si dabit hæc multas,fiam immortalis in illis.
Nocte vna quiuis vel deus esse potest.
Qualem si cuncti vellent decurrere vitam,
Et pressi multo membra iacere mero,
Non ferrum crudele esset,neque bellica nauis,
Nec nostra Actiacum verteret ossa mare;
Nec toties propriis circum oppugnata triumphis

Lassa foret crines soluere Roma suos.
Hæc certe merito poterunt laudare minores.
Læserunt nullos pocula nostra deos.
Tu modo, dum licet, hunc fructum ne desere vitæ.
Omnia si dederis, oscula pauca dabis.
At veluti folia arentes liquere corollas,
Quæ passim calathis strata natare vides:
Sic nobis, qui nunc magnum speramus amantes,
Forsitan includet crastina fata dies.

AD CYNTHIAM.

PRAETOR *ab Illyricis venit modo Cynthia terris,*
Maxima præda tibi, maxima cura mihi.
Non potuit saxo vitam posuisse Cerauno.
Ah Neptune, tibi qualia dona darem.
Nunc sine me plena fiunt conuiuia mensa:
Nunc sine me tota ianua nocte patet.
Quare, si sapis, oblatas ne desere messes,
Et stolidum pleno vellere carpe pecus.
Deinde, vbi consumpto restabit munere pauper,
Dic, alias iterum nauiget Illyrias.
Cynthia non sequitur fasces, nec curat honores.
Semper amatorum ponderat illa sinus.
At tu nunc nostro Venus ô succurre dolori,
Rumpat vt assiduis membra libidinibus.
Ergo muneribus quiuis mercatur amorem?
Iuppiter, indigna merce puella perit.
Semper in Oceanum mittit me quærere gemmas,
Et iubet ex ipsa tollere dona Tyro.
Atque vtinam Romæ nemo esset diues, & ipse
Straminea posset dux habitare casa.
Nunquam venales essent ad munus amicæ;
Atque vna fieret cana puella domo.

Non

Non quia septenas noctes seiuncta cubaris,
Candida tam foedo brachia fusa viro;
Non quia peccaris, testor te; sed quia vulgo
Formosis leuitas semper amica fuit.
Barbarus excussis agitat vestigia lumbis,
Et subito felix nunc mea regna tenet.
Aspice quid donis Eriphyle inuenit amaris,
Arserit & quantis nupta Creusa malis.
Nulla ne sedabit nostros iniuria fletus?
An dolor hic vitijs nescit abesse suis?
Tot iam abiere dies, cum me nec cura theatri,
Nec tetigit campi, nec mea musa iuuat.
Ah pudeat certe, pudeat: nisi forte, quod aiunt,
Turpis amor surdis auribus esse solet.
Cerne ducem, modo qui fremitu compleuit inani
Actia damnatis aequora militibus.
Hunc infamis amor versis dare terga carinis
Iussit, & externo quaerere in orbe fugam.
Caesaris haec virtus, & gloria Caesaris haec est.
Illa, qua vicit, condidit arma manu.
Sed quascunque tibi vestes, quoscunque smaragdos,
Quósve dedit flauo lumine chrysolithos,
Haec videam rapidas in vanum ferre procellas,
Quae tibi terra velim, quae tibi fiat aqua.
Non semper placidus periuros ridet amantes
Iuppiter, & surda negligit aure preces.
Vidistin' toto sonitus percurrere caelo?
Fulminaque aetherea desiluisse domo?
Non haec Pleiades faciunt, neque aquosus Orion:
Nec sic de nihilo fulminis ira cadit.
Periuras tunc ille solet punire puellas,
Deceptus quoniam fleuit & ipse deus.

Quare ne tibi sit tanti Sidonia vestis,
Vt timeas quoties nubilus Auster erit.

DE EXCLVSIONE.

MENTIRI *noctem, promissis ducere amantem,*
Hoc erit infectas sanguine habere manus.
Horum ego sum vates, quoties desertus amaras
Expleui noctes fractus vtroque toro.
Vel tu Tantalea mouearе ad flumina sorte,
Vt liquor arenti fallat ab ore sitim:
Vel tu Sisyphios licet admirere labores,
Difficile vt toto monte volutet onus:
Durius in terris nihil est, quod viuat amante,
Nec modo si sapias, quod minus esse velis.
Quem modo felicem, inuidia admirante, ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
Nunc iacere è duro corpus iuuat impia saxo,
Sumere & in nostras trita venena manus.
Nunc licet in triuijs sicca requiescere luna,
Aut per rimosas mittere verba fores.
Quod quamuis ita sit, dominam mutare cauebo.
Tum flebit, cum mi senserit esse fidem.

AD CYNTHIAM.

ASSIDVAE *multis odium peperere querelæ.*
Frangitur in tacito femina sæpe viro.
Si quid vidisti, semper vidisse negato:
Aut si quid doluit forte, dolere nega.
Quid si iam canis ætas mea candeat annis?
Et faceret scissas languida ruga genas?
At non Tithoni spernens Aurora senectam
Desertum Eoa passa iacere domo est.
Illum sæpe suis decedens fouit in vlnis,
Quàm prius adiunctos sedula lauit equos.

Illum

Illum ad vicinos cum amplexa quiesceret Indos,
Maturos iterum est questa redire dies.
Illa deos currum conscendens dixit iniquos,
Inuitum & terris præstitit officium,
Cum maiora senis Tithoni gaudia viui,
Quàm grauis, amisso Memnone, luctus erat.
Cum sene non puduit talem dormire puellam,
Et cana toties oscula ferre comæ.
At tu etiam iuuenem odisti me perfida, cum sis
Ipsa anus haud longa curua futura die.
Quin ego diminuo curam, quòd sæpe Cupido
Huic malus esse solet, cui bonus ante fuit.
Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,
Ludis & externo tincta nitore caput.
Ut natura dedit, sic omnis recta figura.
Turpis Romano Belgicus ore color.
Illi sub terris fiant mala multa puellæ,
Quæ mentita suas vertit inepta comas.
De me, mi certe poteris formosa videri;
Mi formosa satis, si modo sæpe venis.
An, si cæruleo quædam sua tempora fuco
Tinxerit, iccirco cærula forma bona est?
Cum tibi nec frater, nec sit tibi filius vllus,
Frater ego, & tibi sim filius vnus ego.
Ipse tuus semper tibi sit custodia lectus,
Nec nimis ornata fronte sedere velis.
Credam ego, narranti noli committere famæ.
Et terram rumor transilit, & maria.

AD CYNTHIAM.

ETSI, *me inuito, discedis Cynthia Roma,*
Lætor quòd sine me deuia rura colis.
Nullus erit castis iuuenis corruptor in agris,

Quæ te blanditijs non ſinat eſſe probam.
Nulla neque ante tuas orietur rixa feneſtras,
Nec tibi clamatæ ſomnus amarus erit.
Sola eris, & ſolos ſpectabis Cynthia montes,
Et pecus, & fines pauperis agricolæ.
Illic te nulli poterunt corrumpere ludi,
Fanáque peccatis plurima cauſſa tuis.
Illic aſſidue tauros ſpectabis arantes,
Et vitem docta ponere falce comas:
Atque ibi rara feres inculto thura ſacello,
Hœdus vbi agreſtes corruet ante focos.
Protinus & nuda choreas imitabere ſura;
Omnia ab externo ſint modo tuta viro.
Ipſe ego venabor: iam nunc me ſacra Dianæ
Suſcipere, & Veneri ponere vota iuuat.
Incipiam captare feras, & reddere pinu
Cornua, & audaces ipſe monere canes:
Non tamen, vt vaſtos auſim tentare leones,
Aut celer agreſtes comminus ire ſues.
Hæc [illegible]tur mihi ſit, lepores, audacia, molles
Excipere, & ſtricto figere auem calamo,
Quà formoſa ſuo Clitumnus flumina luco
Integit, & niueos abluit vnda boues.
Tu, quoties aliquid conabere, vita, memento
Venturum paucis me tibi luciferis.
Sic me nec ſolæ poterunt auertere ſiluæ,
Nec vaga muſcoſis flumina fuſa iugis,
Quin ego in aſſidua mutem tua nomina lingua.
Abſenti nemo non nocuiſſe velit.

AD CYNTHIAM.

QVID *fles abducta grauius Briſeide? quid fles*
Anxia captiua triſtius Andromacha?
Quid

Quidve mea de fraude deos insana fatigas?
Quid quereris nostram sic cecidisse fidem?
Non tam nocturna volucris funesta querela
Attica Cecropijs obstrepit in folijs:
Nec tantum Niobe bis sex ad busta superba
Solicito lacrymans defluit à Sipylo.
Me licet æratis astringant brachia nodis,
Sint mea vel Danaes condita membra domo;
In te ego & æratas rumpam, mea vita, catenas,
Ferratam Danaes transiliámque domum.
De te quodcunque ad surdas mihi dicitur aures:
Tu modo ne dubita de grauitate mea.
Ossa tibi iuro per matris, & ossa parentis,
(Si fallo, cinis heu sit mihi vterque grauis)
Me tibi ad extremas mansurum, vita, tenebras.
Ambos vna fides auferet, vna dies.
Quòd si nec nomen, nec me tua forma teneret;
Posset seruitium mite tenere tuum.
Septima iam plenæ deducitur orbita lunæ,
Cum de me, & de te compita nulla tacent.
Interea nobis non nunquam ianua mollis,
Non nunquam lecti copia facta tui:
Nec mihi muneribus nox vlla est empta beatis,
Quicquid eram, hoc animi gratia magna tui.
Cum te tam multi peterent, tu me vna petisti.
Possum ego naturæ non meminisse tuæ?
Tunc me vel tragicæ vexetis Erinnyes, & me
Inferno damnes Æace iudicio;
Atque inter Tityi volucres mea pœna vagetur,
Túmque ego Sisyphio saxa labore geram.
Nec tu supplicibus me sis venerata tabellis.
Vltima talis erit, quæ mea prima fides.

Hoc mihi perpetuo ius est, quòd solus amator
Nec cito desisto, nec temere incipio.

AD CYNTHIAM DE PANTHO.

AH *quantum de me Panthi tibi pagina finxit,*
Tantum illi Pantho ne sit amica Venus.
Sed tibi iam videor Dodona verior augur.
Vxorem ille tuus pulcher amator habet.
Tot noctes periere: nihil pudet. aspice, cantat
Liber: tu nimium credula sola iaces.
Et nunc inter eos tu sermo es: te ille superbus
Dicit se inuito saepe fuisse domi.
Dispeream, si quicquam aliud, quàm gloria, de te
Quaeritur: has laudes ille maritus habet.
Colchida sic hospes quondam decepit Iason.
Eiecta est, tenuit nanque Creusa domum.
Sic à Dulichio iuuene est elusa Calypso.
Vidit amatorem pandere vela suum.
Ah nimium faciles aurem praebere puellae.
Discite, desertae, non temere esse bonae.
Huic quoque, qui restat, iam pridem quaeritur alter.
Experta in primo stulta cauere potest.
Nos quocunque loco, nos omni tempore tecum,
Siue aegra pariter, siue valente, sumus.

AD DEMOPHONTEM.

SCIS here mi multas pariter placuisse puellas,
Scis mihi Demophoon multa venire mala.
Nulla meis frustra lustrantur compita plantis.
O nimis exitio nata theatra meo.
Siue aliquis molli deducit candida gestu
Brachia, seu varios incinit ore modos,
Interea nostri quaerunt sibi vulnus ocelli,
Candida non tecto pectore si qua sedet.

Siue vagi crines puris in frontibus errant,
Indica quos medio vertice gemma tenet.
Quæ si forte aliquid vultu mihi dura negarat,
Frigida de tota fronte cadebat aqua.
Quæris Demophoon cur sim tam mollis in omnes.
Quod quæris, quare non habet vllus amor?
Cur aliquis sacris laniat sua brachia cultris?
Et Phrygis insanos cæditur ad numeros?
Vnicuique dedit vitium natura creato.
Mi Fortuna aliquid semper amare dedit.
Me licet & Thamyræ cantoris fata sequantur:
Nunquam ad formosas inuide cæcus ero.
Sed, tibi si exiles videor tenuatus in artus:
Falleris: haud vnquam est culta labore Venus.
Percontere licet: sæpe est experta puella
Officium tota nocte valere meum.
Iuppiter Alcmenæ geminas requieuerat arctos,
Et cælum noctu bis sine rege fuit:
Nec tamen iccirco languens ad fulmina venit.
Nullus amor vires eripit ipse suas.
Quid cum è complexu Briseidos iret Achilles,
Num fugere minus Thessala tela Phryges?
Quid ferus Andromachæ lecto cum surgeret Hector,
Bella Mycenææ non timuere rates?
Ille vel hic classes poterat, vel perdere muros.
Hic ego Pelides, hic ferus Hector ego.
Aspice vti cælo modo sol, modo luna ministret:
Sic etiam nobis vna puella parum est.
Altera me cupidis teneat foueátque lacertis:
Altera si quando est, non sinat esse locum:
Aut, si forte irata meo sit facta ministro,
Vt sciat esse aliam, quæ velit esse mea.

Nam melius duo defendunt retinacula nauem,
Tutius & geminos anxia mater alit.
Aut, si es dura, nega: si es non dura, venito.
Quid iuuat in nullo pondere verba loqui?
Hic vnus dolor est ex omnibus acer amanti,
Speranti subito si qua venire negat.
Quanta illum toto versant suspiria lecto,
Cum recipi, quem non nouerit, ille putat.
Et rursum puerum quaerendo audita fatigat:
Quem, quae scire timet, dicere plura iubet.

DE AMORIS SERVITVTE.

CVi fuit indocti fugienda haec semita vulgi,
Ipsa petita lacu nunc mihi dulcis aqua est.
Ingenuus quisquam alterius dat munera seruo,
Vt commissa suae verba ferat dominae?
Et quaerit toties, quaenam nunc porticus illam
Integit? & campo quo mouet illa pedes?
Deinde vbi pertuleris, quos dicit fama labores
Herculis, vt scribat, muneris ecquid habes?
Cernere vti possis vultum custodis auari,
Captus & immunda saepe latere casa.
Quàm care semel in toto nox vertitur anno.
Ah pereant, si quos ianua clausa iuuat.
Contra reiecto quae libera vadit amictu,
Custodum & nullo septa tumore, placet;
Cui saepe immundo Sacra conteritur via socco,
Nec sinit esse moram, si quis adire velit.
Differet haec nunquam, nec poscet garula, quae te
Astrictus ploret saepe dedisse pater.
Nec dicet, timeo: propera iam surgere quaeso:
Infelix hodie vir mihi rure venit.
Et quas Euphrates, & quas mihi misit Orontes

Me

Me capiant nolim furta pudica tori.
Libertas quoniam nulli iam restat amanti.
Nullus liber erit, si quis amare volet.

DE CYNTHIA IN AEMVLVM.

TV loqueris, cum sis iam toto fabula libro,
Et tua sit toto Cynthia lecta foro.
Cui non his verbis aspergat tempora sudor?
Aut pudor ingenuus, aut reticendus amor?
Quòd si iam facilis spiraret Cynthia nobis,
Non ego nequitiæ dicerer esse caput.
Nec sic per totam infamis traducerer vrbem,
Vrerer & quamuis, nomine verba darem.
Quare ne tibi sit mirum me quærere viles.
Parcius infamant. num tibi caussa leuis?
Et modo pauonis caudæ flabella superbæ,
Et manibus dura frigus habere pila,
Et cupit iratum talos me poscere eburnos,
Quæq; nitent sacra vilia dona via.
Ac peream, si me ista mouent dispendia: sed me
Fallaci dominæ iam pudet esse iocum.
Hoc erat in primis, quod me gaudere iubebas?
Tam te formosam non pudet esse leuem?
Vna, aut altera nox nondum est in amore peracta,
Et dicor lecto iam grauis esse tuo.
Me modo laudabas, & carmina nostra legebas.
Ille tuus pennas tam cito vertit amor.
Contendat mecum ingenio, contendat & arte,
In primis vna discat amare domo.
Si libitum tibi erit, Lernæas pugnet ad hydras,
Et tibi ab Hesperio mala dracone ferat.
Tetra venena libens, & naufragus ebibat vndas,
Et nunquam pro te deneget esse miser.

Quos

Quos vtinam in nobis vita experiare labores,
Iam tibi de timidis iste proteruus erit,
Qui nunc se in timidum iactando venit honorem.
Dissidium vobis proximus annus erit.
At me non ætas mutabit tota sibyllæ,
Non labor Alcidæ, non niger ille dies.
Tu mea compones, & dices: ossa Properti
Hæc tua sunt, eheu tu mihi certus eras.
Certus eras eheu, quamuis nec sanguine auito
Nobilis, & quamuis non ita diues eras.
Nil ego non patiar, nunquam me iniuria mutat.
Ferre ego formosam nullum onus esse puto.
Credo ego non paucos ista perijsse figura:
Credo ego, sed multos non habuisse fidem.
Paruo dilexit spatio Minoida Theseus,
Phyllida Demophoon, hospes vterque malus.
Iam tibi Iasonia nota est Medea carina,
Et modo seruato sola relicta viro.
Dura est, quæ multis simulatum fingit amorem,
Et se plus vni si qua parare potest.
Noli nobilibus, noli conferre beatis.
Vix venit, extremo qui legat ossa die.
Ij tibi nos erimus: sed tu potius, precor, vt me
Demissis plangas pectora nuda comis.

AD CYNTHIAM.

VNica nata meo pulcherrima cura dolori,
Excludit quoniam sors mea sæpe, veni.
Ista meis fiet notissima forma libellis,
Calue tua venia, pace Catulle tua.
Miles depositis annosus secubat armis:
Grandæuique negant ducere aratra boues.
Putris & in vacua requiescit nauis arena.

Et

Et vetus in templo bellica parma vacat.
At me ab amore deducet nulla senectus,
Siue ego Tithonus, siue ego Nestor ero.
Non ne fuit satius duro seruire tyranno?
Et gemere in tauro saeue Perille tuo?
Gorgonis & satius fuit obdurescere vultu?
Caucasias etiam si pateremur aues?
Sed tamen obscura teritur rubigine mucro
Ferreus, & paruo saepe liquore silex.
At nullo dominae teritur sub limine amor, qui
Restat, & immerita sustinet aure minas.
Vltro contemptus rogat, & peccasse fatetur
Laesus, & inuitis ipse redit pedibus.
Tu quoque, qui pleno fastus assumis amore,
Credule, nulla diu foemina pondus habet.
An quisquam in medijs persoluit vota procellis?
Cum saepe in portu fracta carina natet?
Aut prius infecto deposcit praemia cursu,
Septima quàm metam triuerit arte rota?
Mendaces ludunt flatus in amore secundi.
Si qua venit sero, magna ruina venit.
Tu tamen interea, quamuis te diligat illa,
In tacito cohibe gaudia clausa sinu.
Nanque in amore suo semper sua maxima cuique
Nescio quo pacto verba nocere solent.
Quamuis te persaepe vocet, semel ire memento.
Inuidiam quod habet, non solet esse diu.
Et, si saecla forent antiquis grata puellis,
Essem ego quod nunc tu. tempore vincor ego.
Non tamen ista meos mutabunt saecula mores.
Vnusquisque sua nouerit ire via.
At vos, qui officia in multos reuocatis amores,

Quantum sic cruciat lumina vestra dolor.
Vidistis pleno teneram candore puellam,
Vidistis fusco.dulcis vterque color.
Vidistis quandam Argiua prodire figura,
Vidistis nostras.vtraque forma rapit.
Illáque plebeio,vel sit sandycis,amictu,
Hæc,atque illa mali vulneris vna via est.
Cum satis vna tuis insomnia portet ocellis,
Vna sit & cuiuis femina multa mala.

Ad Cynthiam de somnio naufragij.

Vidi ego te in somnis fracta,mea vita,carina
Ionio lassas ducere rore manus,
Et quæcunque in me fueras mentita,fateri,
Nec iam humore graues tollere posse comas:
Qualem purpureis agitauit fluctibus Hellen,
Aurea quam molli tergore vexit ouis.
Quàm timui,ne forte tuum mare nomen haberes,
Atque tua labens nauita fleret aqua.
Quæ tum ego Neptuno,quæ tum cum Castore fratri,
Quæq́; tibi excepi tum dea Leucothoe.
At tu,vix primas extollens gurgite palmas,
Sæpe meum nomen iam peritura vocas.
Quòd si forte tuos vidisset Glaucus ocellos,
Esses Ionij facta puella maris;
Et tibi pra inuidia Nereides increpitarent,
Candida Nisee,cærula Cymothoe.
Sed tibi subsidio Delphinum currere vidi,
Qui puto Arioniam vexerat ante lyram.
Iámque ego conabar summo me mittere saxo,
Cum mihi discussit talia visa metus.
Nunc admirentur,quòd tam mihi pulchra puella
Seruiat,& tota dicar in vrbe potens.

Non

Non, si Cambysæ redeant, & flumina Crœsi,
Dicat, de nostro surge poeta toro.
Nam mea cum recitat, dicit se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.
Multum in amore fides, multum constantia prodest.
Qui dare multa potest, multa & amare potest.
Seu mare per longum mea cogitet ire puella,
Hanc sequar, & fidos vna aget aura duos.
Vnum littus erit sopitis, vnáque tecto
Arbor, & ex vna sæpe bibemus aqua.
Et tabula vna duos poterit componere amantes,
Prora cubile mihi, seu mihi puppis erit.
Omnia perpetiar, sæuus licet vrgeat Eurus,
Veláque in incertum frigidus Auster agat.
Quicunque & venti miserum vexastis Vlissem,
Et Danaum Euboico littore mille rates,
Et qui mouistis dua littora, cum rudis Argus
Dux erat ignoto missa columba mari.
Illa meis tantum non vnquam desit ocellis,
Incendat nauem Iuppiter ipse licet.
Certe iisdem nudi pariter iactabimur oris.
Me licet vnda ferat, te modo terra tegat.
Sed non Neptunus tanto crudelis amori,
Neptunus fratri par in amore Ioui.
Testis Amymone, latices cum ferret in aruis,
Compressa, & Lerna pulsa tridente palus.
Iam deus amplexu votum persoluit, at illi
Aurea diuinas vrna refudit aquas.
Crudelem & Borean rapta Orithyia negauit.
Hic deus & terras, & maria alta domat.
Crede mihi, nobis mitescet Scylla, nec vnquam
Alternante vorans vasta Charybdis aqua.

Ipsáq;

Ipsaq; sidera erunt nullis obscura tenebris.
Purus & Orion, purus & Hœdus erit.
Quòd mihi si ponenda tuo sit corpore vita,
Exitus hic nobis non inhonestus erit.

SOLOS AMANTES NOSSE, QVA MORTE PERITVRI SINT.

AT vos incertam mortales funeris horam
Quæritis, & qua sit mors aditura via.
Quæritis & cælo Phœnicum inuenta sereno,
Quæ sit stella homini commoda, quæq; mala.
Seu pedibus Parthos sequimur, seu classe Britannos,
Et maris, & terræ cæca pericla viæ.
Rursus & obiectum fletis capiti esse tumultum,
Cum Mauors dubias miscet vtrinque manus.
Præterea domibus flammam, domibúsque ruinám,
Neu subeant labris pocula nigra tuis.
Solus amans nouit quando periturus, & à qua
Morte, neque hic Boreæ flabra, neque arma timet.
Iam licet & Stygia sedeat sub arundine remex,
Cernat & infernæ tristia vela ratis,
Si modo clamantis reuocauerit aura puellæ,
Concessum nulla lege redibit iter.

Ad Iouem pro amica ægrotante.

IVppiter affectæ tandem miserere puellæ.
Tam formosa tuum mortua crimen erit.
Venit enim tempus, quo torridus æstuat aer,
Incipit & sicco feruere terra cane.
Sed non tam ardoris culpa est, neque crimina cæli,
Quàm, toties sanctos non habuisse deos.
Hoc perdit miseras, hoc perdidit ante puellas:
Quicquid iurarunt, ventus, & vnda rapit.
Num sibi collatam doluit Venus? illa peræque

Præ se formosis inuidiosa dea est.
An contempta tibi Iunonis templa Pelasgæ
Palladis aut oculos ausa negare bonos?
Semper formosa non nostis parcere verbis.
Hoc tibi lingua nocens, hoc tibi forma dedit.
Sed tibi, vexata per multa pericula vitæ,
Extremo venit mollior hora die.
Io versa caput primos mugiuerat annos:
Nunc dea, quæ Nili flumina vacca bibit.
Ino etiam prima terras ætate vagata est:
Hanc miser implorat nauita Leucothoen.
Andromede monstris fuerat deuota marinis:
Hæc eadem Persei nobilis vxor erat.
Callisto Arcadios errauerat vrsa per agros:
Hæc nocturna suo sidere vela regit.
Quòd si forte tibi properarint fata quietem,
Illa sepulturæ fata beata tuæ:
Narrabis Semelæ, quo sit formosa periclo:
Credet & illa suo docta puella malo.
Et tibi Mæonidas, intérque heroidas omnes
Primus erit, nulla non tribuente, locus.
Nunc, vtcunque potes, fato gere saucia morem.
Et deus, & durus vertitur ipse dies.
Hoc tibi vel poterit coniux ignoscere Iuno.
Frangitur & Iuno, si qua puella perit.
Deficiunt magico torti sub carmine rhombi,
Et iacet extincto laurus adusta foco.
Et iam luna negat toties descendere cælo,
Nigráque funestum condidit omen auis,
Vna ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus.
Si non vnius, quæso miserere duorum.

Viuam, si viuet: si cadet illa, cadam.
Pro quibus optatis sacro me carmine damno.
Scribam ego, per magnum est salua puella Iouem.
Ante tuósque pedes illa ipsa adoperta sedebit,
Narrabítque sedens longa pericla sua.
Hæc tua Persephone maneat clementia: nec tu
Persephones coniux sæuior esse velis.
Sunt apud infernos tot millia formosarum:
Pulchra sit in superis scilicet vna locis.
Vobiscum est Iope, vobiscum candida Tyro,
Vobiscum Europe, nec proba Pasiphae,
Et quod Troia tulit, vetus & quot Achaia formas,
Et Phœbi, & Priami diruta regna senis:
Et quæcunque erat in numero Romana puella,
Occidit: has omnes ignis auarus habet.
Nec forma æternum, aut cuiquam est fortuna perennis,
Longius, aut propius mors sua quenque manet.
Tu quoniam es mea lux magno demissa periclo,
Munera Dianæ debita redde choro,
R[illegible]e etiam excubias diuæ nunc, ante iuuencæ.
Votiuas noctes & mihi solue decem.

AD CYNTHIAM.

HESTERNA *mea lux cũ potus nocte vagarer,*
Nec me seruorum duceret vlla manus,
Obuia nescio quot pueri mihi turba minuta
Venerat, hos vetuit me numerare timor,
Quorum alij faculas, alij retinere sagittas,
Pars etiam visa est vincla parare mihi.
Sed nudi fuerant: quorum lasciuior vnus,
Arripite hunc, inquit: nam bene nostis eum.
Hic erat, hunc mulier nobis irata locauit,
Dixit, & in collo iam mihi nodus erat.

Hic

Hic alter iubet in medium propellere, & alter:
Intereat qui nos non putat esse deos.
Hac te non meritum totas expectat in horas,
At tu nescio quas quaeris inepte fores.
Quae cum Sidoniae nocturna ligamina mitrae
Soluerit, atque oculos mouerit illa graues,
Afflabunt tibi non Arabum de gramine odores,
Sed quos ipse suis fecit Amor manibus.
Parcite iam fratres, iam certos spondet amores,
Et iam ad mandatam venimus ecce domum.
Atque ita me iniecto duxerunt rursus amictu.
I nunc, & noctes disce manere domi.
Mane erat, & volui, si sola quiesceret illa,
Visere, at in lecto Cynthia sola fuit.
Obstupui: non illa mihi formosior vnquam
Visa, neque ostrina cum fuit in tunica.
Ibat & hinc castae narratum somnia Vestae,
Neu sibi, néve mihi quae nocitura forent.
Talis visa mihi somno demissa recenti.
Heu quantum per se candida forma valet.
Quid tu matutinus ait speculator amicae,
Me similem vestris moribus esse putas?
Non ego tam facilis, sat erit mihi cognitus vnus,
Vel tu, vel si quis verior esse potest.
Apparent non vlla toro vestigia presso,
Signa voluptatis non iacuisse duos.
Aspice vt in toto nullus mihi corpore surgat
Spiritus, admisso notus adulterio.
Dixit, & opposita propellens suauia dextra,
Prosilit in laxa nixa pedem solea.
Sic ego tam sancti custode recludor amoris,
Ex illo felix nox mihi nulla fuit.

AD EANDEM.

QVO fugis ah demens? nulla est fuga: tu licet vsque
Ad Tanaim fugias, vsque sequetur Amor.
Non, si Pegaseo vecteris in aere dorso;
Nec, tibi si Persei mouerit ala pedes;
Vel, si te sectæ rapiant talaribus auræ;
Nil tibi Mercurij proderit alta via.
Instat semper Amor supra caput, instat amanti,
Et grauis ipse super libera colla sedet.
Excubat ille acer custos, & tollere nunquam
Te patietur humo lumina capta semel.
Et iam si pecces, deus exorabilis ille est,
Si modo præsentes viderit esse preces.
Ista senes licet accusent conuiuia duri:
Nos modo propositum vita teramus iter.
Illorum antiquis onerentur legibus aures.
Hic locus est, in quo tibia docta sones:
Quæ non iure vado Mæandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
Nunc iam dura paras, Phrygias nunc ire per vndas,
Et petere Hyrcani littora nota maris,
Spargereque alterna communes cæde penates,
Et ferre ad patrios præmia dira lares.
Vna contentum pudeat me viuere amica?
Hoc si crimen erit, crimen amoris erit.
Mi nemo obijciat. libeat tibi Cynthia mecum
Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis hærere sorores,
Et canere antiqui dulcia furta Iouis,
Vt Semele est combustus, vt est deperditus Io,
Denique vt ad Troiæ tecta volarit auis.
Quòd si nemo extat, qui vicerit alitis arma;

Comm*u*

Communis culpa cur reus vnus agor?
Nec tu virginibus reuerentia moueris ora:
Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus.
Si tamen Oeagri quadam compressa figura
Bistonijs olim rupibus accubuit.
Hic vbi me prima statuent in parte chorea,
Et medius docta Cuspide Bacchus erit.
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
Nam sine te nostrum non valet ingenium.

AD CYNTHIAM.

QVAERIS *cur vemã tibi tardior? aurea Phœbi*
Porticus à magno Cæsare aperta fuit.
Tantam erat in speciem Pœnis digesta columnis:
Inter quas Danai femina turba senis.
Hic equidem Phœbo visus mihi pulchrior ipso
Marmoreus tacita carmen hiare lyra.
Atque aram circum steterant armenta Myronis
Quattuor artificis viuida signa boues.
Tum medium claro surgebat marmore templum,
Et patria Phœbo carius Ortygia.
Auro solis erat supra fastigia currus,
Et valuæ Libyci nobile dentis opus.
Altera deiectos Parnassi vertice Gallos,
Altera mœrebat funera Tantalidos.
Deinde inter matrem deus ipse, interque sororem
Pythius in longa carmina veste sonat.

AD EANDEM.

QVI *videt, is peccat. qui non te viderit, ergo*
Non cupiet: facti crimina lumen habet.
Nam quid Prænestis dubias ô Cynthia sortes?
Quid petis Ææi mœnia Telegoni?

Cur vete in Herculeum deportant essed a Tibur?
Appia cur toties te via ducit anum?
Hoc vtinam spatiere loco, quocunque vagaris
Cynthia. sed tibi me credere turba vetat.
Cum videt accensis deuotam currere tedis
In nemus, & triuia lumina ferre deæ.
Scilicet vmbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis,
Et creber pariter platanis surgentibus ordo,
Flumina sopito quæq; Marone cadunt.
Et leuiter nympis tota crepitantibus vrbe,
Cum subito Triton ore recondit aquam.
Falleris, ista tui furtum via monstrat amoris.
Non vrbem demens, lumina nostra fugis.
Nil agis, insidias in me componis inanes.
Tendis iners docto retia nota mihi.
Sed de me minus est, famæ iactura pudicæ
Tanta tibi miseræ, quanta mereris, erit.
Nuper enim de te nostras me lædit ad aures
Rumor, & in tota non bonus vrbe fuit.
Sed tu non debes inimicæ credere linguæ.
Semper formosis fabula pœna fuit.
Non tua deprensò damnata est fama veneno,
Testis eris puras Phœbe videre manus.
Sin autem longo nox vna, aut altera lusu
Consumpta est, non me crimina parua mouent.
Tyndaris externo patriam mutauit amore,
Et sine decreto est viua reducta domum.
Ipsa Venus quamuis corrupta libidine Martis,
Nec minus in cælo semper honesta fuit.
Quamuis Ida Parin pastorem dicat amasse,
Atque inter pecudes accubuisse deam.

Hoc

Hoc & Hamadryadum spectauit turba sororum,
Silenique senes, & pater ipse chori.
Cum quibus Idaeo legisti poma sub antro,
Supposita excipiens Naica dona manu.
An quisquam in tanto stuprorum examine quaerit,
Cur haec tam diues? quis dedit? vnde dedit?
O nimium nostro felicem tempore Romam,
Si contra mores vna puella facit.
Haec eadem ante illam impune & Lesbia fecit.
Quae sequitur, certe est inuidiosa minus.
Qui quaerit Tatios veteres, durósque Sabinos,
Hic posuit nostra nuper in vrbe pedem.
Tu prius & fluctus poteris siccare marinos,
Altáque mortali deligere astra manu,
Quàm facere, vt nostrae nolint peccare puellae.
Is mos Saturno regna tenente fuit,
Et cum Deucalionis aquae fluxere per orbem,
Et post antiquas Deucalionis aquas.
Dic mihi, quis potuit lectum seruare pudicum?
Quae dea cum solo viuere sola deo?
Vxorem quondam magni Minois, vt aiunt,
Corrupit torui candida forma bouis.
Nec minus aerato Danae circundata muro,
Non potuit magno casta negare Ioui.
Quòd seu tu Graias, seu sis imitata Latinas,
Semper viue meo libera iudicio.

AD CYNTHIAM.

TRISTIA *iam redeunt iterum solennia nobis,*
Cynthia iam noctes est operata decem.
Atque vtinam Nilo pereat quae sacra tepente
Misit matronis Inachis Ausonijs.
Quae dea tam cupidos toties diuisit amantes?

Quæcunque illa fuit, semper amara fuit.
Tu certe Iouis occultis in amoribus Io
Sensisti, multas quid sit inire vias,
Cum te iussit habere puellam cornua Iuno,
Et pecoris duro perdere verba sono.
Ah quoties quernis læsisti frondibus ora,
Mansisti stabulis abdita pasta tuis.
An, quoniam agrestem detraxit ab ore figuram
Iuppiter, iccirco facta superba dea es?
An tibi non satis est fuscis Ægyptus alumnis?
Cur tibi tam longa Roma petita via est?
Quidve tibi prodest, viduas dormire puellas?
Sed tibi, crede mihi, cornua rursus erunt.
Aut nos è nostra te sæua fugabimus vrbe.
Cum Tiberi Nilo gratia nulla fuit.
At tu, quæ nostro nimium placata dolore es,
Noctibus his vacui ter faciamus iter.
Non audis? & verba sinis mea ludere, cum iam
Flectant Icarij sidera tarda boues?
Lenta bibis: mediæ nequeunt te frangere noctes.
An nondum est talos mittere lassa manus?
Ah pereat quicunque meracas repperit vuas,
Corrupitque bonas nectare primus aquas.
Icare Cecropijs merito iugulate colonis,
Pampineus nosti quàm sit amarus odor.
Tu quoque ô Eurytion vino centaure peristi,
Nec non Ismario tu Polypheme mero.
Vino forma perit, vino corrumpitur ætas,
Vino sæpe suum nescit amica virum.
Me miserum, vt multo nihil es mutata Lyæo:
Iam bibe, formosa es: nil tibi vina nocent.
Cum tua præpendent demissa in pocula serta,

Et mea

Et mea deducta carmina voce legis,
Largius effuso madeat tibi mensa falerno,
Spumet & aurato mollius in calice.
Nulla tamen lecto recipit se sola libenter:
Est quiddam, quod vos quærere cogat amor.
Semper in absentes felicior æstus amantes:
Eleuat assiduos copia longa viros.

AD LYNCEVM POETAM.

CVr quisquam faciem dominæ iam credat amico?
Sic erepta mihi pene puella mea est.
Expertus dico: nemo est in amore fidelis.
Formosam raro non sibi quisque petit.
Polluit ille deus cognatos, soluit amicos,
Et bene concordes tristia ad arma vocat.
Hospes in hospitium Menelao venit adulter.
Colchis & ignotum non ne secuta virum est?
Lynceu tu ne meam potuisti tangere curam?
Perfide non ne tuæ tunc cecidere manus?
Quid si non constans illa, & tam certa fuisset?
Posses & in tanto viuere flagitio?
Tu mihi vel ferro pectus, vel perde veneno,
A domina tantum te modo tolle mea.
Te socium vitæ, te corporis esse licebit,
Te dominum admitto rebus amice meis,
Lecto te solum, lecto te deprecor vno.
Riualem possum non ego ferre Iouem.
Ipse meas solus (quod nil est) æmulor vmbras
Stultus, quòd stulto sæpe timore tremo.
Vna tamen caussa est, qua crimina tanta remitto,
Errabant multo quod tua verba mero.
Sed nunquam vitæ me fallet ruga seueræ.
Omnes iam norunt, quàm sit amare bonum.

Lynceus ipse meus seros insanit amores.
Solum te nostros lætor adire deos.
Quid tua Socraticis tibi nunc sapientia libris
Proderit, aut rerum dicere posse vias?
Aut quid Cretæi tibi prosunt carmina lecta?
Nil iuuat in magno vester amore senex.
Tu satius memorem musis imitere Philetam,
Et non inflati somnia Callimachi.
Nam rursus licet Ætoli referas Acheloi
Fluxerit vt magno factus amore liquor,
Atque etiam, vt Phrygio fallax Menandria campo
Errat, & ipsa suas decipit vnda vias,
Qualis & Adrasti fuerit vocalis Arion,
Tristis ad Archemori funera victor equus.
Non Amphiareæ prosunt tibi fata quadrigæ,
Aut Capanei magno grata ruina Ioui.
Desine & Æschyleo componere verba cothurno,
Desine, & ad molles membra resolue toros.
Incipe iam angusto versus includere torno,
Inque tuos ignes dure poeta veni.
Tu non Antimacho, non tutior ibis Homero.
Despicit & magnos recta puella deos.
Sed non ante grauis taurus succumbit aratro,
Cornua quàm validis hæserit in laqueis.
Nec tu tam duros per te patieris amores,
Trux tamen à nobis ante domandus eris.
Harum nulla solet rationem quærere mundi,
Nec cur fraternis luna laboret equis,
Nec si post Stygias aliquid restauerit vndas,
Nec si consulto fulmina missa tonent.
Aspice me cui parua domi fortuna relicta est,
Nullus & antiquo Marte triumphus aui,

Vt

Ut regnem mistas inter conuiua puellas,
Hoc ego, quo tibi nunc eleuor, ingenio.
Me iuuet aeternis positum languere corollis,
Quem tetigit iactu certus ad ossa deus:
Actia Virgilium custodis littora Phoebi,
Caesaris & fortes dicere posse rates,
Qui nunc Aeneae Troiani suscitat arma,
Iactáque Lauiniis moenia littoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graij.
Nescio quid maius nascitur Iliade.
Tu canis vmbrosi subter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus,
Vtq; decem possunt corrumpere mala puellam,
Missus & impressis hoedus ab vberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores:
Huic licet ingratae Tityrus ipse canat.
Felix intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolae domini carpere delicias.
Quamuis ille sua lassus requiescat auena,
Laudatur faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetae,
Quo seges in campo, quo viret vua iugo.
Tale facis carmen docta testudine, quale
Cynthius impositis temperat articulis.
Non tamen haec vlli venient ingrata legenti,
Siue in amore rudis, siue peritus erit.
Nec minor his animis, aut si minor ore canorus
Anseris indocto carmine cessit olor.
Haec quoque perfecto ludebat Iasone Varro,
Varro Leucadiae maxima flamma suae.
Haec quoque lasciui cantarunt scripta Catulli,
Lesbia queis ipsa notior est Helena.

Hac

Hæc etiam docti confessa est pagina Calui,
Cum caneret miseræ funera Quintiliæ,
Et modo formosa quàm multa Lycoride Gallus
Mortuus inferna vulnera lauit aqua.
Cynthia quin etiam versu laudata Properti,
Hos inter si me ponere fama volet.

SEX. PROPERTII
ELEGIARVM
LIB. III.

CALLIMACHI manes, & Coi sacra Philetæ
In vestrũ, quæso, me sinite ire nemus.
Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.
Dicite quo pariter carmen tenuastis in antro,
Quo ve pede ingressi, quam ve bibistis aquam.
Ah valeat, Phœbum quicunque moratur in armis.
Exactus tenui pumice versus erat,
Quò me fama leuat terra sublimis, & à me
Nata coronatis musa triumphat equis,
Et mecum in curru parui vectantur Amores,
Scriptorúmque meas turba secuta rotas.
Quid frustra missis in me certatis habenis?
Non datur ad musas currere lata via.
Multi Romæ tuas laudes annalibus addent,
Qui finem imperij Bactra futura canent:
Sed, quod pace legas, opus hoc de monte sororum
Detulit intacta pagina nostra via.

Mollia

Mollia Pegasides vestro date serta poetæ.
Non faciet capiti dura corona meo.
At mihi, quod viuo detraxerat inuida turba,
Post obitum duplici fœnore reddet honos.
Omnia post obitum fingit maiora vetustas.
Maius ab exequijs nomen in ora venit.
Nam quis equo pulsas abiegno nosceret arces?
Fluminaque Æmonio comminus isse viro?
Idæum Simoenta, Iouis cunabula parui,
Hectora per campos ter maculasse rotas?
Deiphobúmq; Helenúmq; & Polydamantas in armis?
Qualemcunque Parin vix sua nosset humus.
Exiguo sermone fores nunc Ilion, & tu
Troia, bis Oetæi numine capta dei.
Nec non ille tui casus memorator Homerus
Posteritate suum crescere sensit opus.
Méque inter seros laudabit Roma nepotes.
Illum post cineres auguror esse diem.
Ne mea contempto lapis indicet ossa sepulcro,
Prouisum est, Lycio vota probante deo.
Carminis interea nostri redeamus in orbem,
Gaudeat vt solito tacta puella sono.
Orpheu te tenuisse feras & concita dicunt
Flumina Threicia detinuisse lyra.
Saxa Cytheronis Thebas agitata per artem.
Sponte sua in muri membra coisse ferunt.
Quin etiam Polypheme fera Galatea sub Ætna
Ad tua rorantes carmina flexit equos.
Miremur, nobis & Baccho, & Apolline dextro,
Turba puellarum si mea verba colit.
Quòd non Tænarijs domus est mihi fulta columnis;
Nec camera auratas inter eburna trabes;

Nec mea Phaeacias aequant pomaria siluas;
Non operosa rigat Martius antra liquor:
At musae comites,& carmina cara legenti,
Et defessa choris Calliopea meis.
Fortuna,meo si qua es celebrata libello:
Carmina erunt formae tot monimenta tuae.
Nam neque Pyramidum sumptus ad sidera ducti,
Nec Iouis Elei caelum imitata domus:
Nec Mausolei diues fortuna sepulcri
Mortis ab extrema conditione vacat.
Aut illis flamma,aut imber subducet honores,
Annorum aut ictu pondera victa ruent.
At non ingenio quaesitum nomen ab aeuo
Excidit.ingenio stat sine morte decus.

PROPERTII SOMNIVM.

Visus eram molli recubans Heliconis in vmbra,
Bellerophontei quà fluit humor equi,
Reges Alba tuos,& regum facta tuorum
Tantum operis neruis hiscere posse meis:
Paruaque tam magnis admoram fontibus ora,
Vnde pater sitiens Ennius ante bibit,
Et cecinit Curios fratres,& Horatia pila,
Regiáque Aemilia vecta trophaea rate,
Victricésque moras Fabij,pugnámque sinistram
Cannensem,& versos ad pia vota deos,
Annibalémque lares Romana sede fugantes,
Anseris & tutum voce fuisse Iouem;
Cum me Castalia speculans ex arbore Phoebus
Sic ait, aurata nixus ad antra lyra:
Quid tibi cum tali demens est flumine?quis te
Carminis heroi tangere iussit opus?
Non hic vlla tibi speranda est fama Properti.

Mollia

Mollia sunt paruis prata terenda rotis,
Ut tuus in scamno iactetur sæpe libellus,
Quem legat expectans sola puella virum.
Cur tua præscripto seuecta est pagina gyro?
Non est ingenij cymba grauanda tui.
Alter remus aquas, alter tibi radat arenas:
Tutus eris, medio maxima turba mari est.
Dixerat, & plectro sedem mihi monstrat eburno,
Quà noua muscoso semita facta solo est.
Hic erat affixis viridis spelunca lapillis,
Pendebántque cauis tympana pumicibus.
Ergo musarum, & Sileni patris imago
Fictilis, & calami Pan Tegeæ tui.
Et Veneris dominæ volucres mea turba columbæ
Tingunt Gorgoneo punica rostra lacu.
Diuersæq; nouem sortitæ rura puellæ
Exercent teneras in sua dona manus.
Hæc ederas legit in thyrsos, hæc carmina neruis
Aptat, & illa manu texit vtraque rosam.
È quarum numero me contigit vna dearum:
Vt reor à facie, Calliopea fuit.
Contentus niueis semper vectabere cycnis,
Nec te fortis equi ducet ad arma sonus.
Nil tibi sit rauco prætoria classica cornu
Flere, nec Aonium cingere Marte nemus,
Aut quibus in campis Mariano prœlia signo
Stent, & Teutonicas Roma refringat opes.
Barbarus aut sæuo perfusus sanguine Rhenus
Saucia mœrenti corpora vectet aqua.
Quippe coronatos alienum ad limen amantes,
Nocturnæq; canes ebria signa fugæ:
Ut per te clausas sciat excantare puellas,

Qui

Qui volet austeros arte ferire viros.
Talia Calliope, lymphisque à fonte petitis,
Ora Philetea nostra rigauit aqua.

DESCRIPTIO TRIVMPHI.

Arma deus Cæsar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.
Magna viri merces, parat vltima terra triumphos:
Tigris, & Eufrates sub tua iura fluent.
Sera sed Ausonijs veniet prouincia virgis:
Assuescent Latio Partha trophæa Ioui.
Ite agite experta bello date lintea proræ,
Et solitum armigeri ducite munus equi.
Omnia fausta cano. Crassos, cladésque piate,
Ite, & Romanæ consulite historiæ.
Mars pater, & sacræ fatalia lumina Vestæ,
Ante meos obitus sit precor illa dies,
Qua videam spolijs oneratos Cæsaris axes
Ad vulgi plausus sæpe resistere equos.
Inq; sinu caræ nixus spectare puellæ
Incipiam, & titulis oppida capta legam,
Tela fugacis equi, & bracchati militis arcus,
Et subter captos arma sedere duces.
Ipsa tuam prolem serua Venus, hoc sit in æuum,
Cernis ab Ænea quod superesse caput.
Præda sit hæc illis, quorum meruere labores.
Mi sat erit media plaudere posse via.
Pacis amor deus est: pacem veneramur amantes:
Stant mihi cum domina prœlia dura mea.
Nec tamen inuiso pectus mihi carpitur auro,
Nec bibit è gemma diuite nostra sitis.
Nec mihi mille iugis Campania pinguis aratur,
Nec miser æra peto classe Corinthe tua.

O prima

O prima infelix fingenti terra Prometheo:
Ille parum cauti pectoris egit opus.
Corpora disponens, mentem non vidit in arte.
Recta animi primum debuit esse via.
Nunc maris in tantum ventis iactamur, & hostem
Quærimus, atque armis nectimus arma noua.
Haud vllas portabis opes Acherontis ad vndas:
Nudus ab inferna stulte vehere rate.
Victor cum victis pariter miscebitur vmbris.
Consule cum Mario capte Iugurtha sedes.
Lydus Dulichio non distat Crœsus ab Iro.
Optima mors, parca quæ venit apta die.
Me iuuat in prima coluisse Helicona iuuenta,
Musarúmque choris implicuisse manus.
Me iuuat & multo mentem vincire lyæo,
Et caput in verna semper habere rosa.
Atque vbi iam Venerem grauis interceperit ætas,
Sparserit & nigras alba senecta comas;
Tum mihi naturæ libeat perdiscere mores,
Quis deus hanc mundi temperet arte domum:
Qua venit exoriens, qua deficit, vnde coactis
Cornibus in plenum menstrua luna redit:
Vnde salo superant venti, quid flamine captet
Eurus, & in nubes vnde perennis aqua:
Sit ventura dies, mundi quæ subruat arces:
Purpureus pluuias cur bibat arcus aquas:
Aut cur Perrhebi tremuere cacumina Pindi,
Solis & atratis luxerit orbis equis:
Cur serus versare boues, & plaustra Bootes,
Pleiadum spisso cur coit igne chorus:
Curve suos fines altum non exeat æquor,
Plenus & in partes quattuor annus eat:

Sub terris sint iura deum,& tormenta gigantum,
Tisiphones atro si furit angue caput:
Aut Alcmeonia furiæ,aut ieiunia Phinei,
Num rota,num scopuli,num sitis inter aquas:
Num tribus infernum custodit faucibus antrum
Cerberus,& Tityo iugera pauca nouem:
An ficta in miseras descendit fabula gentes,
Et timor haud vltra,quàm rogus,esse potest.
Exitus hic vitæ superest mihi.vos,quibus arma
Grata magis,Crassi signa referte domum.

AD LYGDAMVM.

DIC mihi de nostra,quæ sentis vera puella:
Sic tibi sint dominæ Lygdame dempta iuga.
Dum me lætitia tumefactum fallis inani,
Hæc referens,quæ me credere velle putas.
Omnis enim debet sine vano nuncius esse,
Maiorémque timens seruus habere fidem.
Nunc mihi,si qua tenes,ab origine dicere prima
Incipe.suspensis auribus ista bibam.
Siccine eam incomptis vidisti flere capillis?
Illius ex oculis multa cadebat aqua?
Nec speculum strato vidisti Lygdame lecto?
Ornabat niueas nulláve gemma manus?
Ac mœstam teneris vestem pendere lacertis?
Scriniáque ad lecti clausa iacere pedes?
Tristis erat domus,& tristes sua pensa ministræ
Carpebant,medio nebat & ipsa loco,
Humidáque impressa siccabat lumina lana,
Rettulit & querulo iurgia nostra sono.
Hæc te teste mihi promissa est Lygdame merces?
Est pœna seruo rumpere teste fidem.
Ille potest nullo miseram me linquere facto?

Æqua

Æqualem nulla dicere habere domo?
Gaudet me vacuo solam tabescere lecto.
Si placet, insultet Lygdame morte mea.
Improba non vicit me moribus illa, sed herbis.
Staminea rhombi ducitur ille rota.
Illum turgentis ranæ portenta rubetæ,
Et lecta è sectis anguibus ossa trahunt.
Et strygis inuentæ per busta iacentia plumæ,
Cinctáque funesto lanea vitta viro.
Si non vana canunt mea somnia Lygdame, testor:
Pœna erit ante meos sera, sed ampla pedes.
Putris & in vacuo texetur aranea lecto:
Noctibus illorum dormiet ipsa Venus.
Quæ tibi si veris animis est questa puella,
Hac eadem rursus Lygdame curre via,
Et mea cum multis lacrymis mandata reporta,
Iram, non fraudes, esse in amore meo.
Me quoque consimili impositum torquerier igni,
Iurabo, & bis sex integer esse dies.
Quòd mihi si tanto felix concordia bello
Extiterit, per me Lygdame liber eris.

DE MORTE PAETI OB AVARITIAM.

ERGO sólicitæ tu caussa pecunia vitæ es,
Per te immaturum mortis adimus iter.
Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes.
Semina curarum de capite orta tuo.
Tu Pætum ad Pharios tendentem lintea portus
Obruis insano térque, quatérque mari.
Nam dum te sequitur, primo miser excidit æuo,
Et noua longinquis piscibus esca natat:
Et mater non iustâ piâ dare debita terra,
Nec pote cognatos inter humare rogos.

Sed tua nunc volucres astant super ossa marina,
  Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.
Infelix Aquilo, rapta timor Orithyiæ,
  Quæ spolia ex illo tanta fuere tibi?
Aut quidnam fracta gaudes Neptune carina?
  Portabat sanctos alueus ille viros.
Pæte quid ætatem numeras? quid cara natanti
  Mater in ore tibi est? non habet vnda deos.
Nam tibi nocturnis ad saxa ligata procellis
  Omnia detrito vincula fune cadunt.
Sunt Agamemnonias testantia littora curas,
  Quà notat Argenni pœna minantis aquæ.
Hoc iuuene amisso, classem non soluit Atrides,
  Pro qua mactata est Iphigenia mora.
Reddite corpus humo; positaque in gurgite vita,
  Pætum sponte tua vilis arena tegas.
Et quoties Pæti transibit nauta sepulcrum,
  Dicat, & audaci tu timor esse potes.
[illegible] rates curuæ, & leti contexite caussas.
  Ista per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fuerat: terris adiecimus vndas:
  Fortunæ miseras auximus arte vias.
Anchora te teneat, quem non tenuere penates?
  Quid meritum dicas, cui sua terra parum est?
Ventorum est quodcunque paras. haud vlla carina
  Consenuit. fallit portus & ipse fidem.
Natura insidians pontum substrauit auaris.
  Vt tibi succedat, vix semel esse potest.
Saxa triumphales fregere Capharea puppes,
  Naufraga cum vasto Græcia tracta salo est.
Paulatim socium iacturam fleuit Vlysses,
  In mare cui soli non valuere doli.

Quod si contentus patrio boue verteret agros,
Verbáque duxisset pondus habere mea;
Viueret ante suos dulcis conuiua penates,
Pauper, & in terra, nil vbi flere potest.
Non tulit hic Pætus stridorem audire procellæ,
Et duro teneras lædere fune manus,

*

Sed thyæ thalamo, aut Oricia terebintho
Effultum pluma versicolore caput.
Huic fluctus viuo radicitus abstulit vngues,
Et miser inuisam traxit hiatus aquam.
Hunc paruo ferri vidit nox improba ligno.
Pætus vt occideret, tot coiere mala.
Flens tamen extremis dedit hæc mandata querelis,
Cum moribunda niger clauderet ora liquor.
Di maris Ægei, quos sunt penes æquora venti,
Et quæcunque meum degrauat vnda caput,
Quò rapitis miseros primæ lanuginis annos?
Attulimus longas in freta vasta manus.
Ah miser Alcyonum scopulis affigar acutis:
In me cæruleo fuscina sumpta deo est.
At saltem Italiæ regionibus euehat æstus.
Hoc de me sat erit, si modo matris erit.
Subtrahit hæc fantem torta vertigine fluctus,
Vltima quæ Pæto nóxque, diésque fuit.
O centum æquoreæ Nereo genitore puellæ,
Et tu materno tacta dolore Thetis,
Vos decuit lasso supponere brachia mento:
Non poterat vestras ille grauare manus.
At tu sæue Aquilo nunquam mea vela videbis.
Ante fores dominæ condar oportet iners.

AD CYNTHIAM.

Dvlcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,
Vocis & insanæ tot maledicta tuæ,
Cum furibunda mero mensam propellis, & in me
Proijcis insana cymbia plena manu.
Tu vero nostros audax inuade capillos,
Et mea formosis vnguibus ora nota:
Tu minitare oculos subiecta exurere flamma,
Fac mea rescisso pectora nuda sinu.
Nimirum veri dantur mihi signa caloris.
Nam sine amore graui fœmina nulla dolet.
Quæ mulier grauida iactat conuicia lingua,
Et Veneris magnæ voluitur ante pedes,
Custodum gregibus seu cum se stipat euntem,
Seu sequitur medias, Mænas vt icta, vias,
Seu timidam crebro dementia somnia terrent,
Seu miseram in tabula picta puella mouet.
His ego tormentis animi sum verus aruspex:
Has didici certo sæpe in amore notas.
Non est certa fides, quam non iniuria versat.
Hostibus eueniat lenta puella meis.
In morso æquales videant mea vulnera collo:
Me doceat liuor mecum habuisse meam.
Aut in amore dolere volo, aut audire dolentem,
Siue meas lacrymas, siue videre tuas,
Tecta supercilijs si quando verba remittis,
Aut tua cum digitis scripta silenda notas.
Odi ego quæ nunquam pungunt suspiria somnos.
Semper in iratam pallidus esse velim.
Dulcior ignis erat Paridi, cum grata per arma
Tyndaridi poterat gaudia ferre suæ.
Dum vincunt Danai, dum restat barbarus Hector,
Ille

Ille Helenæ in gremio maxima bella gerit.
Aut tecum, aut pro te mihi cum riualibus arma
Semper erunt: in te pax mihi nulla placet.
Gaude, quòd nulla est æque formosa. doleres,
Si qua foret. nunc sis iure superba licet.
At tibi, qui nostro tendisti retia lecto,
Sit socer æternum, nec sine matre domus.
Cui nunc si qua data est furanda copia noctis,
Offensa illa mihi, non tibi amica dedit.

AD MAECENATEM.

MAECENAS *eques Etrusco de sanguine regum,*
Intra fortunam qui cupis esse tuam,
Quid me scribendi tam vastum mittis in æquor?
Non sunt apta meæ grandia vela rati.
Turpe est, quod nequeas capiti committere pondus,
Et pressum inflexo mox dare terga genu.
Omnia non pariter rerum sunt omnibus apta,
Fama nec ex æquo ducitur vlla iugo.
Gloria Lysippo est, animosa effingere signa:
Exactis Calamis se mihi iactat equis.
In Veneris tabula summam sibi ponit Apelles:
Pyreicus parua vindicat arte locum.
Argumenta magis sunt Mentoris addita formæ:
At Myos exiguum flectit acanthus iter.
Phidiacus signo se Iuppiter ornat eburno:
Praxitelem propria vindicat arte lapis.
Sunt quibus Elea concurrit palma quadriga:
Sunt, quibus in celeres gloria nata pedes.
Hic satus ad pacem, hic castrensibus vtilis armis.
Natura sequitur semina quisque sua.
At tua, Mæcenas, vita præcepta recepi,
Cogor & exemplis te superare tuis.

Cum tibi Romano dominas in honore secures,
Et liceat medio ponere iura foro,
Vel tibi Medorum pugnaces ire per hostes,
Atque onerare tuam fixa per arma domum;
Et tibi ad effectum vires det Cæsar, & omni
Tempore tam faciles insinuentur opes:
Parcis, & in tenues humilem te colligis vmbras:
Velorum plenos subtrahis ipse sinus.
Crede mihi: magnos æquabunt ista Camillos
Iudicia, & venies tu quoque in ora virum:
Cæsaris & famæ vestigia iuncta tenebis.
Mæcenatis erunt vera trophæa fides.
Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tota sub exiguo flumine nostra mora est.
Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi, nec semper prœlia clade pari:
Nec referam Scæas, & Pergama, Apollinis arces,
Et Danaum decimo vere redisse rates;
Mœnia cum Graio Neptunia pressit aratro
Victor Palladiæ ligneus artis equus.
Inter Callimachi sat erit placuisse libellos,
Et cecinisse modis Coe poeta tuis.
Hæc curent pueri, hæc curent scripta puellæ;
Meq; deum clament, & mihi sacra ferant.
Te duce vel Iouis arma canam, cœloque minantem
Cæum, & Phlegræis Oromedonta iugis:
Celsaq; Romanis decerpta palatia tauris
Ordiar, & cæso mœnia firma Remo,
Eductósque pares siluestri ex vbere reges:
Crescet & ingenium sub tua iussa meum:
Prosequar & currus vtroque ab littore ouantes
Parthorum, astutæ tela remissa fugæ,

Castráque Pelusij Romano subruta ferro,
Antoniique graues in sua fata manus.
Mollis tu cœptæ fautor cape lora iuuentæ,
Dexteráque immissis da mihi signa rotis.
Hoc mihi Mæcenas laudis concedis; & à te est,
Quod ferar in partes ipse fuisse tuas.

DE NATALI AMICAE SVAE.

Mirabar, quidnam misissent mane camœnæ
Ante meum stantes, sole rubente, torum.
Natalis nostræ signum misere puellæ,
Et manibus faustos ter crepuere sonos.
Transeat hic sine nube dies, stent aere venti,
Ponat & in sicco molliter vnda minas.
Aspiciam nullos hodierna luce dolentes,
Et Niobe lacrymas supprimat ipse lapis.
Halcyonum positis requiescant ora querelis,
Increpet absumptum nec sua mater Ityn.
Túque ò cara mihi, felicibus edita pennis,
Surge, & poscentes iusta precare deos.
Ac primum pura somnum tibi discute lympha,
Et nitidas presso pollice finge comas,
Dein qua primum oculos cœpisti veste Properti,
Indue, nec vacuum flore relinque caput,
Et pete, qua polles, vt sit tibi forma perennis,
Inq; meum semper stent tua regna caput.
Inde coronatas vbi thure piaueris aras,
Luxerit & tota flamma secunda domo,
Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrheus vngat Onyx.
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis,
Et sint nequitiæ libera verba tuæ,
Dulciáque ingratos adimant conuiuia somnos,

Publica vicinæ perstrepat ara viæ.
Sit sors & nobis talorum interprete iactu,
Quem grauibus pennis verberet ille puer.
Cum fuerit multis exacta trientibus hora,
Noctis & instituet sacra ministra Venus,
Annua soluamus thalamo solennia nostro,
Natalisque tui sic peragamus iter.

Feminas imperare amantibus.

QVid mirare, meam si versat femina vitam?
Et trahit addictum sub sua iura virum?
Criminaque ignaui capitis mihi turpia fingis,
Quod nequeam fracto rumpere vincla iugo?
Venturam melius præsagit nauita noctem:
Vulneribus didicit miles habere metum.
Ista ego præterita iactaui verba iuuenta.
Tu nunc exemplo disce timere meo.
Colchis flagrantes adamantina sub iuga tauros
Egit, & armigera prælia seuit humo,
Custodisque feros clausit serpentis hiatus,
Iret ut Æsonias aurea lana domos.
Ausa ferox ab equo quondam oppugnare sagittis
Mæotis Danaum Penthesilea rates.
Aurea cui postquam nudauit cassida frontem,
Vicit victorem candida forma virum.
Omphale in tantum formæ processit honorem
Lydia Gygæo tincta puella lacu,
Vt, qui pacato statuisset in orbe columnas,
Tam dura traheret mollia pensa manu,
Persarum statuit Babylona Semiramis vrbem,
Vt solidum cocto tolleret aggere opus:
Et duo in aduersum misit per mœnia currus
Ne possent tacto stringere ab axe latus.

Duxit & Eufraten medium qua condidit arces,
Iussit & imperio surgere Bactra caput.
Nam quid ego heroas, quid raptem in crimina diuos?
Iuppiter infamat seq; suámque domum.
Quid modo quæ nostris opprobria vexeris armis,
Et famulos inter femina trita suos?
Coniugis obscœni pretium Romana poposcit
Mœnia, & addictos in sua regna patres.
Noxia Alexandrina dolis aptissima tellus,
Et toties nostro Memphi cruenta malo,
Tres vbi Pompeio detraxit arena triumphos.
Tollet nulla dies hanc tibi Roma notam.
Issent Phlegræo melius tibi funera campo,
Vel tua si socero colla daturus eras.
Scilicet incesti meretrix regina Canopi
Vna Philippeo sanguine adusta nota,
Ausa Ioui nostro latrantem opponere Anubim,
Et Tiberim Nili cogere ferre minas,
Romanámque tubam crepitanti pellere sistro,
Baridos & contis rostra Liburna sequi,
Fœdáque Tarpeio conopea tendere saxo
Iura dare statuas inter, & arma mari.
Quid nunc Tarquinii fracti asiuuat esse secures,
Nomine quem simili vita superba notat?
Si mulier patienda fuit, cape Roma triumphum,
Et longam Augusto salua precare diem.
Fugisti tamen in timidi vaga flumina Nili:
Accepere tua Romule vincla manus.
Brachia spectaui sacris admorsa colubris,
Et trahere occultum membra soporis iter.
Non hæc Roma fuit tanto tibi ciue verenda,
Dixit & assiduo lingua sepulta mero.

Septem

Septem vrbs alta iugis, toti quæ præsidet orbi,
Femineas timuit territa Marte minas.
Annibalis spolia, & victi monimenta Siphacis,
Et Pyrrhi ad nostros gloria fracta pedes.
Curtius expletis statuit monimenta lacunis:
At Decius misso prœlia rupit equo.
Coclitis abscissos testatur semita pontes,
Et cui cognomen coruus habere dedit.
Hæc di condiderant, hæc di quoque mœnia seruant.
Vix timeat, saluo Cæsare, Roma Iouem.
Nunc vbi Scipiadæ classes? vbi signa Camilli?
Aut vbi Pompeia Bosphora capta manu?
Leucadius versas acies memorabit Apollo.
Tantum operis belli sustulit vna dies.
At tu, siue petes portus, seu nauita linques,
Cæsaris in toto sis memor Ionio.

AD POSTVMVM DE GALLA.

Postume plorantem potuisti linquere Gallam?
Miles & Augusti fortia signa sequi?
Tantane vlla fuit spoliati gloria Parthi,
Ne faceres Galla multa rogante tua?
Si fas est, omnes pariter pereatis auari,
Et quisquis fido prætulit arma toro.
Tu tamen iniecta tectus vesane lacerna
Potabis galea fessus Araxis aquam.
Illa quidem interea fama tabescet inani,
Hæc tua ne virtus fiat amara tibi,
Ne ve tua Medæ lætentur cæde sagittæ,
Ferreus aurato neu cataphractus equo,
Ne ve aliquid de te flendum referatur in vrna.
Sic redeunt, illis qui cecidere locis.
Ter quater in casta felix ò Postume Galla,

Mori

Moribus his alia coniuge dignus eras.
Quid faciet nullo munita puella timore,
Cum sit luxuriæ Roma magistra tuæ?
Sed securus eas: Gallam non munera vincent,
Duritiæq; tuæ non erit illa memor:
Nam quocunque die sanum te fata remittent,
Pendebit collo Galla pudica tuo.
Postumus alter erit miranda coniuge Vlysses.
Non illi longæ tot nocuere moræ,
Castra decẽ annorum, & Ciconum mons, Ismara, Calpe,
Exustaq; tuæ mox Polypheme genæ,
Et Circæ fraudes, lotósque, herbæq; tenaces,
Scylláque, & alternas scissa Charybdis aquas,
Lampeties Ithacis verubus mugisse iuuencos,
Pauerat hos Phœbo filia Lampetie,
Et Thalamum Ææa flentis fugisse puellæ,
Tótque hiemis noctes, tótque natasse dies,
Nigrantésque domos animarum intrasse silentum,
Sirenum surdo remige adisse lacus,
Et veteres arcus leto renouasse procorum,
Errorísque sui sic statuisse modum.
Nec frustra: quia casta domi persederat vxor.
Vincit Penelopes Lælia Galla fidem.

DE AVARITIA PVELLARVM.

QVæritis, vnde auidis nox sit pretiosa puellis,
Et Venere exhaustæ damna querantur opes?
Certe equidem tantis caussa est manifesta ruinis.
Luxuriæ nimium libera facta via est.
Inda cauis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro concha Erycina salo,
Et Tyros ostrinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon & multi pastor odoris Arabs.

Hæc etiam clausas expugnant arma pudicas,
Quæq́ terunt fastus Icarioti tuos.
Matrona incedit census induta nepotum,
Et spolia opprobrij nostra per ora trahit.
Nulla est poscendi, nulla est reuerentia dandi:
Aut, si qua est, pretio tollitur ipsa mora.
Felix Eois lex funeris vna maritis,
Quos aurora suis rubra colorat equis.
Nanque, vbi mortifero iacta est fax vltima lecto,
Uxorum fusis stat pia turba comis,
Et certamen habent leti quæ viua sequatur
Coniugium, pudor est, non licuisse mori.
Ardent victrices, & flammæ pectora præbent,
Imponúntque suis ora perusta viris.
Hic genus infidum nuptarum, hic nulla puella
Nec fida Euadne, nec pia Penelope.
Felix agrestum quondam pacata iuuentus,
Diuitiæ quorum messis, & arbor erant.
Illis pompa fuit decussa Cydonia ramo,
Et dare puniceis plena canistra rubis,
Nunc violas tondere manu, nunc mista referre
Lilia, virgineos lucida per calathos,
Et portare suis vestitas frondibus vuas,
Aut variam plumæ versicoloris auem.
His tum blanditijs furtiua per antra puellæ
Oscula siluicolis empta dedere viris.
Atque hinuli pellis totos operibat amantes,
Altáque natiuo creuerat herba toro,
Pinus & incumbens latas circúmdabat umbras,
Nec fuerat nudas pœna videre deas.
Corniger Idæi vacuam pastoris in aulam
Dux aries saturas ipse reduxit oues.

Dique

Dique deaeq; omnes, quibus est tutela per agros,
Praebebant vestris verba benigna focis.
Et leporem quicunque venis venaberis hospes,
Et si forte meo tramite quaeris auem:
Et me Pana tibi comitem de rupe vocato,
Siue petas calamo praemia, siue cane.
At nunc desertis cessant sacraria lucis:
Aurum omnes victa iam pietate colunt.
Auro pulsa fides, auro venalia iura,
Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.
Torrida sacrilegum testantur lumina Brennum,
Dum petit intonsi Pythia regna dei.
At mons laurigero concussus vertice duras
Gallica Parnassi sparsit in arma niues.
Te scelus accepto Thracis Polymnestoris auro
Nutrit in hospitio non Polydore pio.
Tu quoque, vt auratos gereres Eriphyla lacertos,
Dilapsis nusquam est Amphiaraus equis.
Proloquar, atque vtinam patriae sim vanus aruspex
Frangitur ipsa suis Roma superba bonis.
Certa loquor, sed nulla fides, neque enim Ilia quondam
Verax Pergameis Maenas habenda malis.
Sola Parin phrygiae fatum componere, sola
Fallacem patriae serpere dixit equum.
Ille furor patriae fuit vtilis, ille parenti,
Experta est veros irrita lingua deos.

Ad Spartam de ludis Laconicis.

MVlta tuae, Sparte, miramur iura palestrae,
Sed mage virginei tot bona gymnasij,
Quòd non infames exercet corpore laudes
Inter luctantes nuda puella viros,
Cum pila veloces fallit per brachia iactus,

Increp

Increpat & versi clauis adunca trochi,
Puluerulentáque ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio:
Nunc ligat ad castum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat;
Gyrum pulsat equis, niueum latus ense reuincit,
Virgineúmque cauo protegit ære caput.
Qualis Amazonidum nudatis bellica mammis
Thermodonteis turba lauatur aquis,
Et modo Taygeti crines aspersa pruina
Sectatur patrios per iuga longa canes.
Qualis & Eurotæ Pollux & Castor arenis,
Hic victor pugnis, ille futurus equis:
Inter quos Helene nudis capere arma papillis
Fertur, nec fratres erubuisse deos.
Lex igitur Spartana vetat secedere amantes,
Et licet in triuijs ad latus esse suæ:
Nec timor, aut vlla est clausæ tutela puellæ,
Nec grauis austeri pœna cauenda viri.
Nullo præmisso, de rebus tute loquaris
Ipse tuis longæ nulla repulsa moræ.
Non Tyriæ vestes errantia lumina fallunt,
Est neque odoratæ cura molesta domi.
At nostra ingenti vadit circundata turba,
Nec digitum angusta est inseruisse via:
Nec quæ sint facies, nec quæ sint verba rogandi,
Inuenias. cæcum versat amator iter.
Quòd si iura fores, pugnásque imitata Laconum,
Carior hoc esses tu mihi Roma bono.

AD CYNTHIAM DE LYCINNA.

Sic ego non vllos iam norim in amore tumultus,
Nec veniat sine te nox vigilanda mihi,

Vt mihi prætextæ pudor est velatus amictu,
Et data libertas noscere amoris iter.
Illa rudes animos per noctes conscia primas
Imbuit, heu nullis capta Lycinna datis.
Tertius, haud multo minus est, cum ducitur annus:
Vix memini nobis verba coisse decem.
Cuncta tuus sepeliuit amor, nec femina post te
Vlla dedit collo dulcia vincla meo.
Testis erit Dirce tam vero crimine sæua
Nycteos Antiopen accubuisse Lyco.
Ah quoties pulchros vssit regina capillos,
Molliàque immites fixit in ora manus.
Ah quoties famulam pensis onerauit iniquis,
Et caput in dura ponere iussit humo.
Sæpe illam immundis passa est habitare tenebris:
Vilem ieiunæ sæpe negauit aquam.
Iuppiter Antiopæ nusquam succurris habenti
Tot mala. corrumpit dura catena manus.
Si deus es; tibi turpe, tuam seruire puellam.
Inuocet Antiope quem nisi vincta Iouem?
Sola tamen, quæcunque aderant in corpore vires,
Regales manicas rupit vtraque manu:
Inde Cytheronis timido pede currit in arces.
Nox erat, & sparso triste cubile gelu.
Sæpe vago Asopi sonitu permota fluentis
Credebat dominæ pone venire pedes:
Et durum Zethum, & lacrymis Amphiona mollem
Experta est stabulis mater abacta suis.
Ac veluti magnos cum ponunt æquora motus,
Eurus in aduersos desinit ire notos:
Littore sic tacito sonitus rarescit arenæ,
Sic cadit inflexo lapsa puella genu.

Sera tamen pietas, natis est cognitus error.
Digne Iouis natos qui tueare senex.
Tu reddis pueris matrem, puerique trahendam
Vinxerunt Dircen sub trucis ora bouis.
Antiope cognosce Iouem, tibi gloria Dirce
Ducitur in multis mortem habitura locis.
Prata cruentantur Zethi, victorque canebat
Paeana Amphion rupe Aracynthe tua.
At tu non meritam parcas vexare Lycinnam.
Nescit vestra ruens ira referre pedem.
Fabula nulla tuas de nobis concitet aures.
Te solam & lignis funeris vstus amem.

DE IMPERIO AMICAE.

Nox media, & dominae mihi venit epistola nostrae,
Tibure me missa iussit adesse mora,
Candida qua geminas ostendunt culmina turres,
Et cadit in patulos lympha Aniena lacus.
Quid faciam? obductis committam me ne tenebris?
Vt timeam audaces in mea membra manus?
At si haec distulero nostro mandata timore,
Nocturno fletus saeuior hoste mihi.
Peccaram semel, & totum sum pulsus in annum.
In me mansuetas non habet illa manus.
Nec tamen est quisquam, sacros qui laedat amantes:
Scyronis media sic licet ire via.
Quisquis amator erit, Scythicis licet ambulet oris:
Nemo adeo, vt noceat, barbarus esse volet.
Luna ministrat iter, demonstrant astra salebras:
Ipse amor accensas percutit ante faces.
Saeua canum rabies morsus auertit hiantes.
Huic generi quouis tempore tuta via est.
Sanguine tam paruo quis enim spargatur amantis

Impro

Improbus exclusis fit comes ipsa Venus.
Quòd si certa meos sequerentur funera casus,
Tali mors pretio vel sit emenda mihi.
Affert huc vnguenta mihi, sertisque sepulcrum
Ornabit custos ad mea busta sedens.
Di faciant, mea ne terra locet ossa frequenti,
Quà facit assiduo tramite vulgus iter.
Post mortem tumuli sic infamantur amantum.
Me tegat arborea deuia terra coma,
Aut humet ignotæ cumulus vallatus arenæ.
Non iuuat in media nomen habere via.

AD BACCHVM.

NVNC ô Bacche tuis humiles aduoluimur aris,
Da mihi pacato vela secunda pater.
Tu potes insanæ Veneris compescere fastus,
Curarúmque tuo fit medicina mero.
Per te iunguntur, per te soluuntur amantes.
Tu vitium ex animo dilue Bacche meo.
Te quoque enim non esse rudem testatur in astris
Lyncibus in cælum vecta Ariadna tuis.
Hoc mihi, quod veteres custodit in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina, malum.
Semper enim vacuos nox sobria torquet amantes,
Spésque timórque animos versat vtroque modo.
Quòd si Bacche tuis per feruida tempora donis
Accersitus erit somnus in ossa mea:
Ipse seram vites, pangámque ex ordine colles,
Quos carpant nullæ me vigilante feræ;
Dum modo purpureo spument mihi dolia musto,
Et noua pressantes inquinet vua pedes.
Quod superest vitæ per te, & tua cornua, viuam,
Virtutisque tuæ Bacche poeta ferar.

Dicam ego maternos Ætnaeo fulmine partus,
Indica Nysaeis arma fugata choris,
Vesanúmque noua nequicquam in vite Lycurgum
Pentheos in triplices funera grata greges,
Curuáque Tyrrhenos delphinum corpora nautas
In vada pampinea desiluisse rate,
Et tibi per mediam bene olentia flumina Naxon,
Vnde tuum potant Naxia turba merum.
Candida laxatis onerato colla corymbis
Cinget bassaricas Lydia mitra comas.
Leuis odorato ceruix manabit oliuo,
Et feries nudos veste fluente pedes.
Mollia Dircaeae pulsabunt tympana Thebae,
Capripedes calamo Panes hiante canent.
Vertice turrigero iuxta dea magna Cybelle
Fundet ad Idaeos Cymbala rauca choros,
Ante fores templi crater antistitis auro
Libatum fundens in tua sacra merum.
Haec ego non humili referam memoranda cothurno,
Qualis Pindarico spiritus ore tonat.
Tu modo seruitio vacuum me siste superbo,
Atque hoc sollicitum vince sopore caput.

MORTEM MARCELLI DEFLET.

CLAVSVS ab vmbroso quà ludit Pontus Auerno
Humida Baiarum stagna tepentis aqua,
Quà iacet & Troiae tubicen Misenus arena,
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic vbi mortales dextra cum quaereret vrbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo.
At nunc inuisae magno cum crimine Baiae,
Quis deus in vestra constitit hostis aqua?
His pressus Stygias vultum demisit in vndas,

Errat

Errat & in vestro spiritus ille lacu.
Quid genus, aut virtus, aut optima profuit illi
Mater, & amplexum Cæsaris esse focos?
Aut modo tam pleno fluitantia vela theatro,
Et per maternas omnia gesta manus?
Occidit, & misero steterat vigesimus annus.
Tot bona tam paruo clausit in orbe dies,
I nunc, tolle animos, & tecum finge triumphos
Stantiáque in plausum tota theatra iuuent:
Attalicas supera vestes, atque omnia magnis
Gemmea sint ludis, ignibus ista dabis.
Sed tamen huc omnes, huc primus, & vltimus ordo.
Est mala, sed cunctis ista terenda via est.
Exoranda canis tria sunt latrantia colla:
Scandenda est torui publica cymba senis.
Ille licet ferro cautus se condat, & ære,
Mors tamen inclusum protrahit inde caput.
Nirea non facies, non vis exemit Achillem,
Crœsum aut Pactoli quas parit humor opes.
Hic olim ignaros luctus populauit Achiuos,
Atridæ magno cum stetit alter amor.
At tibi nauta, pias hominum qui traijcis [illegible]bras,
Huc animæ portent corpus inane tuæ,
Quà Siculæ victor telluris Claudius, & quà
Cæsar ab humana cessit in astra via.

De mulierum incontinentia.

OBIICITVR *toties à te mihi nostra libido.*
Crede mihi, vobis imperat illa magis.
Vos vbi contempti rupistis frena pudoris,
Nescitis captæ mentis habere modum.
Flãma per incensas citius sedetur aristas,
Fluminàque ad fontis sint reditura caput,

Et placidum Syrtes portum, & bona littora nautis
Praebeat hospitio saeua Malea suo,
Quàm possit vestros quisquam reprehendere cursus,
Et rapidae stimulos frangere nequitiae.
Testis, Cretaei fastus quae passa iuuenci
Induit abiegnae cornua falsa bouis:
Testis Thessalico flagrans Salmonis Enipeo,
Quae voluit liquido tota subire deo.
Crimen & illa fuit patria succensa senecta,
Arboris in frondis condita Myrrha nouae.
Nam quid, Medea, referam, quo tempore matris
Iram natorum caede piauit amor?
Quidve Clytemnestrae, propter quam tota Mycenis
Infamis stupro stat Pelopea domus?
Túque ô Minoa venundata Scylla figura,
Tondens purpurea regna paterna coma.
Hanc igitur dotem virgo desponderat hosti:
Nise tuas portas fraude reclusit amor.
At vos innuptae felicius vrite tedas,
Pendet Cretaea tracta puella rate.
Non tamen immerito Minos sedet arbiter orci:
Victor erat quamuis, aequus in hoste fuit.

De contemptore amicae.

C R E D I S *eum iam posse tua meminisse figurae,*
Vidisti à lecto quem dare vela tuo?
Durus, qui lucro potuit mutare puellam.
Tantis ne in lacrymis Africa tota fuit?
At tu stulta deos tu fingis inania verba.
Forsitan ille alio pectus amore terit.
Est tibi forma potens, sunt casta Palladis artes,
Splendidáque à docto fama refulget auo.
Fortunata domus, modo sit tibi fidus amicus.

Fidus

Fidus ero; in nostros curre puella toros.
Tu quoque, qui æstiuos spatiosius exigis ignes,
Phœbe moratura contrahe lucis iter.
Nox mihi prima venit, primæ data tempora noctis.
Longius in primo luna morare toro.
Fœdera sunt ponenda prius, signandáque iura,
Et scribenda mihi lex in amore nouo.
Hæc Amor ipse suo constringit pignora signo:
Testis siderea torta corona deæ,
Quàm multæ ante meis cedant sermonibus horæ,
Dulcia quàm nobis concitet arma Venus.
Nanque, vbi non certo vincitur fœdere lectus,
Non habet vltores nox vigilanda deos:
Et quibus imposuit, soluit nox vincla libido.
Contineant nobis omnia prima fidem.
Ergo, qui pactas in fœdera ruperit aras,
Pollueritque nouo sacra marita toro,
Illi sint, quicunque solent, in amore dolores;
Et caput argutæ præbeat historiæ;
Nec flenti dominæ patefiant nocte fenestræ.
Semper amet, fructu semper amoris egens.

AD CYNTHIAM.

MAGNVM *iter, ad doctas proficisci cogor Athenas;*
Vt me longa graui soluat amore via.
Crescit enim assidue spectando cura puellæ.
Ipse alimenta sibi maxima præbet amor.
Omnia sunt tentata mihi, quacunque fugari
Possit, at ex omni me premit ipse deus.
Vix tamen aut semel admittit, cum sæpe negauit,
Seu venit, extremo dormit amica toro.
Vnum erit auxilium mutatis Cynthia terris.
Quantum oculis, animo tam procul ibit amor.

Nunc agite ô socij propellite in æquora nauem,
Remorúmque pares ducite sorte vices,
Iungitéque extremo felicia lintea malo.
Nam liquidum nautis aura secundat iter.
Romanæ turres,& vos valeatis amici,
Qualiscunque mihi túque puella vale.
Ergo ego nunc rudis Adriaci vehar æquoris hospes,
Cogar & vndisonos nunc prece adire deos.
Deinde per Ionium vectus cum fessa Lecheo
Sedarit placida vela phaselus aqua.
Quod superest,sufferte pedes,properate laborem,
Isthmos quà terris arcet vtrunque mare.
Inde vbi Piræi capient me littora portus,
Scandam ego Theseæ brachia longa viæ.
Illic vel studijs animum emendare Platonis
Incipiam,aut hortis docte Epicure tuis,
Persequar aut studium linguæ,Demosthenis arma,
Librorúmque tuos docte Menandre sales:
Aut certe tabulæ capient mea lumina picta,
Siue ebore exacta,seu magis ære manus,
Aut spatia annorum,aut longa interualla profundi
Lenibunt tacito vulnera nostra sinu.
Seu moriar,fato,non turpi fractus amore,
Atque erit illa mihi mortis honesta dies.

AD TVLLVM.

F*RIGIDA tã multos placuit tibi Cyzicus annos,*
Tulle,Propontiaca quà fluit Isthmos aqua,
Dindymus,& sacra fabricata inuenta Cybella,
Raptorisque tulit quæ via Ditis equos.
Si te forte iuuant Helles Athamantidos vrbes,
Et desiderio Tulle mouere meo;
Tu licet aspicias cælum omne Atlanta gerentem,

Sectaq;

Sectáque Persea Phorcydos ora manu,
Geryonæ stabula, & luctantum in puluere signa
Herculis Antæique, Hesperidúmque choros;
Túque tuo Colchon propellas remige Phasin,
Peliacaq; trabis totum iter ipse legas,
Quà rudis Argoa natat inter saxa columba
In faciem proræ pinus adacta nouæ,
Et quà Gygei visenda est ora Caistri,
Et quà septenas temperat vnda vias,
Omnia Romanæ cedent miracula terræ.
Natura hic posuit quicquid vbique fuit.
Armis apta magis tellus, quàm commoda noxæ.
Famam, Roma, tuæ non pudet historiæ.
Nam quantum ferro, tantum pietate potentes
Stamus: victrices temperat ira manus.
Hic Anio Tiburte fluis, Clitumnus ab Vmbro
Tramite, & æternum Martius humor opus.
Albanus lacus & socij Nemorensis ab vnda,
Potáque Pollucis lympha salubris equo.
At non squamoso labuntur ventre cerastæ,
Itala portentis nec fuit vna nouis.
Non hic Andromedæ resonant pro matre catenæ,
Nec tremis Ausonias Phœbe fugate dapes,
Nec cuiquam absentis arserunt in caput ignes,
Exitium nato matre parante suo.
Penthea non sæuæ venantur in arbore Bacchæ,
Nec soluit Danaas subdita cerua rates.
Cornua nec valuit curuare in pellice Iuno,
Aut faciem turpi dedecorare boue.
Arboreásque cruces Scinis, & non hospita Graijs
Saxa, & curuatas in sua fata trabes.
Hæc tibi Tulle parens, hæc est pulcherrima sedes.

Hic tibi pro digna gente petendus honos.
Hic tibi ad eloquium ciues,hic ampla nepotum
Spes,& ventura coniugis aptus amor.

DE TABVLIS PERDITIS.

ERgo tam docta nobis periere tabella,
Scripta quibus pariter tot periere bona.
Has quondam nostris manibus detriuerat vsus,
Qui non signatas iussit habere fidem,.
Illa tum sine me norant placare puellas,
Et quadam sine me verba diserta loqui.
Non illas fixum caras effecerat aurum,
Vulgari buxo sordida cera fuit.
Qualescunque mihi semper mansere fideles,
Semper & effectus promeruere bonos.
Forsitan hac illis fuerant mandata tabellis.
Irascor,quoniam es lente moratus heri.
An tibi nescio qua visa est formosior?an tu
Non bona de nobis crimina ficta iacis?
Aut dixit,venies hodie,cessabimus vna,
Hospitium tota nocte parauit amor,
Et quacunque dolens reperit non stulta puella
Garrula,cum blandis ducitur hora dolis.
Me miserum,his aliquis rationem scribit auari,
Et ponit duras inter ephemeridas.
Quas si quis mihi retulerit,donabitur auro.
Quis pro diuitijs ligna retenta velit?
I puer,& citus hac aliqua propone columna,
Et dominum Esquilijs scribe habitare tuum.

AD CYNTHIAM SVPERBIENTEM.

FAlsa est ista tua,mulier,fiducia forma,
Olim oculis nimium facta superba meis.
Noster amor tales tribuit tibi Cynthia laudes.

Versibus insignem te pudet esse meis.
Mistam te varia laudaui sæpe figura,
Vt, quod non esses, esse putaret amor.
Et color est toties roseo collatus Eoo,
Cum tibi quæsitus candor in ore foret.
Quod mihi non patrij poterant auertere amici,
Eluere aut vasto Thessala saga mari,
Hæc ego non ferro, non igne coactus, & ipsa
Naufragus Ægæa verba fatebor aqua:
Correptus sæuo Veneris torrebar aheno,
Vinctus eram versas in mea terga manus.
Ecce coronatæ portum tetigere carinæ:
Traiectæ Syrtes, anchora iacta mihi est.
Nunc demum vasto fessi resipiscimus æstu,
Vulneráque ad sanum nunc coiere mea.
Mens bona, si qua dea es, tua me in sacraria dono.
Exciderent surdo tot mea vota Ioui.

AD AMICAM.

Risus eram positis inter conuiuia mensis,
Et de me poterat quilibet esse loquax.
Quinque tibi potui seruire fideliter annos.
Vngue meam morso sæpe querere fidem.
Nil moueor lacrymis: ista sum captus ab arte:
Semper ab insidijs Cynthia flere soles.
Flebo ego discedens: sed fletum iniuria vincit.
Tu bene conueniens non sinis esse iugum.
Limina iam nostris valeant lacrymantia verbis,
Nec tamen irata ianua fracta manu.
At te celatis ætas grauis vrgeat annis,
Et veniat formæ ruga sinistra tuæ:
Vellere cum cupies albos à stirpe capillos
A speculo rugas increpitante tibi:

Exclusa

Exclusa inq; vicem fastus patiare superbos,
Et, quæ fecisti, facta queraris anus.
Has tibi fatales cecinit mea pagina diras.
Euentum formæ disce timere tuæ.

SEX. PROPERTII ELEGIARVM

LIB. IIII.

DE VRBE ROMA.

HOC, quodcunque vides hospes, quàm maxima Roma est,
Ante Phrygem Æneam collis, & herba fuit.
Atque vbi nauali stant sacra palatia (Phœbo
Euandri profuga procubuere boues,
Fictilibus creuere deis hæc aurea templa.
Non fuit opprobrio facta sine arte casa.
Tarpeiúsque pater nuda de rupe tonabat,
Et Tiberis nostris aduena bubus erat.
Quò gradibus domus ista Remi se sustulit, olim
Vnus erat fratrum maxima regna focus.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda patres.
Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.
Centum illi in prato sæpe senatus erat.
Nec sinuosa cauo pendebant vela theatro.
Pulpita solennes non oluere crocos.
Nulli cura fuit externos quærere diuos,
Cum tremeret patrio pendula turba sacro,
Annuáque accenso celebrare Palilia fœno,

Qualia

Qualia nunc curto lustra nouantur equo.
Vesta coronatis pauper gaudebat asellis,
Ducebant macræ vilia sacra boues.
Parua saginati lustrabant compita porci,
Pastor & ad calamos exta litabat ouis:
Verbera pellitus setosa mouebat arator,
Vnde licens Fabius sacra lupercus habet.
Nec rudis infestis miles radiabat in armis:
Miscebant vsta prœlia nuda sude.
Prima galeritus posuit pratoria Lycmon,
Magnáque pars Tatio rerum erat inter oues.
Hinc Tatiens, Ramnésque viri, Lucerésque coloni.
Quattuor hinc albos Romulus egit equos.
Quippe suburbana parua minus vrbe Bouillæ,
Et, qui nunc nulli, maxima turba Gabij:
Et stetit Alba potens albæ suis omine nata,
Hac vbi Fidenas longe erat ire vias.
Nil patrium, nisi nomen, habet Romanus alumnus.
Sanguinis altricem nunc pudet esse lupam.
Huc melius profugos misisti Troia penates.
O quali vecta est Dardana puppis aue.
Iam bene spondebant tunc omnia, quòd nihil illam
Læserat abiegni venter apertus equi.
Cum pater in nati tremulus ceruice pependit,
Et verita est humeros vrere flamma pios.
Tunc animi venere Decij, Brutique secures,
Vexit & ipsa sui Cæsaris arma Venus,
Arma resurgentis portans victricia Troiæ.
Felix terra tuos cepit Iule deos.
Si modo auernalis tremulæ certina sibyllæ
Dixit Auentino rura pianda Remo,
Aut si Pergameæ sero rata carmina vatis

Longæuum ad Priami vera fuere caput.
Vertite equum Danai,male vincitis.Ilia tellus
Viuet,& huic cineri Iuppiter arma dabit.
Optima nutricum nostris lupa Martia rebus,
Qualia creuerunt mœnia lacte tuo.
Mœnia nanque pio conor disponere versu.
Hei mihi quod nostro est paruus in ore sonus.
Sed tamen exiguo quodcunque è pectore riui
Fluxerit,hoc patriæ seruiat omne meæ.
Ennius hirsuta cingat sua dicta corona:
Mi folia ex edera porrige Bacche tua.
Ut nostris tumefacta superbiat Vmbria libris,
Vmbria Romani patria Callimachi:
Scandentes si quis cernet de vallibus arces,
Ingenio muros æstimet ille meo.
Roma faue,tibi surget opus.date candida ciues
Omina,& in tectis dextera cantet auis.
Sacra,diésque canam,& cognomina prisca locorum.
...as meus ad metas sudet oportet equus.
Quo ruis imprudens vage dicere facta Properti?
Non sunt à dextra condita fila colo.
Accersis lacrymis cantus.auersus Apollo.
Poscis ab inuita verba pigenda lyra.
Certa feram certis auctoribus haud ego vates,
Nescius ærata signa mouere pila.
Me creat Architæ soboles Babylonius Horos,
Horos,& à proauo ducta Conone domus.
Di mihi sunt testes,non degenerasse propinquis,
Inq; meis libris nil prius esse fide.
Nunc pretium fecere deos,& fallitur auro
Iuppiter.obliquæ signa iterata rotæ,
Felicésque Iouis stellas,Martísque rapacis,

Et

Et graue Saturni sidus in omne caput,
Quid moneant pisces, animosaq; signa Leonis,
Lotus & hesperia quid Capricornus aqua,
Dicam. Troia cades, & Troica Roma resurges:
Et maris, & terræ longa sepulcra canam.
Dixi ego, cum geminos produceret Arria natos,
(Illa dabat natis arma vetante deo)
Non posse ad patrios sua pila referre penates:
Nempe meam firmant nunc duo busta fidem.
Quippe Lupercus equi dum saucia protegit ora,
Heu sibi prolapso non bene cauit equo:
Gallus at in castris dum credita signa tuetur,
Concidit ante aquilæ rostra cruenta suæ.
Fatales pueri, duo funera matris auaræ.
Vera sed inuito contigit ista fides.
Idem ego, cum Cynaræ traheret Lucina dolores,
Et facerent vteri pondera lenta moram,
Iunonis votum facite impetrabile, dixi.
Illa parit: libris est data palma meis.
Hoc neque arenosum Libyci Iouis explicat antrum,
Aut sibi commissos fibra locuta deos,
Aut si quis motas cornicis senserit alas,
Vmbráque nec magicis mortua prodit aquis.
Aspicienda via est cæli, verusq; per astra
Trames, & ab Zonis quinque petenda fides.
Exemplum graue erit Calchas, namque Aulide soluit
Ille bene hærentes ad pia saxa rates.
Idem Agamemnoniæ ferrum ceruice puellæ
Tinxit, & Atrides vela cruenta dedit.
Nec rediere tamen Danai. tu diruta fletum
Supprime, & Euboicos respice Troia sinus.
Nauplius vltores sub noctem porrigit ignes,

Et natat exuuijs Gracia pressa tuis.
Victor Oilide rape nunc,& dilige vatem,
Quam vetat auelli veste Minerua sua.
Hactenus historia,nunc ad tua deuehor astra:
Incipe tu lacrymis aequus adesse nouis.
Vmbria te notis antiqua penatibus edit.
Mentior?an patria tangitur ora tua?
Quà nebulosa cauo rorat Meuania campo,
Et lacus aestiuis intepet Vmber aquis,
Scandentisque axis consurgit vertice murus,
Murus ab ingenio notior ille tuo.
Ossaq; legisti,non illa aetate legenda,
Patris,& in tenues cogeris ipse lares.
Nam tua cum multi versarent rura iuuenci,
Abstulit excultas pertica tristis opes.
Mox,vbi bulla rudi demissa est aurea collo,
Matris & ante deos libera sumpta toga;
Tum tibi pauca suo de carmine dictat Apollo,
Et vetat insano verba tonare foro.
At tu finge elegos, fallax opus,hac tua castra,
Scribat vt exemplo caetera turba tuo.
Militiam Veneris blandis patiere sub armis,
Et Veneris pueris vtilis hostis eris.
Nam tibi victrices,quascunque labore parasti,
Eludet palmas vna puella tuas,
Et bene cum fixum mento discusseris vncum
Nil erit:hac rostro te premet ansa suo.
Illius arbitrio noctem,lucémque videbis,
Gutta quoque ex oculis non nisi iussa cadet.
Nec mille excubiae,nec te signata iuuabunt
Limina.persuasae fallere rima sat est.
Nunc tua vel medijs puppis luctetur in vndis,

Vel licet armatis hostis inermis eas,
Vel tremefacta cauo tellus deducat hiatu,
Octipedis cancri terga sinistra time.

FABVLA VERTVNNI.

QVID *mirare meas tot in vno corpore formas?*
Accipe Vertunni signa paterna dei.
Tuscus ego Tuscis orior, nec pœnitet inter
Prœlia Volscinos deseruisse focos.
Nec me turba iuuat, nec templo lætor eburno.
Romanum satis est posse videre forum.
Hac quondam Tiberinus iter faciebat, & aiunt
Remorum auditos per vada pulsa sonos.
At postquam ille suis tantum concessit alumnis,
Vertunnus verso dicor ab amne deus,
Seu quia vertentis fructum percepimus anni,
Vertunni rursus credidit esse sacrum.
Prima mihi variat liuentibus vua racemis,
Et coma lactenti spicea fruge tumet.
Hic dulces cerasos, hic autumnalia pruna
Cernis, & æstiuo mora rubere die.
Insitor hic soluit pomosa vota corona,
Cum pirus inuito stipite mala tulit.
Mendax fama noces. alius mihi nominis index:
De se narranti tu modo crede deo.
Opportuna mea est cunctis natura figuris.
In quancunque voles, verte: decorus ero.
Indue me Cois, fiam non dura puella.
Méque virum sumpta quis neget esse toga?
Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:
Iurabis nostra gramina secta manu.
Arma tuli quondam: & memini, laudabar in illis:
Corbis & imposito pondere messor eram.

Sobrius ad lites: at cum est imposita corona,
Clamabis capiti vina subisse meo.
Cinge caput mitra: speciem furabor Iacchi.
Furabor Phœbi, si modo plectra dabis.
Cassibus impositis venor, sed arundine sumpta
Faunus plumoso sum deus aucupio.
Est etiam aurigæ species Vertunnus, & eius,
Traijcit alterno qui leue pondus æquo,
Suppetat, hoc pisces calamo prædabor: & ibo
Mundus demissis institor in tunicis.
Pastorem ad baculum possum curare, vel idem
Serpiculis medio puluere ferre rosam.
Nā quid ego adijciam, de quo mihi maxima fama est,
Hortorum in manibus dona probata meis?
Cæruleus cucumis, tumidóque cucurbita ventre
Me notat, & iunco brassica vincta leui.
Nec flos vllus hiat pratis, quin ille decenter
Impositus fronti langueat ante mea.
At mihi, quod formas vnus vertebar in omnes,
Nomen ab euentu patria lingua dedit.
At tu Roma meis tribuisti præmia Tuscis,
Vnde hodie vicus nomina Tuscus habet.
Tempore quo socijs venit Lycomedius armis,
Atque Sabina feri contudit arma Tati.
Vidi ego labentes acies, & tela caduca,
Atque hostes turpi terga dedisse fugæ.
Sed facias diuum sator, vt Romana per æuum
Transeat ante meos turba togata pedes.
Sex superant versus, te, qui ad vadimonia curris,
Non moror: hæc spatijs vltima meta meis.
Stipes acernus eram, properanti falce dolatus,
Ante Numam grata pauper in vrbe deus.

At tibi

At tibi Mamuri formæ cælator ahenæ
Tellus artifices ne terat Osca manus;
Qui me tam dociles potuisti fundere in vsus.
Vnum opus est, operi non datur vnus honos.

Epistola Arethusæ ad Lycotam.

HAEC *Arethusa suo mittit mandata Lycotæ,*
Cum toties absis, si potes esse meus:
Si qua tamen tibi lecturo pars oblita deerit,
Hæc erit è lacrymis facta litura meis:
Aut si qua incerto fallet te litera tractu,
Signa meæ dextræ iam morientis erunt.
Te modo viderunt iteratos Bactra per ortus,
Te modo munito Sericus hostis equo,
Hibernique Getæ, pictóque Britannia curru,
Vstus & Eoa discolor Indus aqua.
Hæc ne marita fides, & pactæ sunt mihi noctes,
Cum rudis vrgenti brachia victa dedi?
Quæ mihi deductæ fax omen prætulit, illa
Traxit ab euerso lumina nigra rogo.
Et Stygio sum sparsa lacu, nec recta capillis
Vitta data est. nupsi non comitante deo.
Omnibus heu portis pendent mea noxia vota.
Texitur hæc castris quarta lacerna tuis.
Occidat, immerita qui carpsit in arbore vallum,
Et struxit querulas rauca per ossa tubas.
Dignior obliquo funem qui torqueat ocno,
Æternúsque tuam pascat aselle famem.
Dic mihi num teneros vrit lorica lacertos?
Num grauis imbelles atterit hasta manus?
Hæc noceant potius, quàm dentibus vlla puella
Det mihi plorandas per tua colla notas.
Diceris & macie vultum tenuasse: sed opto

E desiderio sit color iste meo.
At mihi cum noctes induxit vesper amaras,
Si qua relicta iacent, osculor arma tua.
Tum queror in toto non sidere pallia lecto,
Lucis & auctores non dare carmen aues.
Noctibus hibernis castrensia pensa laboro,
Et Tyria in gladios vellera secta suos:
Et disco qua parte fluat vincendus Araxes.
Quot sine aqua Parthus millia currat equus.
Cogor & è tabula pictos ediscere mundos,
Qualis & hæc docti sit positura dei.
Quæ tellus sit lenta gelu, quæ putris ab æstu,
Ventus in Italiam qui bene vela ferat.
Assidet vna soror, curis & pallida nutrix
Peierat hiberni temporis esse moras.
Felix Hippolyte nuda tulit arma papilla,
Et texit galea barbara molle caput.
Romanis vtinam patuissent castra puellis:
Essem militiæ sarcina fida tuæ.
Nec me tardarent Scythiæ iuga, cum pater altas
Africus in glaciem frigore nectit aquas.
Omnis amor magnus, sed aperto in coniuge maior.
Hanc Venus, vt viuat, ventilat ipsa facem.
Nam mihi quo Pœnis tibi purpura fulgeat ostris,
Crystallúsque tuas ornet aquosa manus,
Omnia surda tacent; rarisque assueta calendis,
Vix aperit clausos vna puella lares.
Graucidos, & catulæ vox est mihi grata querentis.
Illa tui partem vendicat vna tori.
Flore sacella tego, verbenis compita velo.
Et crepat ad veteres herba Sabina focos,
Siue in finitimo gemuit stans noctua tigno,

Seu

Seu voluit tangi parca lucerna mero.
Illa dies ornis cadem denuntiat agnis,
Succinctique calent ad noua lucra popæ.
Ne precor ascensis tanti sit gloria Bactris,
Raptáve odorato carbasa lina duci,
Plumbea cum tortæ sparguntur pondera fundæ,
Subdolus & versis increpat arcus equis.
Sed tua sic domitis Parthæ telluris alumnis
Pura triumphantes hasta sequatur equos:
Incorrupta mei conserua fœdera lecti.
Hac ego te sola lege redisse velim.
Armáque cum tulero portæ votiua Capenæ,
Subscribam, saluo grata puella viro.

FABVLA TARPEIAE.

TARPEIVM *nemus, & Tarpeiæ turpe sepulcrum.*
Fabor, & antiqui limina capta Iouis.
Lucus erat felix, ederoso conditus antro:
Multáque natiuis obstrepit arbor aquis,
Siluani ramosa domus, quò dulcis ab æstu
Fistula poturas ire iubebat oues.
Hunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,
Fictáque suggesta castra coronat humo.
Quid tum Roma fuit, tubicen vicina Curetis,
Cum quateret lento murmure saxa Iouis?
Atque vbi nunc terris dicuntur iura subactis,
Stabant Romano pila Sabina foro.
Murus erant montes: vbi nunc est curia septa,
Bellicus ex illo fonte bibebat equus.
Hinc Tarpeia deæ fontem libauit, at illi
Vrgebat medium fictilis vrna caput.
Et satis vna malæ potuit mors esse puellæ,
Quæ voluit flamas fallere Vesta tuas?

Vidit arenosis Tatium perludere campis,
Pictáque per flauas arma leuare iubas.
Obstupuit regis facie,& regalibus armis;
Intérque oblitas excidit vrna manus.
Sæpe illa immeritæ caussata est omina Lunæ,
Et sibi tingendas dixit in amne comas:
Sæpe tulit blandis argentea lilia nymphis,
Romula ne faciem læderet hasta Tati.
Dúmque subit primo Capitolia nubila fumo,
Rettulit hirsutis brachia secta rubis,
Et sua Tarpeia residens ita fleuit ab arce
Vulnera vicino non patienda Ioui.
Ignes castrorum,& Tatiæ prætoria turmæ,
Et formosa oculis arma Sabina meis,
O vtinam ad vestros sedeam captiua penates,
Dum captiua mei conspicer esse Tati.
Romani montes,& montibus addita Roma,
Et valeat probro Vesta pudenda meo.
Ille equus ille meos in castra reponet amores,
Cui Tatius dextra collocat ipse iubas.
Quid mirum in patrios Scyllam sæuisse capillos?
Candidáque in sæuos inguina versa canes?
Prodita quid mirum fraterni cornua monstri,
Cum patuit lecto stamine torta via?
Quantum ego sum Ausonijs crimen factura puellis,
Improba virgineo lecta ministra foco,
Pallados extinctos si quis mirabitur ignes;
Ignoscat: lacrymis spargitur ara meis.
Cras,vt rumor ait,tota pugnabitur vrbe:
Tu cape spinosi roscida terga iugi.
Lubrica tota via est,& perfida,quippe tacentes
Fallaci celat limite semper aquas.

O utinam magicæ nossem cantamina musæ,
Hæc quoque formoso lingua tulisset opem.
Te toga picta decet, non quem sine matris honore
Nutrit inhumanæ dura papilla lupæ.
Si sim hospes patiare tua regina sub aula:
Dos tibi non humilis prodita Roma venit.
Sin minus, at raptæ ne sint impune Sabinæ,
Me rape, & alterna lege repende vices.
Commissas acies ego possum soluere, nuptæ
Vos medium palla fœdus inite mea.
Adde Hymenæe modos, tubicen fera murmura conde,
Credite vestra meus molliet arma torus.
Et iam quarta canit venturam buccina lucem,
Ipsáque in Oceanum sidera lapsa cadunt.
Experiar somnum: de te mihi somnia quæram.
Fac venias oculis vmbra benigna meis.
Dixit, & incerto permisit brachia somno
Nescia se flammis accubuisse nouis.
Nam Vesta Iliacæ felix tutela fauillæ
Culpam alit, & plures condit in ossa faces.
Illa ruit, qualis celerem prope Thermodonta,
Strymonis abscisso fertur aperta sinu.
Vrbi festus erat: dixere Palilia patres.
Hic primus cœpit mœnibus esse dies.
Annua pastorum conuiuia lusus in vrbe
Cum pagana madent fercula delicijs;
Cúmque super raros fœni flamantis aceruos
Traijcit immundos ebria turba dapes.
Romulus excubias decreuit in ocia solui,
Atque intermissa castra silere tuba.
Hoc Tarpeia suum tempus rata, conuenit hostem,
Pacta ligat, pactis ipsa futura comes.

Mons erat aſcenſu dubius, feſtóque remiſſus.
Nec mora, vocales occupat enſe canes.
Omnia præbebant ſomnos, ſed Iuppiter vnus
Decreuit pœnis inuigilare tuis.
Prodiderat portæq; fidem, patriámque iacentem:
Nubendique petit, quem velit ipſa, diem.
At Tatius, (neque enim ſceleri dedit hoſtis honorem,)
Nube, ait, & regni ſcande cubile mei.
Dixit, & ingeſtis comitum ſuper obruit armis.
Hæc virgo officijs dos erat apta tuis.
A duce Tarpeio mons eſt cognomen adeptus.
O vigil iniuſtæ præmia ſortis habes.

AD LENAM.

TERRA *tuum ſpinis obducat Lena ſepulcrum,*
Et tua, quod non vis, ſentiat vmbra ſitim;
Nec ſedeant cineri manes; & Cerberus vltor
Turpia ieiuno terreat oſſa ſono;
Docta vel Hippolytum Veneri mollire negantem,
Concordique toro peſſima ſemper auis.
Penelopen quoque, neglecto rumore mariti,
Nubere laſciuo cogeret Antinoo.
Illa velit, poterit magnes non ducere ferrum,
Et volucris nidis eſſe nouerca ſuis.
Quippe & Collinas ad foſſam mouerit herbas,
Stagnáque currenti diluerentur aqua.
Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et ſua nocturno fallere terga lupo.
Poſſet & intentos aſtu cæcare maritos.
Cornicum immeritas eruit vngue genas,
Conſuluitque ſtryges noſtro de ſanguine, & in me
Hippomanes fœtæ ſemina legit equæ.
Exorabat opus verbis ceu blanda perurat,

Saxosamq́; terat sedula culpa viam.
*Si te Eoa iuuat * Doroxantum aurea ripe,*
Et quæ sub Tyria concha superbit aqua.
Eurypilique placet Coa textura Minerua,
Sectáque ab Attalicis putria signa toris,
Seu quæ palmiferæ mittunt venalia Thebæ,
Murrheáque in Parthis pocula cocta focis:
Sperne fidem, prouolue deos, mendacia vincant.
Cedant damnosa iura pudicitiæ.
Et simulare virum pretium facit. vtere caussis.
Maior dilata nocte recurret amor.
Si tibi forte comas vexauerit vtilis ira,
Postmodo mercata pace premendus erit.
Denique vbi amplexu Venerem promiseris empto:
Fac simules puros Isidis esse dies.
Ingerat Apriles Iole tibi, tundat Amycle
Natalem Maijs idibus esse tuum.
Supplex ille sedet, posita tu scribe cathedra,
Quidlibet, has artes si pauet ille, tenes.
Semper habe morsus circa tua colla recentes,
Litibus alternis quos putet esse datos.
Non te Medeæ delectent probra sequacis,
Nempe tulit fastus ausa rogare prior,
Sed potius mundi Thais pretiosa Menandri,
Cum ferit astutos comica mœcha Getas.
In mores te verte viri. si cantica iactat,
I comes, & voces ebria iunge tuas.
Ianitor ad dantes vigilet: si pulset inanis,
Surdus in obductam somniet vsque seram.
Nec tibi displiceat miles, modo factus amori;
Nauta nec, attrita si ferat æra manu;
Aut quorum titulus per barbara colla pependit,

Calati medio cum saliere foro.
Aurum spectato, non quæ manus afferat aurum.
Versibus auditis, quid nisi verba feres?
Qui versus, Coæ dederit nec munera vestis,
Ipsius tibi sit surda sine ære lyra.
Dum vernat sanguis, dum rugis integer annus,
Vtere, ne quis eat liber amore dies.
Vidi ego odorati victura rosaria Pæsti
Sub matutino cocta iacere noto.
His animos nostra dum versat Acanthis amica,

*

Sed cape torquatæ Venus ò regina columbæ,
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.
Vidi ego rugoso tussim concrescere collo,
Sputáque per dentes ire cruenta cauos,
Atque animam in tegetes putrem expirare paternas.
Horruit algenti pertica curta foco.
Exequiæ fuerant rari furtiua capilli
Vincula, & immundo pallida mitra situ,
Et canis in nostros nimis experrecta dolores,
Cum fallenda meo pollice clathra forent.
Sit tumulus lenæ curto vetus amphora collo:
Vrgeat hunc supra vis caprifice tua.
Quisquis amas, scabris hoc bustum cædito saxis,
Mistáque cum saxis adijce verba mala.

De pugna Actiaca nauali.

Sacra facit vates, sint ora fauentia sacris,
Et cadat ante meos icta iuuenca focos.
Cera Philetæis certet Romana corymbis,
Et Cyrenæas vrna ministret aquas.
Costum molle date, & blandi mihi thuris honores,
Terque focum circa laneus orbis erat.

Spargite me lymphis, carménque recentibus aris
Tibia Mygdoniȷs libet eburna cadis.
Ite procul fraudes. alio sint aere noxæ.
Pura nouum vati laurea mollit iter.
Musa Palatini referamus Apollinis ædem.
Res est Calliope digna fauore tuo.
Cæsaris in nomen ducuntur carmina. Cæsar
Dum canitur, quæso Iuppiter ipse vaces.
Est Phœbi fugiens Athamana ad littora portus,
Quà sinus Ioniæ murmura condit aquæ,
Actia Iuleæ pelagus monimenta carinæ,
Nautarum votis non operosa via.
Huc mundi coire manus. stetit æquore moles
Pinea, nec remis æqua fauebat auis.
Altera classis erat Teucro damnata Quirino,
Piláque feminea turpiter acta manu.
Hinc Augusta ratis plenis Iouis omine velis,
Signáque iam patriæ vincere docta suæ.
Tandem acies geminos Nereus lunarat in arcus,
Armorum & radiȷs picta tremebat aqua,
Cum Phœbus linquens stantem se vindice Delon,
(Nam tulit iratos mobilis vna notos)
Astitit Augusti puppem super, & noua flamma
Luxit in obliquam ter sinuata facem.
Non ille attulerat crines in colla solutos,
Aut testudineæ carmen inerme lyræ,
Sed quali aspexit Pelopeium Agamemnona vultu,
Egessitq; auidis Dorica castra rogis,
Aut qualis flexos soluit Pythona per orbes
Serpentem, imbelles quem timuere lyræ.
Mox ait, ò longa mundi seruator ab Alba
Auguste: Hectoreis cognite maior auis,

Vince

Vince mari iam terra tua est: tibi militat arcus,
Et fauet ex humeris hoc onus omne meis.
Solue metu patriam: quæ nunc te vindice freta,
Imposuit proræ publica vota tuæ:
Quam nisi defendes, murorum Romulus augur
Ire Palatinas non bene vidit aues.
Et nimium remis audent prope turpe Latinis
Principe te fluctus regia vela pati.
Nec te, quòd classis centenis remiget alis,
Terreat: inuito labitur illa mari:
Quódque vehunt proræ centaurica saxa minantes,
Tigna caua, & pictos experiere metus.
Frangit, & attollit vires in milite caussa:
Quæ nisi iusta subest, excutit arma pudor.
Tempus adest, committe rates: ego temporis auctor
Ducam laurigera Iulia rostra manu.
Dixerat, & pharetræ pondus consumit in arcus.
Proxima post arcus Cæsaris hasta fuit.
Vincit Roma, fide Phœbi: dat fœmina pœnas,
Sceptra per Ionias fracta vehuntur aquas.
At pater Idalio miratus Cæsar ab astro,
Sum deus, & nostri sanguinis ista fides.
Prosequitur cantu Triton, omnésque marinæ
Plauserunt circa libera signa deæ.
Illa petit Nilum cymba male nixa fugaci,
Hoc vnum, iusso non moritura die.
Di melius, quantus mulier foret vna triumphus
Ductus erat per quas ante Iugurtha vias.
Actius hinc traxit Phœbus monimenta, quòd eius
Vna decem vicit missa sagitta rates.
Bella satis cecini: citharam iam poscit Apollo
Victor, & ad placidos exuit arma choros.

Candida nunc molli subeant conuiuia luco,
Blanditiaeq; fluant per mea colla rosae:
Vináque fundantur prelis elisa Falernis,
Térque lauet nostras spica Cilissa comas:
Ingenium potis irritet musa poetis.
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo.
Ille paludosos memoret seruire Sicambros,
Cepheam hic Meroen, fuscáque regna canat:
Hic referat sero confessum fœdere Parthum:
Reddat signa Remi, mox dabit ipse sua.
Siue aliquid pharetris Augustus parcet Eois,
Differat in pueros ista trophaea suos.
Gaude Crasse, nigras si quid sapis inter arenas.
Ire per Eufraten ad tua busta licet.
Sic noctem patera, sic ducam carmine, donec
Injiciat radios in mea vina dies.

SOMNIVM.

SVnt aliquid manes. letum non omnia finit;
Luridáque euictos effugit vmbra rogos.
Cynthia nanque meo visa est incumbere fulcro,
Murmur ad extremae nuper humata viae:
Cum mihi ab exequijs somnus penderet amoris,
Et quererer lecti frigida regna mei.
Eosdem habuit secum, quibus est elata, capillos;
Eosdem oculos: lateri vestis adusta fuit.
Et solitum digito beryllon adederat ignis,
Summáque Lethaeus triuerat ora liquor:
Spirantésque animos, & vocem misit at illi
Pollicibus fragiles increpuere manus.
Perfide, nec cuiquam melior sperande puella,
In te iam vires somnus habere potest?
Iam ne tibi exciderant vigilantis furta Suburrae,

Et

Et mea nocturnis trita fenestra dolis?
Per quam demisso quoties tibi fune pependi,
Alterna veniens in tua colla manu.
Sæpe Venus triuio commista est pectore misto:
Fecerunt tepidas pallia nostra vias.
Fœderis heu taciti, cuius fallacia verba
Non audituri diripuere noti.
At mihi non oculos quisquam inclinauit euntis:
Unum impetrassem te reuocante diem.
Nec crepuit fissa me propter arundine custos,
Læsit & obiectum tegula curta caput.
Denique quis nostro curuum te funere vidit?
Atram quis lacrymis incaluisse togam?
Si piguit portas vltra procedere, at illud
Iussisses lectum lentius ire meum.
Cur ventos non ipse rogis ingrate petisti?
Cur nardo flammæ non oluere meæ?
Hoc etiam graue erat, nulla mercede hyacinthos
Iniicere, & fracto busta piare cado.
Lyngdamus vratur, candescat lamina verna.
Sensi ego, cum insidijs pallida vina bibi.
Aut Nomas arcanas tollat versuta salinas.
Dicet damnatas ignea testa manus.
Quæ modo per viles inspecta est publica noctes,
Hæc nunc aurata cyclade signat humum.
Et grauiora rependit iniquis pensa quasillis,
Garrula de facie si qua locuta mea est,
Nostráque quod Peale tulit ad monimenta corollas,
Codicis immundi vincula sentit anus.
Ceditur & Lalage tortis suspensa capillis,
Per nomen quoniam est ausa rogare meum.
Te patiente meæ conflauit imaginis aurum,

Arden

Ardenti ex nostro dotem habitura rogo.
Non tamen insector, quamuis mereare, Properti.
Longa mea in libris regna fuere tuis.
Iuro ego fatorum nulli reuocabile carmen,
Tergeminúsque canis sic mihi molle sonet,
Me seruasse fidem, si fallo, vipera nostris
Sibilet in tumulis, & super ossa cubet,
Nam gemina est sedes turpem sortita per amnem:
Turbáque diuersa remigat omnis aqua.
Vna Clytemnestræ stuprum vehit, altera Cressæ
Portat mentitæ lignea monstra bouis.
Ecce coronato pars altera victa phaselo,
Mulcet vbi Elysias aura beata rosas.
Quà numerosa fides, quáque errat turba Cybelles,
Mitratisque sonant Lydia plectra choris,
Andromedéque, & Hypermestre sine fraude maritæ
Narrant historiæ pectora nota suæ.
Hæc summa æternis queritur liuere catenis
Brachia, nec meritas frigida saxa manus.
Narrat Hypermestre magnum ausas esse sorores
In scelus, hoc animum non valuisse suum.
Sic mortis lacrymis vitæ sanamus amores.
Cælo ego perfidiæ crimina multa tuæ.
Sed tibi nunc mandata damus: si forte moueris,
Si te non totum Chlorides herba tenet,
Nutrix in tremulis ne quid desideret annis,
Parthenie patuit, nec tibi auara fuit.
Deliciæq; meæ Latris, cui nomen ab vsu est,
Ne speculum dominæ porrigat illa nouæ.
Et quoscunque meo fecisti nomine versus,
Vre mihi laudes desine habere meas.
Pelle ederam tumulo, mihi quæ pugnante corymbo

Mollia contortis alligat ossa comis.
Ramosis Anio quà pomifer incubat aruis,
Et nunquam Herculeo numine pallet ebur,
Hoc carmen media dignum me scribe columna,
Sed breue quod currens vector ab vrbe legat.
Hic Tiburtina iacet aurea Cynthia terra.
Accessit ripa laus Aniene tuæ.
Nec tu sperne piis venientia somnia portis.
Cum pia venerunt somnia, pondus habent.
Nocte vagæ ferimur, nox clausas liberat vmbras,
Errat & abiecta Cerberus ipse sera.
Luce iubent leges Lethea ad stagna reuerti.
Nos vehimur, vectum nauta recenset onus.
Nunc te possideant aliæ: mox sola tenebo;
Mecum eris, & mistis ossibus ossa teram.
Hæc postquam querula mecum sub voce peregit,
Inter complexus excidit vmbra meos.

DE CYNTHIA, ET DRACONE.

Disce quid Esquilias hac nocte fugarit aquosas,
Cum vicina meis turba cucurrit agris.
Lanuuium annosi vetus est tutela draconis,
Hic vbi tam raræ non perit hora moræ,
Quà sacer abripitur cæco descensus hiatu,
Quà penetrat virgo. tale iter omne caue:
Ieiuni serpentis honos cum pabula poscit
Annua, & extrema sibila torquet humo.
Talia demissæ pallent ad sacra puellæ,
Cum temere anguino creditur ore manus.
Ille sibi admotas à virgine corripit escas.
Virginis in palmis ipsa canistra tremunt.
Si fuerint castæ, redeunt in colla parentum;
Clamántque agricolæ, fertilis annus erit.

Huc mea detonsis auecta est Cynthia ab annis.
Caussa fuit Iuno, sed mage caussa Venus.
Appia dic quaeso, quantum te teste triumphum
Egerit effusis per tua saxa rotis,
Turpis in arcana sonuit cum rixa taberna;
Si sine me, famae non sine labe meae.
Spectaclum ipsa sedens primo temone pependit,
Ausa per impuros frana mouere locos,
** Siriga nam capto Volsi carpenta nepote,*
Atque armillatos, colla Molossa, canes,
Qui dabit immundae venalia fata saginae,
Vincet vbi erasas barba pudenda genas.
Cum fieret nostro toties iniuria lecto,
Mutato volui castra mouere toro.

Deprehensum Propertium cum Phyllide, & Teia, amicis à Cynthia, vapulasseque ab ea omnes vehementer.

PHILLIS, *Auentina, quaedam est, vicina Dianae,*
Sobria grata parum; cum bibit, omne decet.
Altera Tarpeios est inter Teia lucos,
Candida, sed potae non satis vnus erit.
His ego constitui noctem lenire vocatis,
Et Venere ignota furta nouare mea.
Vnus erat tribus in secreta lectulus herba.
Quaeris concubitus? inter vtranque fui.
Lygdamus ad cyathos, vtrique aestiua supellex.
Et Methymnaei grata saliua meri.
Nile tuus tibicen erat, crotalistria Phyllis,
Et facilis spargi munda sine arte rosa.
Nanus & ipse suos breuiter concretus in artus
Iactabat truncas ad caua buxa manus.
Sed neque suppletis constabat flamma lucernis,
Decidit inque suos mensa supina pedes.

Me quoque per talos Venerem quærente secundos,
Semper damnosi subsiluere canes.
Cantabant surdo, nudabant pectora cæco:
Lanuuij ad portas hei mihi solus eram:
Cum subito rauci sonuerunt cardine postes,
Et leuia ad primos murmura facta lares.
Nec mora, cum totas resupinat Cynthia valuas
Non operosa comis, sed furibunda decens:
Pocula mi digitos inter cecidere remissos:
Palluerant ipso labra soluta mero.
Fulminat illa oculis, & , quantum femina, sæuit:
Spectaclum capta nec minus urbe fuit.
Phyllidos iratos in vultum conijcit vngues:
Territa vicinas Teia clamat aquas.
Lumina sopitos turbant elata Quirites,
Omnis & insana semita nocte sonat.
Illas direptisque comis, tunicisque solutis
Excipit obscuræ prima taberna viæ.
Cynthia in exuuijs gaudet, victrixque recurrit,
Et mea peruersa sauciat ora manu,
Imponitque notam collo, morsúque cruentat,
Præcipuéque oculos, qui meruere, ferit.
Atque vbi iam nostris lassauit brachia plagis,
Lygdamus ad plutei fulcra sinistra latens
Exuitur, geniúmque meum prostratus adorat.
Lygdame nil potui, tecum ego captus eram.
Supplicibus palmis tum demum ad fœdera veni,
Cum vix tangendos præbuit illa pedes.
Atque ait: ademissæ si vis me ignoscere culpæ,
Accipe quæ nostræ formula legis erit.
Tu neque Pompeia spatiabere cultus in vmbra,
Nec cum lascivum sternet arena forum.

Colla

Colla caue inflectas ad summum obliqua theatrum,
Aut lectica tuæ sudet aperta moræ.
Lygdamus in primis, omnis mihi caussa querelæ,
Veneat, & pedibus vincula bina trahat.
Indixit leges. respondi ego, legibus vtar.
Riserat imperio facta superba dato.
Dein, quemcunque locum externæ tetigere puellæ,
Suffiit, & pura limina tergit aqua:
Imperat & totas iterum mutare lacernas,
Terque meum tetigit sulfuris igne caput.
Atque ita mutato per singula pallia lecto
Respondi; & toto soluimus arma toro.

De Hercule, & morte Caci.

AMPHITRYONIADES *qua tẽpestate iuuẽcos*
Egerat à stabulis ô Erythræa tuis,
Venit ad inuictos pecorosa Palatia montes,
Et statuit fessos fessus & ipse boues,
Quà Velabra suo stagnabant flumine, quaq;
Nauta per vrbanas velificabat aquas.
Sed non infido manserunt hospite Caco
Incolumes: furto polluit ille locum.
Incola Cacus erat, metuendo raptor ab antro,
Per tria partitos qui dabat ora sonos.
Hic, ne certa forent manifestæ signa rapinæ,
Auersos cauda traxit in antra boues.
Nec sine teste deo. furem sonuere iuuenci,
Furis & implacidas diruit ira fores.
Mænalio iacuit pulsus tria tempora ramo
Cacus, & Alcides sic ait: ite boues,
Herculis ite boues. nostræ labor vltime clauæ,
Bis mihi quæsita, bis mea præda boues,
Aruáque mugitu sancite boaria longo.

Nobile erit Romæ pascua nostra forum.
Dixerat, & sicco torret sitis ora palato,
Terráque non vllas fœta ministrat aquas.
Sed procul inclusas audit ridere puellas.
Lucus ab vmbroso fecerat orbe nemus,
Femineæ loca clausa deæ, fontésque piandos,
Impune & nullis sacra retecta viris.
Deuia Puniceæ velabant lumina vittæ.
Putris odorato luxerat igne casa:
Populus & longis ornabat frondibus ædem,
Multáque cantantes vmbra tegebat aues.
Huc ruit in siccam congesto puluere barbam,
Et iacit ante fores verba minora deo.
Vos precor ô lucis sacro quæ luditis antro,
Pandite defessis hospita tesqua viris.
Fontis egens erro, circáque sonantia lymphis,
Et caua suscepto flumine palma sat est.
Audistis ne alsquem, tergo qui sustulit orbem?
Ille ego sum: Alciden terra recepta vocat.
Quis facta Herculeæ non audit fortia clauæ?
Et nunquam ad natas irrita tela feras?
Atque vni Stygias hominum luxisse tenebras.
Accipite hæc. fesso vix mihi terra patet.
Quòd si Iunoni sacrum faceretis amara,
Non clausisset aquas ipsa nouerca suas.
Sin aliquam vultúsque meus, setæq; leonis
Terrent, & Libyco sole perusta coma;
Idem ego Sidonia feci seruilia palla
Officia, & Lyda pensa diurna colo.
Mollis & hirsutum cepit mihi fascia pectus,
Et manibus duris apta puella fui.
Talibus Alcides, at talibus alma sacerdos

Puniceo canas stamine vincta comas.
Parce oculis hospes, lucóque abscede verendo:
Cede agedum, & tuta limina linque fuga.
Interdicta viris metuenda lege piatur,
Quæ se summota vindicat ara casa.
Magnam Tiresias aspexit Pallada vates,
Fortia dum, posita Gorgone, membra lauat.
Di tibi dent alios fontes: hæc lympha puellis
Auia secreti limitis vna fuit.
Sic anus. ille humeris postes concussit opacos:
Nec tulit iratam ianua clausa sitim.
At postquam exhausto iam flumine vicerat æstum,
Ponit vix siccis tristia iura labris.
Angulus hic mundi nunc me mea fata trahentem
Accipit, hæc fesso vix mihi terra patet.
Maxima quæ gregibus deuota est ara repertis,
Ara per has inquit, maxima facta manus,
Hæc nullis vnquam pateat veneranda puellis,
Herculis eximij ne sit inulta sitis.
Sancte pater salue, cui iam fauet aspera Iuno,
Sancte velis libro dexter inesse meo.
Nunc quoniam manibus purgatum sanxerat orbem,
Sic sanctum Tatiæ composuere Cures.

Quare Iupiter, Feretrius dictus.

NVNC *Iouis incipiam caussas aperire Feretri,*
Armáque de ducibus trina recepta tribus.
Magnum iter ascendo, sed dat mihi gloria vires.
Non iuuat ex facili lecta corona iugo.
Imbuis exemplum primæ tu Romule palmæ
Huius, & exuuijs plenus ab hoste redis,
Tempore quo portas Ceninum Acrona petentem
Victor in euersum cuspide fundis equum.

Acron Herculeus Cenina ductor ab arce
Roma tuis quondam finibus horror erat.
Hic spolia ex humeris ausus sperare Quirini,
Ipse dedit, sed non sanguine sicca suo.
Hunc videt ante cauas vibrantem spicula turres
Romulus, & votis occupat ante ratis.
Iuppiter hac hodie tibi victima corruet Acron,
Vouerat, & spolium corruit ille Ioui.
Urbis virtutisque parens sic vincere sueuit,
Qui tulit aprico frigida castra lare,
Idem eques, & frenis, idem fuit aptus aratris.
Et galea hirsuta compta lupina iuba.
Picta nec inducto fulgebat parma pyropo.
Præbebant cæsi baltea lenta boues.
Cossus at insequitur Veientis cæde Tolumni,
Vincere cum Veios posse laboris erat.
Nec dum vltra Tiberim belli sonus, vltima præda
Nomentum, & capta iugera pauca Coræ,
Et Veij veteres & vos tum regna fuistis,
Et vestro posita est aurea sella foro,
Nunc intra muros pastoris buccina lenti
Cantat, & in vestris ossibus arua metunt.
Forte super portæ dux Veius astitit arcem,
Colloquiúmque sua fretus ab vrbe dedit.
Dúmque aries murum cornu pulsabat aheno
Vineáque inductum longa tegebat opus,
Cossus ait, forti melius concurrere campo.
Nec mora fit, plano sistit vterque gradu.
Di Latias iuuere manus: desecta Tolumni
Ceruix, Romanos sanguine lauit equos.
Claudius à Rheno traiectos arcuit hostes,
Belgica cum vasti parma relata ducis.

Vir

Virdomari genus hic Rheno iactabat ab ipso
Nobilis erectus fundere gesa rotis.
Illi virgatis iaculantis ab inguine brachis
Torquis ab incisa decidit vnca gula.
Nunc spolia in templo tria condita. caussa feretri,
Omine quod certo dux ferit ante ducem,
Seu quia victa suis humeris hac arma ferebant,
Hinc feretri dicta est ara superba Iouis.

CORNELIA PAVLO.

DESINE *Paule meum lacrymis vrgere sepulcrum.*
Panditur ad nullas ianua nigra preces.
Cum semel infernas intrarunt funera leges,
Non exorato stant adamante viæ.
Te licet orantem fusca deus audiat aula,
Nempe tuas lacrymas littora surda bibent.
Vota mouent superos. vbi portitor æra recepit.
Obserat vmbrosos lurida porta rogos.
Sic mæstæ cecinere tubæ, cum subdita nostrum
Detraheret lecto fax inimica caput.
Quid mihi coniugium Pauli? quid currus auorum
Profuit? aut famæ pignora tanta meæ?
Num minus immites habuit Cornelia Parcas?
En sum quod digitis quinque leuatur onus.
Damnatæ noctes, & vos vada lenta paludes,
Et quæcunque meos implicat vnda pedes,
Immatura licet, tamen huc non noxia veni.
Det pater hic vmbræ mollia iura meæ,
Aut si quis posita iudex sedet Æacus vrna,
In mea sortita iudicet ossa pila.
Assideant fratres iuxta Minoida sellam,
Eumenidum intento turba seuera foro.
Sisyphe mole vaces, taceant Ixionis orbes,

Fallax Tantaleo corripiare liquor.
Cerberus & nullas hodie petat improbus vmbras,
Et iaceat tacita lapsa catena sera.
Ipsa loquor pro me. si fallo, pœna sororum
Infelix humeros vrgeat vrna meos.
Si cui fama fuit per auita trophæa decori,
Vera Numantinos regna loquiuntur auos.
Altera maternos exæquat turba Libones,
Et domus est titulis vtraque fulta suis.
Mox vbi iam facibus cessit prætexta maritis,
Vinxit & acceptas altera vitta comas,
Iungor Paule tuo sic discessura cubili.
In lapide hoc vni nupta fuisse legar.
Testor maiorum cineres tibi Roma colendos,
Sub quorum titulis Africa tonsa iaces,
Et Persen proaui simulantem pectus Achillis,
Quique tuas proauus fregit Achille domos,
Me neque censuræ legem mollisse, nec vlla
Labe mea nostros erubuisse focos.
Non fuit exuuijs tantis Cornelia damnum.
Quin & erat magna pars imitanda domus.
Nec mea mutata est ætas, sine crimine tota est.
Viximus insignes inter vtranque facem.
Mi natura dedit leges à sanguine ductas,
Ne possim melior iudicis esse metu.
Quælibet austeras de me ferat vrna tabellas,
Turpior assessu non erit vlla meo.
Vel tu, quæ tardam mouisti fune Cybellem,
Claudia turritæ rara ministra deæ,
Vel cui commissos cum Vesta reposceret ignes,
Exhibuit viuos carbasus alba focos.
Nec te dulce caput mater Scribonia læsi,

In

In me mutatum, quid nisi fata velis?
Maternis laudor lacrymis, vrbisque querelis,
Defleta & gemitu Cesaris ossa mea.
Ille sua nata dignam vixisse sororem
Increpat, & lacrymas vidimus ire deo.
Et tamen emerui generosos vestis honores,
Nec mea de sterili facta rapina domo,
Te Lepide, & te Paule meum post fata leuamen,
Condita sunt vestro numina nostra sinu.
Vidimus & fratrem sellam geminasse curulem,
Consule quo facto tempore rapta soror.
Filia tu speciem censura nacta paterna
Fac teneas vnum nos imitata virum.
Et serie fulcite genus, mihi cymba volenti
Soluitur aucturis tot mea fata malis.
Hæc est feminei merces extrema triumphi,
Laudat vbi emeritum libera fama rogum.
Nunc tibi commendo communia pignora natos,
Hæc cura & cineri spirat inusta meo.
Fungere maternis vicibus pater, illa meorum
Omnis erat collo turba ferenda tuo.
Oscula cum dederis tua flentibus, adijce matris.
Tota domus cœpit nunc onus esse tuum.
Et si quid doliturus eris, sine testibus illis,
Cum venient, siccis oscula falle genis.
Sat tibi sunt noctes, quas de me Paule fatiges,
Somniáque in faciem credita sæpe meam.
Atque vbi secreto nostra ad simulacra loqueris,
Vt responsura singula verba iace.
Seu tamen aduersum mutarit ianua lectum,
Sederit & nostro cauta nouerca toro,
Coniugium pueri laudate, & ferte paternum.

i 5

Capta dabit vestris moribus illa manus.
Nec matrem laudate nimis: collata priori
Vertet in offensas libera verba suas.
Seu memor ille mea contentus manserit umbra,
Et tanti cineres duxerit esse meos,
Discite venturam iam nunc sentire senectam,
Cælibus ad curas nec vacet ulla via.
Quod mihi detractum est, vestros accedat ad annos.
Prole mea Paulum sic iuuat esse senem.
Et bene habet, nunquam mater lugubria sumpsi.
Venit in exequias tota caterua meas.
Caussa perorata est. flentes me surgite testes,
Dum pretium vitæ grata rependit humus.
Moribus & cælum patuit, sim digna merendo,
Cuius honoratis ossa vehantur aquis.

M. ANTONII MVRETI IN PROPERTIVM

SCHOLIA.

MILANION. Admirabilis est hominum in fouendis erroribus pertinacia. sed praeclare ageretur cum rebus humanis, si ad haec modo nostra leuiora studia id pertineret, neq; in rebus maximi momenti magno omnium malo quotidie cerneretur. Hoc mihi nunc ex eo venit in mentẽ, quòd saepe animaduerti euenire, vt optimos quosq; scriptores maculae quaedam errorum occupent, in eisque insideant, quae cum postea inueterarunt, quasi dedita opera retinentur à librarijs: vix vt vlla sit cuiusquam eruditi hominis auctoritas tanta, quae illos ad eas purgandas, & eluẽdas possit adducere. Eius rei exempla vtinam ne tam multa suppeterent: sed nos id, quod se nunc offert, indicasse contenti, plura persequi abstinebimus. Mimalionem hoc loco imperitus aliquis pro Milanione, & paulò infra Psileum pro Hylaeo scripserat. Quis tum eruditorum non admonuit, quomodo vtrunque nomen scribi oporteret? aut quis hodie est omnium, tinctus modo atque imbutus literis, cui vel obscurum id, vel ambiguum sit? Cedo tamen librum Propertij vnum, in quo non deprauata illa scriptura permanserit. Nihil negotij fuerit eiusdem generis alia enumerare perplurima, ita manifesta, ita perspicua, ita testata, vt quòd in eis assidue librarij peccant, non negligentia,

non inscitia labi, sed prudentes, scientes, ea, quæ vitiosa esse constat, amplexari atque approbare videantur. Sed quod attinet ad fabulam, quæ his versibus à Propertio tangitur, sciendum est, in ea tradenda, non satis concordare ac concinere inter se aut poetas, aut poetarum interpretes. quod enim alias sæpe, idem hic quoque contigit; vt, cum duæ potissimum ab ipsis celebrentur Atalantæ, earum historiæ commisceantur inter se; vtq́, quod de vna earum ab alijs dicitur, id ipsum de altera alij dicant. Congeram huc locos aliquot, in quibus earum mentio est, eósque inter se contendam ac comparabo: vt id, quod dico, magis intelligatur. Duæ igitur, vt ante dixi, Atalantæ apud poetas reperiuntur, Arcadica vna: Argiua, seu, vt alij aiunt, Bæotica altera. illam Iasij, aut Iasonis, aut Iasionis, hanc Schœnei filiã fuisse ferunt. nam Beroaldus quidem & Volscus ineptiunt, qui eandem Schœnei filiam, Iasij neptem fuisse comminiscuntur. Illam Milanioni, hanc Hippomeni nupsisse accepimus. Hæc, antequam longius progrediar, confirmanda sunt. Scholiastes Apollonij. Ἀταλάντη Ἰάσονος θυγάτηρ, ἣν ἔγημε Μειλανίων. ἑτέρα γάρ ἐστιν ἡ Ἀργεία ἡ Σχοινέως ἣν ἔγημεν Ἱππομέδων. Sed hic aut legendum est Ἱππομένης, aut dicendum, eundem ab alijs Hippomenem, ab alijs Hippomedontem vocari. Arcadicam Milanioni nupsisse, testatur etiam hoc loco Propertius, & Ouidius libro II. & libro III. de arte amandi. Schœneida cessisse Hippomeni, qui eam cursu, ope Veneris, deuicerat, venustissime narrat Venus ipsa apud Ouidium libro X. Metamor. narrat & breuiter Theocritus in Comaste; & fusissime is qui scholia in eum scripsit. atque hanc intellexit Catullus illis versibus:

Tam gratum mihi, quàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod Zonam soluit diu ligatam.
& auctor lasciui carminis:
Qualibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis.

Arcadicæ patrem Iasiona nominat Ælianus libro XIII. de varia historia. idoneos testes laudasse videor eorum, quæ hactenus dixi. quadrant autem non male ad hunc vsque locum omnia. in ijs quæ sequuntur, mira varietas. Versus est Virgilij è sexto Æneid.
Parthenopæus, & Adrasti pallentis imago.
quem exponens Seruius, Parthenopæus, inquit, Menalippæ & Martis, siue Milanionis filius, qui Thebana bella puer admodum petijt. Ergo de huius grammatici sententia, Parthenopæi pater quidem est Milanion: mater autem non Atalanta, sed Menalippa. At Statius lib. IIII. Thebaidos aperte huius ipsius Parthenopæi matrem Atalantam facit Iasij filiam: patrem autem Lactantius interpres, non Milanionem, vt Seruius, sed Meleagrum vocat. nisi forte dicamus, eandem Menalippam & Atalantam, eundem Meleagrum & Milanionem vocari. sic enim est idem Paris & Alexander, eadem Cassandra & Alexandra. At Diodorus Parthenopæi matrem Atalantam esse ait Schœnei filiam. Hyginus autem cum Lactantio faciens eum genitum esse dicit matre Atalanta Iasij filia, patre Meleagro. Arcadicam Statius venatricem, ac Dianæ comitem fuisse dicit, idémque confirmat Ælianus: & scholiastes Theocriti ait eam mittendis arcu sagittis præstitisse: cum illam alteram sola pedum pernicitas nobilitauerit. At Oppianus Atalantam Schœnei filiam venatricem, & iaculatricem eximiam fuisse ostendit

*dit lib.*I I.κυνηγετικῶν, *his versibus.*

Σχοινῆος πρώτη δὲ κλυτὴ θυγάτηρ Ἀταλάντη
Θηρσὶ φόνον πτερόεντα συνεβόλος εὕρατο κούρη.

Hippomenem in leonem, Atalantam Schœnei filiā in leænā mutatam esse, canit Ouidius. At Hyginus, parum ipse sibi cōstans, Atalantæ Schœnei filiæ, & Meleagro: Palephatus Atalantæ & Milanioni id contigisse narrat. sed sæpe alias monui, non esse quærendā in mēdacijs veritatem. Sic cum Scyllas duas fuisse proditum sit, alteram Nisi, alteram Phorci filiam, quorū illam in auem, hanc in monstrum marinum cōuersam esse fabulantur: non defuerunt tamen poetæ, qui, quod de Phorci filia traditur, id ad Nisi filiam referrent: vt aperte colligitur è scholiaste Euripidis in Hippolytum. sed multo apertius è Virgilio in Ciri: cuius hæc sunt:

Impia prodigijs vt quondam exterruit amplis
Scylla, nouósque auium sublimis in aere cætus
Viderit, & tenui conscendens sidere penna,
Ceruleis sua tecta superuolitauerit alis:
Hanc pro purpureo pœnam scelerata capillo,
Próque patris soluens excisa funditus vrbe.
Complures illam, & magni Messalla poetæ
(Nam verum fateamur amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura:
Scyllæum monstra in saxum conuersa vocari.
Illam esse, ærumnis quam sæpe legamus Vlyssi,
Candida succinctam latrantibus inguina monstris,
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Deprensos nautas canibus lacerasse marinis.

atque hanc sententiā idē poeta secutus est in eclogis: quo in loco frustra se quidam eruditi homines torquent. Ille

etiam Hylæi. *idem etiam innuit Ouidius hoc versu:*

Sensit & Hylæi contentum saucius arcum.

apud Ælianum nihil tale reperio: Hylæum quidem ipsum & Rhæcum sagittis ab Atalanta confixos lego. Velocem. *indocte Volscus eandem putat esse hanc, & illam Catulli pernicem puellam. nam Catullus, vt dictum est, de Schœneide loquitur: at hic de Arcadica sermo est. quam ipsam quoque agilem fuisse, testatur Ælianus: cuius verba quoniã in impressis libris deprauata sunt, quomodo corrigẽda suspicer, admonebo. ea ita igitur vulgo leguntur:* ἐπεφύκει δὲ ὠκίστη τοὺς πόδας, καὶ οὐκ ἂν αὐτὴν διέφυγεν οὔτε θηρίον, οὔτε ἐπιβουλεύων αὐτῇ ἄνθρωπος, φυγεῖν ἐθέλουσαν, ἀλλ᾽ ἐνταῦθα μὲν οὐκ ἄν τις αὐτὴν κατέλαβεν. *ego autem lego:* ἐπεφύκει δὲ ὠκίστη τοὺς πόδας, καὶ οὐκ ἂν αὐτὴν διέφυγεν οὔτε θηρίον, οὔτε ἐπιβουλεύων αὐτῇ ἄνθρωπος. φυγεῖν δὲ ἐθέλουσαν, οὐκ ἄν τις αὐτὴν κατέλαβε. *nihil autem obstat, quominus de eodem eleo & opera aliquot ex eadem narratione locos, qui corrupti videntur, quomodo emendandos putẽ, admoneam: vt meo labore, quantum quidem in me est, aliorum minuatur labor. vbi ergo legitur,* ἀλλ᾽ ἦν φύσεως ἔργον ἡ χροιά, *legendum arbitror,* ἀλλ᾽ ἦν φύσεως ἔργον ἡ χροιά. *natiuam enim, non fuco quæsitam, pulchritudinem Atalanta tribuit. & paulo post:* τί δὲ οὕτως ὡραῖον γένοιτο ἄνθος; ὥσπερ οὖν καλὸν, ἢ τὸ πρόσωπον αἰδεῖσθαι πεπαιδευμένης παρθένου; *lego,* τί δὲ οὕτως ὡραῖον γένοιτο ἄνθος, ὅπερ οὐ κάλλιον ἢ τὸ πρόσωπον αἰδεῖσθαι πεπαιδευμένης παρθένου; *& ad finem, vbi legitur,* σὺν ὕβρει καὶ ἄντρῳ, *legendum crediderim,* σὺν ὕβρει καὶ ἀνατροπῇ. Nõ vllas. *ita emãdauit è veterib. libris: cũ antea inepte legeretur. non nullas.* Fallacia. τέχνη. Et facire

illa

illa meo. *& facite, vt ipsa me vehemẽtius amet, quàm ego ipsam.* Citeinis. *legendum, Cytainis. Scholiastes Apollonij,* Κύταια, πόλις Κολχίδος. *Stephanus:* Κύτα, πόλις Κολχικὴ, πατρὶς Μηδείας.

IN ELEGIAM II.

Et sciat indociles. *noue dixit, indociles vias,* ἀδιδάκτους. *indocilem enim vsitatius dicimus eum, qui doceri non potest: quàm rem ipsam, quæ doctrina non comparatur. sed Achilles Stasius Lusitanus mihi confirmauit, se veterem librum habere, in quo scriptum sit, Vt veniant ederæ: & paulo post, Surgat vt in solis: & in hoc versu, vt sciat indociles. quam scripturam reijciendam non puto.* Non sic Leucippis. *fabula est apud Theocritũ in Dioscuris: apud Ouidiũ quinto fastorum, apud Hyginum: sed nemo est eorum, qui non ab alijs aliqua in parte dissentiat.* Non Idæ. *de Marpissa Eueni filia ausus est olim Idas cum Apolline certamen suscipere. Homerus Iliados* I. Ne sim tibi vilior istis. *ne minoris apud te sim, ob ista, quæ modo dixi.* Vni si qua placet. *satis est culta, quæ vni placet. nam, pluribus ornare se, prostitutarum est.*

IN ELEGIAM III.

Sic ait. *liber vetus: Hic ait. vt sit, hic, pro, tunc.* Interdum grauiter. *libri calamo exarati, Interdum leuiter.*

IN ELEGIAM VI.

At tu seu mollis. *locum hunc á Beroaldo non intellectum, declarauit Cælius Rhodiginus libro quarto lectionum antiquarum.*

IN ELEGIAM VII.

Dum tibi Cadmeæ. *prope simile principium est elegiæ Ouidij ad Macrum.*

Carmen ad iratum dum tu perducis Achillem. Euiolasse. *Beroaldus testatur,in antiquis libris partim,euoluisse, partim,te violasse,legi. quarum scripturam ego quidem vtramlibet huic vulgatæ facile antepofuerim. Sed quod Volscus admonet deos hic intelligi, non Venerem, & Cupidinem, sed poetas ipsos:id, mea quidem sententia,tale est,vt,si fatuis & insulsis declarationibus præmium aliquod positum esset,id Volscus, hac vna fretus,sine controuersia,suo iure,dijs hominibúsque plaudentibus,ablaturus fuisse videatur.*

IN ELEGIAM VIII.

TV NE igitur. *Cynthiam, cum quodam, qui ex pretura in Illyriam proficiscebatur,ire meditantem, dehortatur,ne id faciat. mox,se ei, quod voluerat,persuasisse,lætatur. sed hunc prætorem ex Illyria reuersum postea coluit Cynthia. vide elegiam quandam è libro secundo,cuius principium est, Prætor ab Illyricis.* Virgiliis. *quarum exortu aperiuntur maria.* Néve inimica meas. *néve cogar pro te nauigante vota facere, quæ tamen aduersos & reflantes ventos nihil moueant.* Vacua patiaris arena. *alij libri,iique veteres: Vacua patietur in ora.vt verbum,patietur, referamus ad vnd[illegible]n ipsam. quod mihi quidem paulo magis arridet. [illegible]m illud alterum non satis intelligendo consequi possum.* Oricos. *portus Epiri. Hecatæus apud Stephanũ:* Μετὰ δὲ Βυθρωτὸς πόλις, μετὰ δὲ Ὠρικὸς λιμήν. Et dicam,Autaricis. *Autarici,& Hyllæi,populi Illyriæ.*

IN ELEGIAM X.

O IVCVNDA quies. *Gallus cum puella, cuius recenti amore inarserat,nocte quadam collusurus,ar-*

bitrum delicijs suis, primisque cum ea velitationibus adhibuerat Propertium. quo è spectaculo tantam se voluptatem hausisse dicit: vix vt, quamuis multa iam noctè, abstrahi posset, vtq; nunc quoque in illius noctis memoria iucundissime acquiescat. ergo, vt præmium amico aliquod persoluat, defert ei operam suam ad multa amantibus vtilia, quorum se peritum esse profitetur. ad extremum etiam ei aliquot conseruandi amoris præcepta tradit. Vestris conscius in lacrymis. *non desunt, qui legendum putent:*

Affueram vestris conscius in lecebris.

lacrymarum tamen, eadem in re narranda, infra quoque mentio est:

Vidi ego te toto vinctum languescere collo,
Et flere iniectis Galle diu manibus.

Cum te complexa. *ita videtur dixisse, complexa puella: vt*

Experta metuens iurgia sæuitia.

Vtrunque autem etiam Ciceronis exemplo confirmari potest: in oratione pro Sex. Roscio: Scelestum dij immortales ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo vno maleficia ac scelera omnia complexa esse videantur. Idem pro Balbo: Cuius igitur audita virtus dubitationi locum non daret, huius præsens, experta, atque perspecta, obtrectatorum voce lædetur? Atque in his loquendi generibus nimium religiosi sunt quidam nostri temporis homines: ita vt interdum etiam veterum scripta corrumpere audeant: sicubi illi contra eam, quæ nunc est, consuetudinem aliquid dixisse videatur. quale est, quod designarunt in ipso principio elegantissimi libelli, quem scripsit Q. Cicero de petitione consulatus. id enim cum ita legeretur in omnibus ad vnum anti-

quis

quis libris: Etsi tibi omnia suppetunt, quæ consequi ingenio, aut usu aut diligentia possunt: inculcata est ab istis vox, hominum: ne illud consequi, παθητικῶς, vt erat, positum videretur. Atqui si librorum consensio, quam nemo vnquam sapiens contemnendam putauit, nihil istos mouebat: recordari certe eos par fuit, assequendi verbum eodem illo modo vsurpatum esse à M. Tullio: cuius hæc sunt è secundo libro accusationis: Ac ne forte ea, quæ remota de medio, atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita abdite latuisse videantur, vt hac diligentia, quam ego à me expectari maxime puto, nihil horum inuestigari, nihil assequi potuerit: &c. Quamuis labentes. *duæ caussæ erant, cur discederem: quòd & dormire cupiebam, & media iam nox erat. at vtranque facile superabat ea, qua, spectandis lusibus vestris, perfundebar, voluptas.* Et mediis cælo. *ad medium cæli prouectis.* Luna ruberet. *est ne ita dictum, ruberet, vt - Vento rubet aurea Phœbe? equidem nihil tale intelligendum putarim. sed ne Volsco quidem accesserim, qui rubescere ait Lunam, cum appropinquat dies. mihi sane pallescere potius videtur. opinor igitur iccirco hoc verbo vsum poetam, quòd multi è veteribus ignea esse credebant corpora cælestia: eámque opinionem poetæ fere insequuntur. ruber autem est ignitorum color.* Equis. *alij à mulis, alij à iuuencis eius bigas trahi aiunt.* Quando contemnitur. *fuit tempus, cum vix putabam, vocem, quando, hoc sensu à veteribus acceptam legi. legitur tamen, sed non sæpe. Plaut.*

Hæc vrbs Epidamnus est, dum hæc agitur fabula.
Quando alia agetur, aliud fiet oppidum. *Idem;*

Iuuentus nomen fecit Peniculo mihi:
Ideo quia mensam, quando edo, detergeo.

IN ELEGIAM XI.

ECQVID. *profecta ad aquas Cynthia, atque illic desidente, metuit, ne ipse ex animo illius excidat, néve se alius quispiam in eius amorem insinuet. quare eam, vt illa loca relinquat, hortatur. ordo autem verborum, quòd est paulo perturbatior, fefellit interpretes. eum igitur indicabo. Ecquid cura subit te ô Cynthia, cessantem medijs Baijs abducere, id est, abducendi, exigendi, noctes memores nostri?* Et modo. *exponit, quod antea dixerat, cessantem. ita, inquit, ociosam & vacuã, vt totos dies mireris modo ac contempleris vicinum mare, aliud preterea nihil negocij habeas. sed quod illa maria Epiro, id enim Thesproti regnum est, subdita esse dicit: equidem, id quomodo accipiendum sit, non assequor. nam neque ea, quæ à Beroaldo & Volsco dicta sunt, placent: neque mihi quicquam, quod plane approbem, venit in mentem.* Abducere. *ita est in meo vetere libro, non, vt in alijs, adducere.* E nostris carminibus. *à lectione meorum carminum, quæ tuam mei memoriam confirmarent. erat autem erudita hæc puella, vt. multis è locis intelligimus, mirificéque versibus Propertij capiebatur. vnde est illud:*

Nam mea cum recitat, dicit, se odisse beatos.
Carmina tam sancte nulla puella colit.

Atque vtinam. *vtinam potius aut nauigando, aut natitando ocium fallas, quàm aures alienis blanditijs prebeas.* Mage. *potius.* Aut teneat. *aut lympha, facilis cedere alternæ natitantis manui, teneat te in vnda tenui clausam.* Natitantis. *alij, Teutantis: & meras ineptias*

ineptias afferunt. meus vetus liber habet, natantis: vnde coniecturam feci, legendum esse, natitantis. Manu. *antique: pro, manui. sic alibi:*

Nec mirum: cum sit Ioue digna, & proxima Ledæ,
Et Ledæ partu. rursúsque alibi:
Tantaleæ poterit tradere poma manu.

Attulerint nostri. *interpunctum vnum perperam collocatum, & vna litera mutata, sententiam huius versus corruperant: qui à nobis ex antiquis libris integritati restitutus est.* An mihi sit maior. *in aliis libris, An mihi non maior: quo nihil ineptius.*

IN ELEGIAM XII.

QVID mihi. *Accusabatur desidiæ ab aliquo amicorum, qui etiam desidiæ illius caussam conferebat in amorem Cynthiæ: eo enim Propertium frangi, ac dissolutum effici, & ab agendis rebus abduci. Respondet ipse, multum abesse, vt ita sit: Cynthiam enim nō tantum corpore distractam à se, verum animo quoque abalienatam esse. tum queritur, quod neque eam præsentem alloqui, neque ad vllam aliam amandam applicare animum possit.* Quod faciat. *hic versus variè legitur in vetustis libris. sunt, in quibus hoc modo:*

Quòd faciat nobis conscia Roma moram. *in aliis*
Quòd faciat nobis Cynthia Roma moram.
ego autem suspicabar ita legendum:
Quòd faciat nobis Cynthia amore moram?
Hanc autem è vocum similitudine elegantiam consectatus est etiam in elegia quæ proxime sequitur:
Certus & in nullo quæris amore moram.

Quantum Hypanis. *ex opinione sua, & amatorie loquitur.* Hypanis. *duo sunt hoc nomine fluuii; vnus in India, ad cuius ripam sunt formicæ, quæ effodiunt au-*

rũ, alter in Scythia. Eridano. *nõ eruditis modo, quibus hæc omnia notissima sunt, sed neminem esse credo tam in literis hospitem, cui notum non sit Eridanum à Græcis dici, quem Latini Padum vocent. de hoc tamen fluuio, qui sit, vbi sit, aut omnino sit, nec ne sit, mirum quantum inter se antiqui scriptores discrepent: alijs eum cum Pado eundem esse, alijs eundem cum Rhodano, alijs in Padum, alijs in Rhodanum influere, alijs in Venetia, alijs in Iberia, alijs in Scythia fluere, alijs etiã, quorum sunt Herodotus, & Strabo, nusquam omnino esse dicentibus. Pausanias Eridanos agnoscit duos, in Gallia vnum, alterum in Attica.* Lecta Prometheis. *Prometha iuga Caucasum dicit. creditus est autem is quoque mons herbarum ad incantationes potentium ferax. Seneca in Medea:*

Congerit in vnum frugis infaustæ mala,
Quæcunque generat inuius saxis Erix,
Quæ fert opertis hieme perpetua iugis
Sparsus cruore Caucasus Promethei.

Cœlius autem Rhodiginus dum in hoc loco explicando noua quædam afferre vult, attulit non noua tantum, verum etiam aliena, & absurda.

IN ELEGIAM XIII.

Tv quod sæpe soles. *lætaberis, inquit, & quodam modo insultabis mihi, quòd, distractus à Cynthia, amores amplius non exerceam.* Certus & in nullo. *bis repetenda negatio: in nullo amore certus, in nullo amore quæris moram.* Et primo lapsus. *lapsus ab illo constantiæ gradu, quem prius obtinebas.* Adire. *quidam alij, amore. ego amare.* Vidi ego. *supra. O iucunda quies.* Non sic Aemonio. *fabula est apud Homerum*

rum libro x 1. *Odyssea,& apud Lucianum in dialogis marinis.ac suspicari fortasse confidentior aliquis possit, Propertium hoc loco aut memoria lapsum, aut nominum similitudine deceptum esse. is enim Enipeus,cuius amore flagrauit Tyro,non in Thessalia est, sed in Peloponneso. in Thessalia autem non Enipeus,sed Eniseus fluit,ab hoc alius:vt cognoscitur ex octauo Strabonis libro.ac,ne quis fortè, Beroaldum secutus,putet vtrunque Enipeum dici; & Propertium, more poetis non inusitato, vni eorum tribuisse, quod esset alterius; apud Strabonem autem Eniseum pro Enipeo vitiose legi: sciat hoc ipsum discrimen Enipei & Enisei è Strabone annotatum esse ab Eustathio.* Nec sic cælestem. *Hercules in cælum receptus, Heben duxit vxorem. itaque apud inferos,non Herculem ipsum,sed eius tantum simulacrum Homericus Vlysses sibi visum esse ait.*

Τὸν δὲ μέτ᾽ εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην,
Εἴδωλον. αὐτὸς δὲ μέτ᾽ ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίῃς, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο, καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου.

Flagrans amor. *ac serio quidem flagrans. neque vllus vnquam amator verius ardere dictus est.* Et Lenæ partu. *pro, partui, antique.* Gratior vna tribus. *Leda ipsa, & Helena, & Clytemnestra: vt præclare exposuit Beroaldus.*

IN ELEGIAM XIIII.

SAEPE ego multa. *queritur de perfidia Cynthia: quòd, cum ipse in magnum discrimen adductus sit, illa nihil omnino de eo laboret, neque quicquam remittat de pristino colendæ formæ studio: se tamen vn-*

quam illius amorem ex animo depositurum negat. Quod autem fuerit periculum, in quo tum constitutus erat poeta, diuinare fas non est. nisi illud quidem constat, vrbem eum reliquisse, & mare conscendisse. At nõ sic Ithaci. *Homerus Odys. ι.* Alphesibœa. *ita vocabant omnes elegantioris formæ puellas: quasi, quæ reperirent procos, qui ipsis boues darent dotis nomine. eo enim pecore solitos vti antiquissimos in æstimandis rebus, nõdum introducto vsu nummorum, indicat vel illud* τεθρυλλημένον, -ἑκατόμβοια ἐννεαβοίων. *at hic nomen proprium est. historiam autem, quam hic tangit Propertius, diffuse exponit Pausanias in Arcadicis: nisi quod apud eum fratrum ab Alphesibœa interfectorum nulla mentio.* Hypsipyle. *Ouidius in epistolis, Papinius libro* v 1. *interpres Pindari in Nemea.* Hospitio. *vt seruitium pro seruo dicimus, sic hospitium hic pro hospite accipimus.* Euadne. *hæc initio Ianira dicebatur. sed vt Alphesibœas vocatas diximus, quæ, propter pulchritudinem, reperirent magnam dotem: (vxores enim à viris, non, vt nunc, viros ab vxoribus, dotem accipere mos erat) ita hæc Euadne dicta est, quòd bene dotata esset à Capaneo coniuge.* ἕδνα *enim vocabant nuptialia munera. Hanc Iphidis filiam fuisse, ait interpres Pindari: & ob id Iphias ab Ouidio vocatur. Hyginus tamen Philaci filiam facit.* Multa prius. *nihil temere affirmauerim: sed, si quis meam coniecturam antiquus liber adiuuet, libenter pro, multa, legerim, muta. vt significet, prius fore vt flumina tacita, & sine vllo strepitu labantur in mare, quàm ipse Cynthiam amare desinat.* Labentur. *veteres libri, labantur. & melius conuenit cum eo, quod sequitur, duxerit.*

IN

IN ELEGIAM XV.

At merito. *libri veteres, Et merito.*

Ah pereat. *Quo modo, pereat, si iampridem perijt? sed videlicet tale est, quale illud,*

Illi sub terris fiant mala multa puellæ: &c.

IN ELEGIAM XVIII.

Hoc pro continuo. *Gallum, qui Hylam puerum habebat in delicijs, exemplo Herculis monet, ne eum incomitatum vagari sinat.* Crudelis Minyis. *magnum hic versus mihi negocium exhibuit: neque sane adhuc in eius sententia eruenda mihi ipse satisfacere potui. Ascanium lacum in Bithynia esse, haud procul ab eo loco, vbi raptus esse Hylas dicitur, è Strabonis lib.* XII. *notum est. sed quæso, quid tum postea? cur is lacus Minyarum dux fuisse, aut, quod etiam absurdius est, fore dicatur? Beroaldus pro, dux erit, videtur legisse, dixerit: ita tamen vt vtranque scripturam agnoscat. sed illud, dixerit, ita interpretatur, Ascanium lacum, post amissionem Hylæ dixisse hoc Minyis, fortunam crudelem sæpe imprudenti amanti occurrere. quæ expositio mihi quidem insigniter frigida videtur. Equidem, quæ mihi pridem coniectura in mentem venerat, eam ne nunc quidem, cur reijcere debeam, video. suspicabar autem, pro, Ascanius, legendum, Æsonius. crudelem autem vocari Iasonem, pro eo quòd Herculem, amissione pueri exanimatũ, & eius reperiẽdi desiderio huc illuc vagantem, nihil miseratus, reliquerit, & inceptum iter, deserto eo, sit persecutus. sed tamen ne sic quidem satis cohæret sententia. denique habeo librum ab eruditissimo homine Francisco Porto cum multis veteribus diligentissime collatum: in quo notatum est ipsius manu, esse*

antiqua quædam exemplaria, in quibus hoc loco lacuna est, cum his literis, Fragm. *quod si est,* χἰρώνιον *plane vlcus hoc fuerit.* Thiodamanteo. *Callimachum & Apollonium sequitur, qui Hylam Thiodamantis filium faciunt. alij enim aliter. est autem operæ pretium cognoscere, puer hic, qui tantopere heroi fortissimo carus & acceptus fuit, quo modo in ipsius manus peruenisse dicatur. ea de re ita memoriæ proditum est. Hercules cum Deianiram Oenei filiam duxisset vxorem, Calydone degebat. quodam die accidit, vt Cyathus puer, Architelis filius, qui Oeneo pocula ministrabat, Herculi, manus abluturo, aquam eam, quæ abluendis pedibus comparata erat insciens infunderet. indignatus Hercules pugno eum interfecit. quam ob cædem profugus, cùm vnà cum vxore se in viam dedisset, ad Euenum fluuium Nesso centauro mortem attulit: vt & Archilochus narrat. deinde progrediens, in Dryopiam venit. est autem ea gens rapinis ac latrocinijs dedita, contermina Mileensibus, vt est apud Pherecydem in tertio. ibi cum Hylus filiolus, quem secum ferebat, esuriret, Lycas autem pædagogus procul relictus esset, à Thiodamante, in quem inciderat, Hercules pauxillulum cibi petere occœpit. negat ille. commotus Hercules, abreptum interfectúmque vnum è bobus ipsius cum sacrificasset, epulabatur. Currit propere in Dryopum vrbem Thiodamas, euocatósque eos aduersus Herculem educit. tum in eam necessitatem Hercules adductus est, vt vxorem quoque armauerit. quam etiam in pugna vulnus accepisse propter mammam ferunt. Sed tandem superior effectus Hercules, Thiodamante interfecto, filium eius Hylan abduxit*

abduxit, eúmque in delicijs habuit. Ascanio. *hic quoque libentius legerim, Æsonio.* Nanque ferunt. *Hinc incipit enarrare fabulam de Hylæ raptu, quam varie tractant Theocritus* ἰδυλ. ιγ'. *Apollonius libro primo, Valerius Flaccus libro* III. *eandem etiam proxime* M. *Antonius Flaminius in elegia quadam ita eleganter ac suauiter descripsit, vt mihi quidem cum antiquis illis merito comparari posse videatur.* Hunc duo sectati. *hoc de duobus Boreadis ab alio nemine, quod sciam, traditum est. itaque puto Propertij inuentum esse ad exornandam fabulam.* Iam Pandioniæ. *desinant Boreadæ Hylan persequi: eum enim abrepturа sequitur Dryas. Hanc autem nympham Flaccus Dryopen vocat. Apollonius nomen ipsius non exprimit. Theocritus, nō ab vna, sed ab omnibus eius loci nymphis raptum Hylan esse dicit. Onasus historicus, dum aquam haurire vellet, in fontem decidisse, ibíque submersum esse.* Ah dolor. *versus hic abest à quibusdam veteribus libris. & vereor, vt aut Propertij sit, aut satis emendate legatur.* Hic erat Arganti Phlegre. *omnino ita est in plerisque omnibus veteribus libris. neque tamen adduci possum, vt eam scripturam probem. Orpheus quidem Arganthi montem nominat, ad quem raptus sit Hylas.*

-ἀμφὶ ῥ κναμὸς
Αργάνθυ καλέφαινε, βαθυσκόπελοί τε κολῶναι.

sed Phlegram in his regionibus nusquam reperio, neque vsquā omnino, nisi in Italia ad Cumas, & in Thracia ad Pallenen. Strabo libro XII. *Arganthoniū montem ait Cio. seu Prusiadi imminere, vbi raptum esse à nympis Hylan fabulentur. celebrari etiam à Prusiensibus*

ſibus ſacra quædam, in quibus per montes huc illuc curra̅t, & Hyla nome̅ inclame̅t. ſed homo ineptiſſimus Volſcus, fretus illo, quem modo recitaui, Orphei verſu, quaſi pro ſuo iure imperat, vt Strabonem corrigamus, Arganthúmque, non Arganthonium montem apud eum legamus. in quo eſt, cur inſcitiam ipſius miſericordia, an daciam odio proſequamur. Equidem Strabonis ſcripturam non omnino emendatam eſſe exiſtimo, ſed tamen ita leuiter deprauata̅, vt, vna litera addita, corrigi poſſit. Αργανθώνῖον *enim, non* Αργανθώνιον ὄρος, *legendum puto. quin & hunc verſum Propertij ita legendum cenſuerim,*

Hic erat Arganthonei ſub vertice montis.

neque me fugit, apud Stephanum Αργαθώνιν, *non* Αργανθώνιν *legi: vnde etiam hic, vir clariſſimus, Hermolaus Barbarus, Argathonei, non Arganthonei, legendum pronunciauit. ſed mouent me cum alia, tum Arrianus, qui Arganthonen nympham nominat. omnem autem dubitationem tollit, niſi magnopere fallor, Apollonius, qui hunc ipſum montem Arganthoneum, id eſt,* Αργανθώνῖον, *nominat.*

Τῆμος ἄρ' οἵγ' ἀφίκοντο Κιανίδος ἤθεα γαίης,
Ἀμφ' Αργανθώνῖον ὄρος, προχοάς τε Κίοιο.

Thyniacis. *Thynia enim, ſeu Bithynia contermina eſt Myſiæ. Arrianus ait, Arganthones nymphæ filios fuiſſe Thynum & Myſum, à quorum altero Thynia, ab altero Myſia nomen acceperit.*

IN LIBRVM SECVNDVM.

THESEVS infernis. *deeſt, quale. vt ſit, quale caput teſtatur fuiſſe Pirithou̅ inferis Theſeus, Patroclum ſuperis Achilles. cur aute̅ ille inferis, hic ſuperis? an, quia et Pirthous, & Theſeus apud inferos ſunt? Virgilius:*

—ſedet

--sedet æternúmque sedebit
Infelix Theseus. Horatius:
Nec Lethæa valet Theseus abrumpere caro
Vincula Pirithoo.

Achilles autē ad superos propter virtutē euectus est. Ixioniden. *Pirithoum, Ixionis ex Dia filium. quo modo igitur & ipse, & Theseus à Virgilio dijs geniti vocantur?*

Dijs quanquam geniti, atque inuicti viribus essent. sed Thesei quidem patrem habitum Neptunum, Pirithoum autem Iouis nepotem fuisse constat, Ixion enim Iouis filius. Menœtiaden. *Patroclum Menœtij filium. Menœtius autem Pelei frater: vt nō amicitia tantum, sed cognatio quoque inter Achillem & Patroclum intercesserit. variæ autem fuerunt de horum ætate sententiæ, quas collegit Politianus cap.* XLV. *miscellaneorum. Ceterum Lucianus, iuniorē, & ab Achille adamatum fuisse Patroclum, iucundo magis, quàm verecundo argumēto, ex ipsis Homeri versibus colligit, in dialogo, qui inscribitur* ἔρωτες. Sed neque Phlegræos. *neque Callimachus poterat grandia poemata conscribere, neque ego possum. hoc autem vitio datum Callimacho ab inuidis, ipsemet testatur elegantissimis versibus, quos ascribere non grauabor.*

Ὁ φθόνος Απόλλωνος ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν,
Οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν, ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.
Τὸν φθόνον ὡ πόλλων ποδί τ' ἤλασεν, ὧδέ τ' ἔειπεν.
Ασσυρίε ποταμοῖο μέγας ῥόος, ἀλλὰ τὰ πολλὰ
Λύματα γῆς, καὶ πολλὸν ἐφ' ὕδατι συρφετὸν ἕλκει.
Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ παντὸς ὕδωρ φορέουσι μέλισσαι,
Αλλ' ἥτις καθαρή τε, καὶ ἀχράαντος ἀνέρπει
Πίδακος ἐξ ἱερῆς ὀλίγη λιβὰς, ἄκρον ἄωτον.

IN ELEGIAM II.

IVPITER ignosco. *in alijs, ignoro. ut sit: nescio, cur olim tam multas rapueris, cum hanc antiquis omnibus formosiorem in terra relinquas.* Isconiache. *alij Deidamian, aut Hippodamian vocant.* Mercurio Sais. ἀπὸ κοινοῦ *intelligendum, qualis. fabula autem, quã hic tangit Propertius, mihi prorsus ignota est. nam quod Saidem Mineruam interpretantur, multis de caussis non placet. primum, quòd nusquam alibi lectum est, Mineruam cum Mercurio corpus commiscuisse: immo vero eam summo consensu* ἀπάρθενον *faciunt. deinde, quòd etsi Saitica praefectura Mineruae sacra est, dea tamen ipsa non Sais ab Aegyptijs dicitur, sed Neith. adde, quòd iam Cynthiam cum Minerua contulerat, illo versu,*

Aut cum Dulichias.

plane in meo vetere libro, nõ Sais legitur, sed, sanctis falsam declarationem, vt opinor, confutauimus. veram aut alij, aut fortasse nos ipsi olim reperiemus.

IN ELEGIAM III.

QVI nullum. *initio sibi ipsi quodam modo insultat, quòd qui diceret, se ab omni amore plane liberum esse, denuo sese in eosdem laqueos induat. deinde excusat se ipsum: quòd neque possit natura sua pugnare, neque tam Cynthiae forma, quàm alijs raris & eximijs dotibus, inductus sit ad ipsam amandam.* Et quantum Aeolio. *cum tribus veteribus poetrijs Cynthiam comparat. sunt autẽ hae, Sappho, Corinna, & Erinne. quarum de prima nihil dicere necesse est. non enim potest illa cuiquam ignota esse, nisi qui literas nesciat. de duabus autem alijs, quoniam non aeque nota sunt, aliquid commemorare haud quaquam alienum fuerit. Corinna igitur*

tur duæ fuerunt: vna Thespia, altera aut Thebana, aut Tanagræa. vtraque poetica laude insignis, hæc quidem ita, vt Pindarum quinquies vicisse tradatur. sed Pausanias id eo factum putat, quòd Pindarus Dorica lingua caneret, quæ non satis intelligeretur ab Æolibus, illa autem Æolica. neque non illud ad conciliandam victoriam profuisse tradit, quòd mulier esset omnium per id tempus formosissima. Erinnen autem Sapphonis æqualem & sociam fuisse accepimus, quæ poema scripserit, quod Colum vocauit, partim Æolica dialecto, partim Dorica, trecentis versibus constans, tanta felicitate, vt eam cum Homero ex æquo contulerit antiquitas. obijt autem virgo, annos habens vndeuiginti. ac, vt de Homeri, ita de huius quoque patria ambigitur. sunt enim, qui Teiam, sunt qui Teliam, sunt qui Lesbiam, sunt qui Rhodiam faciant. Turpia perpessus. *Theocritus:*

Τὰν ἀγέλαν χ' ὦ μάντις ἀπ' Ὄθρυος ἆγε Μελάμπυς
Ἐς Πύλον. ἁ δὲ Βίαντος ἐν ἀλκοίνησιν ἐκλίνθη
Μάτηρ ἁ χαρίεσσα περίφρονος Ἀλφεσιβοίας.

tangit & hanc siue fabulam, siue historiam, sed paucis, Homerus libro vndecimo Odyssea. quam è Græcorum commentarijs vberius ac fusius explicatam proponere institui. Tyro, Salmonei filia, mortuo patre, in Deionei patrui tutela fuit, qui eam Cretheo in matrimonium dedit. Interiecto aliquo tempore, cum ipse quoque Deioneus excessisset è vita, Iphiclus, qui eius in Phylaces prouinciæ imperio successor fuit, partem quandam eorum, quæ ad Tyronem pertinebant, occupauit. Neleus Tyronis filius, vt maternas iniurias vlcisceretur, si quis Iphicli boues (erant autem illæ eximia pulchritudine) abduxisset, filiam suam, cui nomen erat

erat Pero, præstanti virginem forma, ei se uxorem daturum pronūciauit. difficile id factu omnibus videbatur. nam & bubulci robustissimi, & ferocissimi canes Iphicli armēta seruabant. sed Bias Amythaonis filius, qui miro eius puellæ amore teneretur, fratri suo Melampodi, vati peritissimo, vt id negociū susciperet, persuasit. hic, etsi non erat nescius fore, vt caperetur, profectus est tamen, fraternæ voluntati cupiens obsequi. captus igitur, & Iphiclo traditus, deinde in carcerem coniectus, diligenter asseruabatur. qui autem ei ministraret, vir quidam vnà cum vxore est attributus: quorum ipse viro quidem facili & comi, sed muliere molesta & aspera vtebatur. Cum ergo ibi diu delituisset, quodam die vermium supra tectum strepitum ac stridorem quendam audiit. erat autem ita purgatis auribus, vt intelligeret ac perciperet etiam ea, quæ à bestiis dicerentur. sensit itaque eos mures significare inter se, trabem sibi iam corrosam & exesam esse. quare ruinam metuens, simulabat sibi male esse, ita vt consistere non posset. petit igitur vt vir quidem anteriorem, mulier vero posteriorem lectuli sui partem apprehenderet, ipsumq; ita ambo extra domunculam ferrent. quod eis facere aggressis, cum & vir, & totus prope lectus extra tectum esset, derepente collapsa trabs mulierem obruit, atque enecauit. seruatus vir, rem totam ex Melampode cognitam defert ad Phylacum Iphicli patrem. is eam Iphiclo enunciat. Iphiclus hominem ad se accersitum, quis esset, quoque consilio boues subreptum venisset, interrogat. is omnia illi, vt erant, indicat. Tum Iphiclus, Et domum, inquit, liber ac solutus redito; & tecum boues, quas petis, abducito, si rationem mihi aliquam, qua liberos procreare valeam, indicaueris. Melampus cum illum bono animo

esse

esse iussisset, cæsis rite hostijs regiones captandis augurijs diuisit. aduolant aues omnis generis, præter vulturem. Vates ex omnibus, ecqua ratio esset conficiendi Iphiclo liberos, sciscitatur. illis se vllam tenere negatibus, venit postremo vultur: ac primum profert caussas, quæ Iphiclo, ne generaret, impedimento erant. Phylacum patrẽ, olim ipsi puero quadam de caussa iratum, persecutũ esse eum stricto gladio. sed cum eum comprehendere nequijsset, gladiũ in pyrum quandã siluestrem impegisse. ipsum autem gladium postea crescentis arboris cortice obtectũ & inuolutum. simul & arborem ipsam, & eam partem, qua lateret gladius, indicauit: affirmans timorem ea ex re cõceptum, iam tum Iphiclo sterilitatem attulisse. iret igitur, & rupto cortice gladium educeret, rubiginémque illius è vino per decem dies Iphiclo potandam daret. hoc remedio vsus Iphiclus generandi potestatem recuperauit. Melampus, acceptis bobus, domum reuersus, fratri eas tradidit. qui cum eas Neleo, dotis nomine, dedisset, puellam, quam amabat, accepit. Surripuisse. *surripere voluisse.* Quem non lucra. *non enim lucri caussa eas abducere volebat.* Pero formosa. θαῦμα βροτεῖσιν, *ait Homerus.*

IN ELEGIAM IV.

NON per Medeæ. *Citeis Medea est. ne igitur bis eandem continenter nominauerit, malim legere,*

Non Perimedea gramina cocta manu:

quo modo & Beroaldus in quibusdam vetustis libris legi ait. Perimedes autem venefica insignis meminit Theocritus Parmaceutria.

Φάρμακα ταῦθ' ἔρδοισα χερείονα μή τέ τι Κίρκης,
Μή τέ τι Μηδείας, μήτε ξανθᾶς Περιμήδης,

éstque hæc eadem, quæ ab Homero vocatur Agamede:

Ἢ τόσα φάρμακα οἶδεν, ὅσα τρέφει εὐρεῖα χθών.

IN ELEGIAM VI.

NON ita complebant. *de meretricibus, quæ hic nominantur, multa iucundissima leguntur apud Athenæum libro* XIII. *quibus referendis, breuitatis caussa, supersedeo. vnum de Phyrne præterire non possum, quã Beroaldus & Volscus Phyrnen inepte nominant, neq; historiam, quæ hic à Propertio tangitur, vident. eam vero exponit Athenæus his verbis:* ἐπλούτει δὲ σφόδρα ἡ Φρύνη, καὶ ὑπισχνεῖτο τειχιεῖν τὰς Θήβας, ἐὰν ἐπιγράψωσι Θηβαῖοι· Ἀλέξανδρος μὲν κατέσκαψεν, ἀνέστησε δὲ Φρύνη ἡ ἑταίρα.

Me soror. *versus hic antea ita legebatur:*

Me soror, & cum qua dormis amica simul.

neque animaduertebant, qui hanc scripturam sequebantur, mendum inesse in verbo, dormis, vel in puero scutica dignum. dormit, & in meo vetere libro legitur, & omnino legendum est. hoc autem dicit. Et soror tua lædet me, & amica, cum qua simul ipsa dormit.

IN ELEGIAM XI.

QVICVNQVE ille fuit. *quo modo Amor pingatur, & caussas, cur ita pingatur, summa elegantia exponit. Sed hanc elegiam perfecte intelligere qui studet, legat Alexandrũ Aphrodisiensem problemate* LXXXVII. Euolat è nostro. *certe quidem versus hic integer non est. nam quid est Euolat è de nostro pectore? fortassis igitur ita legendus sit:*

Euolat, heu, nostro quoniam de pectore nusquam.

IN ELEGIAM XIII.

NEC sic Electra. *vocem, suum, quam indoctus aliquis hoc loco inserserat, quæq; in omnes prope libros propagata*

pagata versum corrumpebat, eieci, & expunxi.

IN ELEGIAM XV.

QVAE tibi terra. *sic Tibullus:*

Muneribus meus est captus puer: at deus illa
In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.

vterque autem sumpsit ab Homero.

Ἀλλ' ὑμεῖς μὲν πάντες ὕδωρ καὶ γαῖα γένοισθε.

IN ELEGIAM XXI.

CVI fuit. *ait, se, relicto amore matronarum, contulisse se ad amandas eas, quæ minore negocio faciunt copiam sui. & colligit multa argumenta, quibus harum amorem tutiorem ac iucundiorem esse cõcludat. eadem de re quædam sunt apud Horatium libro primo sermonum.*

IN ELEGIAM XXVI.

EXTREMO venit. *puto legendum, veniet.*

IN ELEGIAM XXVIII.

QVAERIS cur veniam. *mutilam esse hanc elegiam, finémque illius desiderari, cum diu suspicatus essem, postea veterum librorum indicio deprehendi. sunt, qui eam, quæ proxime sequitur, cum hac continuent, vnámque ex duabus faciant: quos valde errare arbitror.*

IN ELEGIAM XXXI.

NON Amphiareæ. *deprauatum esse versum hũc, constat. nam ab Amphiarao neque Amphiaraæ, neque Amphiarea deduci potest. numeri præterea non constant. in meo vetere libro legitur:*

Amphiraea nil prosunt tibi fata quadrigæ.

vnde si quis vocem, tibi, sustulerit, quæ versum ὑπερκοίλιον *facit, veram, vt opinor, scripturam restituerit.* Aut Capanei magno. *eodem libro auctore hic reposui*

vocem, magno, quæ ab imperitis detracta numeros corruperat. Nec minor his animis. *in his versibus mendi aliquid latere suspicor.*

IN LIBRVM III.

CALLIMACHI manes. *Callimachi & Philetæ manes inuocat, vt sibi assint in scribendis elegis. tum commendat se ipsum, qui princeps apud Latinos hoc poematis genus excoluerit: immortalémque famam suam fore auguratur. hos autem poetas etiam alibi coniunxit:*

Tu satius memorem musis imitere Philetan,
Et non inflati somnia Callimachi.

Philetæ. *huic secundas partes in elegia tribui solitas, ait Fabius. eum ita exili corpore fuisse prodit Athenæus, vti necesse habuerit pilas plumbeas ad pedes gestitare, ne subuerteretur à vento. mortuum autem è labore, quem capiebat in studijs, & è molestia, quam contraxit, cum fallacis & captiosæ Stoicorum conclusiunculæ, quam Græci ψευδόμενον, Cicero mentientem vocat, dissolutionem reperire non posset.*

Primus ego. *simile illi Lucretiano,*
Auia pieridum. & illi Horatiano,
Libera per vacuum posui vestigia princeps,
Non aliena meo pressi pede. & mox,
- Parios ego primus iambos
Ostendi Latio.

Sacerdos. *sic Horatius:*
- carmina non prius
Audita, musarum sacerdos,
Virginibus puerisque canto.

Itala per Graios. *Romano ore ea, quæ Græcis tantum tractata fuerant, celebrare.* Orgia. *poetæ enim*

tæ enim ſacri ſunt Baccho. Choros. *nam in Bacchi ſacris choros agebant. ſupra.*

Egit vt euantes dux Aridna choros.

Tenuaſtis. *ſecuti ſunt enim* χαρακτῆρα ἰσχνόν. *vnde alibi, non inflatum Callimachum dixit, & anguſtum ei pectus tribuit.* Exactus. ἐξειμένος *Ouidius:*

Non exacta ſatis, rudibúſque ſimillima ſignis.

Quid fruſtra. *quaſi curru inuehens, & alios pone ſequentes reſpectans, hæc dicit.* Non datur. *via currere, id eſt, via qua curri poſſit.* Carminis interea. *in antiquis libris hæc à ſuperioribus diſtincta ac ſeparata ſunt.* Orpheu. *negat, mirum eſſe, ſi carmina, quæ ipſe Baccho & Apolline propitijs ſcribit, à puellis colantur: cum carminibus Orpheus feras & flumina, Amphion lapides, Polyphemus etiam rudis & agreſtis muſicus Galathean mouerit; nedum puellas, quarum tenerum eſt, & flexibile ingenium.*

IN ELEGIAM II.

ERGO Muſarum. *vox, ergo, quò pertineat, non ſane video, déque illius integritate ſubdubito. nulla tamen diſcrepantia in veteribus libris.*

IN ELEGIAM III.

ONERATOS Cęſaris axes. *libentius legerim, onerato Cæſaris axe.* Pacis amor Deus eſt. *duas cauſas reddit, cur in bellum ire nolit: quòd Amorem colat, qui Deus eſt pacis: etſi ſibi quidem cum domina pacem non eſſe ait: & quòd alioqui magnarum opum, quæ in bello parari ſolent, cupidus non ſit.*

IN ELEGIAM IIII.

MAIOREMQVE timens. *in meo vetere libro eſt, Maiorémque metuens: deinde alia manu emendatum, timens. ego autem, ſi quod in illa deprauata ſcriptu-*

ra veritatis vestigium est, libentius, detractis tribus literis, legerim:

Maioremque metu seruus habere fidem.

vt sententia hæc sit: timere seruos interdum, ne malis nuncijs apportandis dominos ad iram incitent. ὀργιζόμεθα γὰρ τοῖς τὰ κακὰ ἀγγέλλουσιν, *ait Aristoteles, ideoque sæpe mētiri, & ea dicere, quæ dominis placitura norint. id igitur ipse reprehendit, aitque plus in seruo homine inesse fidei debere, quàm metus.*

IN ELEGIAM V.

SVNT Agamemnonias. *hisce quatuor versibus fabula quæpiam obscurior continetur. nam de hoc siue Argenno, siue Argynno (quamuis enim apud Pollucem* Ἄργεννος *legitur,* Ἀργύννος *tamen legendum crediderim) de eo igitur nihil aliud reperio, nisi eum fuisse Agamemnoni in delicijs, quod & hic indicatur, & in Cephiso submersum. alij inepta quædam, & à se temere conficta afferunt; quod ego facere non institui. illis religio erat vsquam hærere, & fateri quicquam à se non intelligi: mihi contra religio est, quicquam, quod me non intelligere intelligam, interpretari. sed quæcunque illa tandem fabula est, quam ego mihi quidem ignotam esse fateor, suspicor equidē hos quatuor versus alieno loco positos esse, atque hinc delendos, & reponendos statim post illud distichon,*

Natura insidians pontum substrauit auaris.
Vt tibi succedat, vix semel esse potest.

ibi enim incipit commemorare multos, qui in aquis perierunt: quò exemplum hoc quoque pertinere existimarim. Terra parum fuerat. *Horatius:*

Ne quicquam deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili

Terras

Terras, si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.

In mare cui soli. *lego, solum: vt significet, dolos vbique ei profuisse, præterquam in mari.*

IN ELEGIAM VI.

OFFENSA. *ita reposui è veteribus libris: cum Beroaldus temere pro, offensa, scribi iussisset, infensa. est autem offensa, irata.*

IN ELEGIAM IX.

ET cui cognomen Coruus habere dedit. *hunc M. Valerium, qui à coruo adiutore cognomen inuenit, cum in omnibus antiquis libris Coruinus vocetur, eruditi quidam nostræ tempestatis homines, & in Romanæ historiæ cognitione cum primis exercitati Coruum, non Coruinum, vocari iubent: quòd in vetustis lapidibus ita nomen hoc scriptum reperiatur. ego autem nunquam de istis rebus magnopere contendam: tantum, quod eos aliquando in familiari sermone admonui, id hoc quoq; loco proponam: eum videlicet ab antiquis poetis aperte Coruinũ vocari. Claudianus in Eutropium: Agmina [illegible]torum, Coruinorũmque cateruæ. vbi profectò vt ad Brutum illum, qui reges eiecit, respicit, ita ad illum quoque Coruinum, qui primus hoc cognomine affectus est. quòd si quis Claudiani auctoritatem leuem ac despiciendam putat, valde ille quidem à me dissentit: sed tamẽ alium proferemus, quem qui contempserit, is se haud dubie magnum antiquitatis contemptorem ostenderit. M. igitur Manilius, qui vnus profectò pro centum lapidibus est, homo eruditissimus, qui Augusti temporibus vixit, aperte eum Coruinum vocat, his versibus:*

Et cum militia volucris Coruinus adeptus
Et spolia, & nomen, qui gestat in alite Phœbum.

eodem etiam pacto mutarunt regis cuiusdã Albani nomen, cúmque pro Tiberino Tiberiũ nominarunt, freti auctoritate Eustathij Tessalonicensis. Ego autem, qui Græcos homines sæpe in Romanis nominibus falli videam, haud scio an plus in hac re tribuẽdum sit vni Eustathio, quam omnibus antiquis libris, & Ouidio deniq; ipsi, cuius hæc sunt:

Cúmque patris regnum post hunc Tiberinus haberet,
Dicitur in Tusca gurgite mersus aqua.

Sed tamen his de rebus nunquam cuiquam valde contendendum putarim. Atque hæc in præsentia sint satis. nam vt neque vltimum librum attingerem, & in ceteris essem restrictior, id mihi caussa fuit, quòd & in hunc poetam, & in Tibullum, si quando aliquis mihi ocium fecerit, iustos commentarios paro.

FINIS.

TIBVLLVS.

M. ANTONII MVRETI IN EVM SCHOLIA,

AD TORQVATVM *Bembum Petri F.*

IN VIRTVTE, ET FORTVNA.

LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM,
SVB SCVTO VENETO.
M. D. LIX.

M. ANTONIVS MVRETVS TORQVATO BEMBO PETRI F. S.D.

MAGNA felicitate mihi carere videor, TORQVATE BEMBE, quòd non ita mature in Italiã venerim, vt patrem tuũ, virũ immortalitate dignißimum, videre, atq; alloqui possem. nã & incredibilem quandã voluptatem hausissem ex illius herois aspectu, qui aut solus, aut præcipue effecerat, vt ne hæc ætas superioribus sæculis inuideret: & effecissem, nisi valde fallor, vt ipse me, pro humanitate illa, qua cõplectebatur omnes, in quibus esset aliqua nõ alieni à Musis ingenij significatio, non vsque quaq; sibi despiciẽdum putaret. Nunc, quãdo id, quod cuperem, cõsequi nullo modo possum: certe quidem id, quod proximũ est, sedulo facio: colo, quacunq; ratione licet, memoriã illius: & cũ in omni sermone, tum in scriptis meis, libẽtißime facio, vt eum laudẽ, qui mihi neq; à me, neq; à quoquã satis laudari posse vnquam videtur. neq; vero ita sum amens, vt ad gloriam ipsius quicquam meo testimonio posse adijci censeam. Sed ita plane iudico: vt deus, qui nullius præconio indiget, laudari se tamen ab hominibus vult: sic beatas illas mentes, in cælũ receptas, & cum deo coniunctas,

gaudere, cum se à nobis coli ac celebrari vident. ergo perinde ac si huius rei sensus ad Petrum ipsum Bembum peruenturus sit, ita de ipsius admirabili doctrina, singulari eloquentia, ceterisque virtutibus, quoties occasio est, prædico. quod siue ita est, gaudeo: siue ipse me fallo, tamen hunc errorem, qui me tantopere delectat, mihi eripi nolim. Equidem non solum quæ ille nobis monumenta ingenij sui plurima ac pulcherrima reliquit, accurate peruolutare, verum etiã imagines corporis ipsius studiose contemplari soleo: magnamq; ex eis oblectationẽ capio: quòd illæ mihi ipsum ante oculos constituere videantur. Iam si aut depictã in tabula, aut marmore expressam, aut in ære, argentóve insculptã Petri Bembi imaginem prope diuino cultu afficere solitus sum: quid me tibi facere par est Torquate Bembe, quẽ nobis diuinus ille vir viuã & spirantem tum corporis, tum multo magis ingenij ac virtutum [illegible]h imaginem reliquit? Itaque vt intelligas, te à me tanti fieri, quanti æquum est & talis viri filium, & talem filium, qui paternæ gloriæ preclare omni ex parte respondeat: mitto ad te muneri Tibullum, hoc est, eum poetã, quem pater tuus feliciſsime expreſsit, emendatum à me, & breuibus scholiis illustratum, qui tibi testimoniũ aliquod sit incredibilis obseruantiæ erga te meæ. Paruũ munus, fateor: sed & à magno animo proficiscitur; & maiora alia subsequentur, si hoc tibi non ingratum fuisse cognouero. Vale.

Non. Mai. M. D. LVIII. Putauio.

ALBI

ALBII TIBVLLI, EQVITIS ROMANI,

LIBER I.

DIVITIAS alius fuluo sibi congerat auro,
Et teneat culti iugera magna soli:
Quem labor assiduus vicino terreat hoste,
Martia cui somnos classica pulsa fugent.
Me mea paupertas vitæ traducat inerti,
Dum meus assiduo luceat igne focus.
Ipse seram teneras maturo tempore vites
Rusticus,& facili grandia poma manu.
Nec spes destituat, sed frugum semper aceruos
Præbeat,& pleno pinguia musta lacu.
Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in triuio florida serta lapis.
Et quodcunque mihi pomum nouus educat annus,
Libatum agricolæ ponitur ante deo.
Flaua Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.
Pomosisque ruber custos ponatur in hortis,
Terreat vt sæua falce Priapus aues.
Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Custodes, fertis munera vestra lares.
Tunc vitula innumeros lustrabat cæsa iuuencos,
Nunc agna exigui est hostia parua soli.
Agna cadet vobis, quam circum rustica pubes
Clamet, io messes,& bona vina date.

Iam modo non poſſum contentus viuere paruo,
Nec ſemper longæ deditus eſſe viæ:
Sed canis æſtiuos ortus vitare ſub vmbra
Arboris, ad riuos prætereuntis aquæ.
Nec tamen interdum pudeat tenuiſſe bidentem,
Aut ſtimulo tardos increpuiſſe boues.
Non agnámve ſinu pigeat, fœtúmve capellæ
Deſertum oblita matre referre domum.
At vos exiguo pecori furésque, lupique
Parcite. de magno eſt præda petenda grege.
Hic ego paſtorémque meum luſtrare quotannis,
Et placidam ſoleo ſpargere lacte Palem.
Aſſitis diui, nec vos è paupere menſa
Dona, nec è puris ſpernite fictilibus.
Fictilia antiquus primum ſibi fecit agreſtis
Pocula, de facili compoſuitque luto.
Non ego diuitias patrum, fructúsque requiro,
Quos tulit antiquo condita meſſis auo.
[illegible]a ſeges ſatis eſt: ſatis eſt requieſcere lecto,
Scilicet & ſolito membra leuare toro.
Quàm iuuat immites ventos audire cubantem,
Et dominam tenero continuiſſe ſinu,
Aut, gelidas hibernus aquas cum fuderit auſter,
Securum ſomnos, igne iuuante, ſequi.
Hoc mihi contingat. ſit diues iure, furorem
Qui maris, & triſtes ferre poteſt pluuias.
O, quantum eſt auri, pereat, potiúsque ſmaragdi,
Quàm fleat ob noſtras vlla puella vias.
Te bellare decet terra Meſſalla, marique,
Vt domus hoſtiles præferat exuuias.
Me retinent vinctum formoſæ vincla puellæ:
Et ſedeo duras ianitor ante fores.

Non

Non ego laudari cupio mea Delia: tecum
Dummodo sim, quæso segnis, inérsque vocer.
Te spectem, suprema mihi cum venerit hora;
Te teneam moriens deficiente manu.
Flebis & arsuro positum me Delia lecto;
Tristibus & lacrymis oscula mista dabis.
Flebis: non tua sunt duro præcordia ferro
Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex.
Illo non iuuenis poterit de funere quisquam
Lumina, non virgo sicca referre domum.
Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris Delia parce genis.
Interea, dum fata sinunt, iungamus amores,
Iam veniet tenebris mors adoperta caput.
Iam subrepet iners ætas; nec amare decebit,
Dicere nec cano blanditias capiti.
Nunc leuis est tractanda Venus, dum frangere postes
Non pudet, & rixas inseruisse iuuat.
Hic ego dux, milésque bonus. vos signa, tubæq;
Ite procul, cupidis vulnera ferte viris,
Ferte & opes. ego composito securus aceruo
Dites despiciam, despiciámque famem.

ELEGIA II.

Adde merum, vinóque graues compesce dolores,
Occupet vt fessi lumina victa sopor:
Neu quisquam multo perfusum tempora baccho
Excitet, infelix dum requiescit amans.
Nam posita est nostræ custodia sæua puellæ,
Clauditur & dura ianua firma sera.
Ianua difficilis dominæ, te verberet imber,
Te Iouis imperio fulmina missa petant.
Ianua iam pateas vni mihi victa querelis,

Nec furtim verso cardine aperta sones.
Et mala si qua tibi dixit dementia nostra,
Ignoscas: capiti sint precor illa meo.
Te meminisse decet, quæ plurima voce peregi
Supplice, cum posti florida serta darem.
Tu quoque ne timide custodes Delia falle.
Audendum est. fortes adiuuat ipsa Venus.
Illa fauet, seu quis iuuenis noua limina tentat,
Seu referat fixo dente puella fores.
Illa docet furtim molli decedere lecto,
Illa pedem nullo ponere posse sono:
Illa viro coram nutus conferre loquaces,
Blandáque compositis abdere verba notis.
Nec docet hoc omnes, sed quos nec inertia tardat,
Nec vetat obscura surgere nocte timor.
En ego cum tenebris tota vagor anxius vrbe,
Securum in tenebris me facit esse Venus.
Nec sinit occurrat quisquam, qui corpora ferro
Vulneret, aut rapta præmia veste petat.
Quisquis amore tenetur, eat tutúsque, sacérque
Qualibet. insidias non timuisse decet.
Non mihi pigra nocent hibernæ frigora noctis,
Non mihi, cum multa decidit imber aqua.
Non labor hic lædit, reseret modo Delia postes,
Et vocet ad digiti me taciturna sonum.
Parcite luminibus, seu vir, seu femina fias
Obuia. celari vult sua furta Venus.
Neu strepitu terrete pedum: neu quærite nomen,
Neu prope fulgenti lumina ferte face.
Si quis & imprudens aspexerit, occulat ille,
Pérque deos omnes se meminisse neget.
Nam fuerit quicunque loquax, is sanguine natam,

Is Venerem è rapido sentiet esse mari
Nec tamen huic credet coniux tuus, vt mihi verax
Pollicita est magico saga ministerio.
Hanc ego de cælo ducentem sidera vidi:
Fluminis hæc rapidi carmine vertit iter.
Hæc cantu finditque solum, manésque sepulcris
Elicit, & tepido deuocat ossa rogo.
Iam ciet infernas magico stridore cateruas:
Iam iubet, aspersas lacte, referre pedem.
Cum libet, hæc tristi depellit nubila cælo:
Cum libet, æstiuo prouocat orbe niues.
Sola tenere malas Medea dicitur herbas,
Sola feros Hecates perdomuisse canes.
Hæc mihi composuit cantus, queis fallere posses:
Ter cane, ter dictis despue carminibus.
Ille nihil poterit de nobis credere cuiquam,
Non sibi, si in molli viderit ipse sinu.
Tu tamen abstineas aliis. nam cetera cernet
Omnia: de me vno sentiet ipse nihil.
Quid credam? nempe hæc eadem se dixit amores
Cantibus, aut herbis soluere posse meos.
Et me lustrauit tedis, & nocte serena
Concidit ad magicos hostia pulla deos.
Non vt totus abesset amor, sed mutuus esset,
Orabam: nec te posse carere velim.
Ferreus ille fuit, qui, te cum posset habere,
Maluerit prædas stultus, & arma sequi.
Ille licet Cilicum victas agat ante cateruas,
Ponat & in capto martia castra solo;
Totus & argento contextus, totus & auro,
Insideat celeri conspiciendus equo:
Ipse boues mea si tecum modo Delia possim

Iungere, & in solito pascere monte pecus;
Et te dum liceat teneris retinere lacertis,
Mollis & in culta sit mihi somnus humo.
Quid Tyrio recubare toro sine amore secundo
Prodest? cum fletu nox vigilanda venit.
Nam neque tum pluma, nec stragula picta soporem,
Nec sonitus placidæ ducere possit aquæ.
Num Veneris magnæ violaui numina verbo,
Et mea nunc pœnas impia lingua luit?
Num feror incestus sedes adijsse deorum,
Sertáque de sanctis diripuisse focis?
Non ego tellurem genibus perrepere supplex,
Et miserum sancto tundere poste caput:
Non ego, si merui, dubitem procumbere templis,
Et dare sacratis oscula liminibus.
At tu, qui lætus rides mala nostra, caueto.
Mox tibi non vanus sæuiet ipse deus.
Vidi ego, qui iuuenum miseros lusisset amores,
Post Veneris vinclis subdere colla senem,
Et sibi blanditias tremula componere voce,
Et manibus canas fingere velle comas.
Stare nec ante fores puduit, caræve puellæ
Ancillam medio detinuisse foro.
Hunc puer, hunc iuuenis turba circunstetit arcta:
Despuit in molles & sibi quisque sinus.
At mihi parce Venus, semper tibi dedita seruit
Mens mea. quid messes vris acerba tuas?

AD MESSALLAM, ELEGIA III.

IBITIS Ægeas sine me Messalla per vndas,
O vtinam memores ipse, cohórsque mei.
Me tenet ignotis ægrum Phæacia terris.

Abstî

Abstineas auidas mors precor atra manus.
Abstineas mors atra precor. non hic mihi mater,
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus,
Non soror, Assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis:
Delia non vsquam: quæ me cum mitteret vrbe,
Dicitur ante omnes consuluisse deos.
Illa sacras pueri sortes ter sustulit: illi
Retulit è triuijs omnia certa puer.
Cuncta dabant reditum. tamen est deterrita nunquam,
Quin fleret, nostras respiceretque vias.
Ipse ego solator, cum iam mandata dedissem,
Quærebam tardas anxius vsque moras.
Aut ego sum caussatus, aues dant omina dira,
Saturni aut sacram me tenuisse diem.
O quoties ingressus iter, mihi tristia dixi
Offensum in porta signa dedisse pedem.
Audeat inuito ne quis discedere amore,
Aut sciat egressum se prohibente deo.
Quid tua nunc Isis tibi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties sistra repulsa manu?
Quidve pie, dum sacra colis, purèque lauari
Te memini, & puro secubuisse toro?
Nunc dea, nunc succurre mihi. nam posse mederi
Picta docet templis multa tabella tuis.
Ut mea votiuas persoluens Delia voces
Ante sacras lino tecta fores sedeat,
Bisque die, resoluta comas, tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.
At mihi contingat patrios celebrare penates,
Reddereque antiquo menstrua tura lari.
QVAM *Bene Saturno viuebant rege prius, quàm*

Tellus

Tellus in longas est patefacta vias.
Nondum cæruleas pinus contempserat vndas,
Effusum ventis præbuerátque sinum,
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externa nauita merce ratem.
Illo non validus subijt iuga tempore taurus,
Non domito frænos ore momordit equus.
Non domus vlla fores habuit, non fixus in agris,
Qui regeret certis finibus arua lapis.
Ipsæ mella dabant quercus, vltróque ferebant
Obuia securis vbera lactis oues.
Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem
Immiti sæuus duxerat arte faber.
Nunc Ioue sub domino cædes, & vulnera semper.
Nunc mare, nunc lethi mille repente viæ.
Parce pater. timidum non me periuria terrent,
Non dicta in sanctos impia verba deos.
Quod si fatales iam nunc expleuimus annos,
Fac lapis inscriptis stet super ossa notis:
Hic iacet immiti consumptus morte Tibullus,
Messalam terra dum sequitúrque mari.
Sed me, quòd facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ, cantúsque vigent, passímq; vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aues.
Fert casiam non culta seges, totósque per agros
Floret odoratis terra benigna rosis.
Ac iuuenum series teneris immista puellis
Ludit, & assidue prœlia miscet Amor.
Illic est cuicunque rapax mors venit amanti,
Et gerit insigni myrtea serta coma.
At scelerata iacet sedes in nocte profunda

Abdita

Abdita, quam circum flumina nigra sonant.
Tisiphonéque impexa feros pro crinibus angues
Sæuit, & huc illuc impia turba fugit.
Tum niger in turba serpentum Cerberus ore
Stridet, & æratas excubat ante fores.
Illic Iunonem tentare Ixionis ausi
Versantur celeri noxia membra rota,
Porrectúsque nouem Titius per iugera terræ,
Assiduas atro viscere pascit aues.
Tantalus est illic, & circum stagna: sed acrem
Iam iam poturi deserit vnda sitim.
Et Danai proles, Veneris quòd numina læsit,
In caua Letheas dolia portat aquas.
Illic sit quicunque meos violauit amores,
Optauit lentas & mihi militias.
At tu casta precor maneas, sanctique pudoris
Assideat custos sedula semper anus.
Hæc tibi fabellas referat, positáque lucerna
Deducat plena stamina longa colo:
Ac circa grauibus pensis affixa puella
Paulatim somno fessa remittat opus.
Tunc veniam subito: nec quisquam nunciet ante,
Sed videar cælo missus adesse tibi.
Tunc mihi, qualis eris, longos turbata capillos,
Obuia nudato Delia curre pede.
Hoc precor, hunc illum nobis aurora nitentem
Luciferum roseis candida portet equis.

AD PRIAPVM ELEGIA IIII.

SIC vmbrosa tibi contingant tecta Priape,
Ne capiti soles, ne noceántque niues,
Quæ tua formosos cepit solertia? certe

Non

Non tibi barba nitet, non tibi culta coma est.
Nudus & hibernæ producis frigora brumæ,
Nudus & æstiui tempora sicca canis.
Sic ego, tum Bacchi respondit rustica proles
Armatus curua sic mihi falce deus.
O fuge te teneræ puerorum credere turbæ:
Nam caussam iusti semper amoris habent.
Hic placet, angustis quòd equum compescit habenis:
Hic placidam niueo pectore pellit aquam:
Hic, quia fortis adest audacia, cepit: at illi
Virgineus teneras stat pudor ante genas.
Sed ne te capiant, primo si forte negabit,
Tædia, paulatim sub iuga colla dabit.
Longa dies homini docuit parere leones.
Longa dies molli saxa peredit aqua.
Annus in apricis maturat collibus vuas.
Annus agit certa lucida signa vice.
Nec iurare time. Veneris periuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt.
Gratia magna Ioui. vetuit pater ipse valere,
Iurasset cupide quicquid ineptus amor.
Pérque suas impune sinit Dictynna sagittas
Affirmes, crines pérque Minerua suos.
At si tardus eris, errabis, transiet ætas.
Quàm cito non segnis stat, remeátque dies.
Quàm cito purpureos deperdit terra colores.
Quàm cito formosas populus alta comas.
Quàm iacet, infirmæ venère vbi fata senectæ,
Qui prior Eleo est carcere missus, equus.
Vidi iam iuuenem, premeret cum serior ætas,
Mærentem stultos præteriisse dies.
Crudeles diui. serpens nouus exuit annos.

Formæ

Formæ non ullam fata dedere moram.
Solis æterna est Phœbo, Bacchóque iuuentas:
Nam decet intonsus crinis vtrunque deum,
Tu, puero quodcunque tuo tentare libebit,
Cedas obsequio plurima vincit amor.
Neu comes ire neges, quamuis via longa paretur,
Et canis arenti torreat arua siti.
Quamuis prætexens picta ferrugine cælum
Venturam admittat imbrifer arcus aquam.
Vel si cæruleas puppi volet ire per vndas,
Ipse leuem remo per freta pelle ratem.
Nec te pœniteat duro subiisse labori,
Aut operi insuetas atteruisse manus.
Nec, velit insidiis altas si claudere valles,
Dum placeas, humeris retia ferre neges.
Si volet arma, leui tentabis ludere dextra:
Sæpe dabis nudum, vincat vt ille, latus.
Tunc tibi mitis erit: rapias tum cara licebit
Oscula: pugnabit, sed tamen apta dabit.
Rapta dabit primo, post offeret ipse volenti,
Post etiam collo se implicuisse volet.
Heu, male nunc artes miseras hæc secula tractant.
Iam tener assueuit munera velle puer.
Iam tu qui Venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix vrgeat ossa lapis.
Pieridas pueri, doctos & amate poetas,
Aurea nec superent munera Pieridas.
Carmine purpurea est Nisi coma: carmina ni sint,
Ex humero Pelopis non nituisset ebur.
Quem referent Musæ, viuet, dum robora tellus,
Dum cælum stellas, dum vehet amnis aquas.
At qui non audit Musas, qui vendit amorem,

Idæa

Idææ currus ille sequatur Opis.
Et tercentenas erroribus expleat vrbes,
Et secet ad Phrygios vilia membra modos.
Blanditijs vult esse locum Venus ipsa: querelis
Supplicibus, miseris fletibus illa fauet.
Hæc mihi, quæ canerem Titio, deus edidit ore:
Sed Titium coniux hæc meminisse vetat.
Pareat ille suæ. vos me celebrate magistrum,
Quos male habet multa callidus arte puer.
Gloria cuique sua est. me, qui spernentur amantes,
Consultent, cunctis ianua nostra patet.
Tempus erit, cum me, Veneris præcepta ferentem,
Deducat iuuenum sedula turba senem.
Eheu quàm Marathus lento me torquet amore.
Deficiunt artes, deficiúntque doli.
Parce puer quæso, ne turbis fabula fiam,
Cum mea ridebunt vana magisteria.

ELEGIA V.

Asper eram, & bene dissidium me ferre loquebar:
At mihi nunc longe gloria fortis abest.
Nanque agor, vt per plana citus sola verbere turbo
Quem celer assueta versat ab arte puer.
Vre ferum, & torque, libeat ne dicere quicquam
Magnificum posthac, horrida verba doma.
Parce tamen: per te furtiui fœdera lecti,
Per Venerem quæso, compositúmque caput.
Ille ego, cum tristi morbo defessa iaceres,
Te dicor votis eripuisse meis.
Ipséque ter circum lustraui sulfure puro,
Carmine cum magico præcinuisset anus.
Ipse procuraui, ne possent sæua nocere
Somnia, ter salsa deueneranda mola.

Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota nouem Veneri nocte silente dedi.
Omnia persolui: fruitur nunc alter amore,
Et precibus felix vtitur ille meis.
At mihi felicem vitam, si salua fuisses,
Fingebam demens; sed renuente deo.
Rura colam, frugúmque aderit mea Delia custos,
Area dum messes sole calente teret.
Hæc mihi seruabit plenis in lyntribus vuas,
Pressáque veloci candida musta pede:
Consuescet numerare pecus, consuescet amantis
Garrulus in dominæ ludere verna sinu.
Illa deo sciet agricolæ pro vitibus vuam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.
Illa regat cunctos, illi sint omnia curæ,
Et iuuet in tota me nihil esse domo.
Huc veniet Messalla meus, cui dulcia poma
Delia selectis detrahat arboribus:
Et tantum venerata virum, hunc sedula curet,
Huic paret, atque epulas ipsa ministra gerat.
Hæc mihi fingebam, quæ nunc Caurúsque, Notúsque
Iactat odoratos vota per Armenios.
Sæpe ego tentaui curas depellere vino:
At dolor in lacrymas verterat omne merum.
Sæpe aliam tenui: sed iam cum gaudia adirem,
Admonuit dominæ, deseruitque Venus.
Tunc me discedens deuotum femina dixit,
** Et pudet, & narrat scire nefanda mea.*
Non facit hoc verbis: facie, tenerisque lacertis
Deuouet, & flauis nostra puella comis.
Talis ad Æmonium Nereis Pelea quondam

Vecta est frenato cærula pisce Thetis.
Hæc nocuere mihi, quòd adest huic diues amator.
Venit in exitium callida lena meum.
Sanguineas edat illa dapes, atque ore cruento
Tristia cum multo pocula felle bibat.
Hanc volitent animæ circum, sua fata querentes:
Semper & è tectis stryx violenta canat.
Ipsa fame stimulante furens, escásque sepulcris
Quærat: & à sæuis ossa relicta lupis.
Currat & inguinibus nudis, vlulétque per vrbes.
Post agat hanc triuijs aspera turba canum.
Eueniet, dat signa deus: sunt numina amanti.
Sæuit & iniusta lege relicta Venus.
At tu quamprimum saga præcepta rapacis
Desere: nam donis vincitur omnis amor.
Pauper erit præsto semper tibi, pauper adibit
Primus: & in tenero fixus erit latere.
Pauper in angusto fidus comes agmine turbæ,
Subijciétque manus, efficiétque viam.
Pauper ad occultos furtim deducet amicos,
Vincláque de niueo detrahet ipse pede.
Heu canimus frustra: nec verbis victa patescit
Ianua, sed plena est percutienda manu.
At tu, qui potior nunc es, mea fata caueto:
Versatur celeri fors leuis orbe rotæ.
Non frustra quidam iam nunc in limine perstat
Sedulus, ac crebro prospicit, ac refugit,
Et simulat transire domum, mox deinde recurrit
Solus: & ante ipsas excreat vsque fores.
Nescio quid furtiuus amor parat: vtere quæso,
Dum licet: in liquida nat tibi lynter aqua.

ELEGIA VI.

Semper vt inducar, blandos offers mihi vultus:
Post tamen es misero tristis, & asper Amor.
Quid tibi sæuitiæ mecum est? an gloria magna
Insidias homini composuisse deum?
Iam mihi tenduntur casses, iam Delia furtim
Nescio quem tacita callida nocte fouet.
Illa quidem tam multa negat: sed credere durum est.
Sic etiam de me pernegat vsque viro.
Ipse miser docui, quo posset ludere pacto
Custodes. eheu nunc premor arte mea.
Fingere tunc didicit caussas, cur sola cubaret,
Cardine tunc tacito vertere posse fores.
Tunc succos, herbásque dedi, quis liuor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.
At tu fallacis coniux incaute puellæ,
Me quoque seruato, peccet vt illa nihil.
Neu iuuenes celebret multo sermone caueto,
Néve cubet laxo pectus aperta sinu.
Neu te decipiat nutu, digitóque liquorem
Ne trahat, & mensæ ducat in orbe notas.
Exibit quàm sæpe time, seu visere dicet
Sacra bonæ maribus non adeunda deæ.
At mihi si credas, illam sequar vnus ad aras.
Tunc mihi non oculis sit timuisse meis.
Sæpe, velut gemmas eius, signúmque probarem,
Per caussam memini me tetigisse manum.
Sæpe mero somnum peperi tibi: at ipse bibebam
Sobria supposita pocula victor aqua.
Non ego te læsi prudens: ignosce fatenti:
Iussit Amor. Contra quis ferat arma deos?
Ille ego sum, nec me iam dicere vera pudebit,

Instabat tota cui tua nocte canis.
Quid tenera tibi coniuge opus,tua si bona nescis
Seruare? abfrustra clauis inest foribus.
Te tenet,absentes alios suspirat amores,
Et simulat subito condoluisse caput.
At mihi seruandam credas,non saeua recuso
Verbera,detrecto non ego vincla pedum.
Tunc procul absitis,quisquis colit arte capillos,
Effluit effuso cui toga lapsa sinu:
Quisquis & occurret ne possit crimen habere,
Stet procul,aut alia stet procul ante via.
Sic fieri iubet ipse deus,sic magna sacerdos
Est mihi diuino vaticinata sono.
Haec vbi Bellona motu est agitata,nec acrem
Flāmam,non amens verbera torta timet.
Ipsa bipenne suos cadit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inulta deam.
Statque latus praefixa veru,stat saucia pectus,
Et canit euentus,quos dea magna monet.
Parcite,quam custodit amor,violare puellam:
Ne pigeat magno post didicisse malo.
Attigerit labentur opes,vt vulnere nostro
Sanguis,vt hic ventis diripiturque cinis.
Et tibi nescio quas dixit mea Delia poenas.
Si tamen admittas:sit precor illa leuis.
Non ego te propter parco tibi,sed tua mater
Me mouet,atque iras aurea vincit anus.
Haec mihi te adducit tenebris,multoque timore
Coniungit nostras clam taciturna manus.
Haec foribusque manet noctu me affixa,proculque
Cognoscit strepitus me veniente pedum.
Viue diu mihi dulcis anus:proprios ego tecum
Sit

Sit modo fas,annos contribuisse velim.
Te semper,natámque tuam te propter amabo:
Quicquid agit,sanguis est tamen illa tuus.
Sit modo casta doce,quamuis non vitta ligatos
Impediat crines,nec stola longa pedes.
Et mihi sint duræ leges,laudare nec vllam
Possim,quin oculos appetat illa meos.
Et si quid peccasse putor,ducórque capillis
*Immerito * proprias proripiórque vias.*
Non ego te pulsare velim: sed,venerit iste
Si furor,optarim non habuisse manus:
Nec sæuo sis casta metu,sed mente fideli.
Mutuus absenti te mihi seruet amor.

*

At quæ fida fuit nulli,post victa senecta,
Ducit inops tremula stamina torta manu,
Firmáque conductis adnectit licia telis,
Tractáque de niueo vellere fila parat.
Hanc animo gaudente vident,iuuenúmque cateruæ
Commemorant merito tot mala ferre senem:
Hanc Venus ex alto flentem sublimis olympo
Spectat,& infidis quàm sit acerba,monet.
Hæc alijs maledicta cadant. nos,Delia,amoris
Exemplum cana simus vterque coma

ELEGIA VII.

HVnc cecinere diem parcæ fatalia nentes
Stamina,non vlli dissoluenda deo,
Hunc fore Aquitanas posset qui fundere gentes,
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Euenere.nouos pubes Romana triumphos
Vidit,& euinctos brachia capta duces.
At te victrices lauros Messalla gerentem

Portabat niueis currus eburnus equis.
Non sine me est tibi partus honos per bella. Pyrene
Testis, & oceani littora Santonici.
Testis Arar, Rodanúsque celer, magnúsque Garūna,
Carmoti & flaui cærula lympha Liger.
At te Cydne canam, tacitis qui leniter vndis
Cæruleus placidis per vada serpis aquis.
Quantus & ætherio contingens vertice nubes
Frigidus intonsos taurus alat Cilicas.
Quid referam, vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?
Vtq; maris vastum prospectet turribus æquor
Prima ratem ventis credere docta Tyros?
Qualis & arentes cum findit Syrius agros,
Fertilis æstiua Nilus abundet aqua.
Nile pater, qua nam possum te dicere caussa,
Aut quibus in terris occuluisse caput?
Te propter, nullos tellus tua postulat imbres,
Arida nec pluuio supplicat herba Ioui.
Te canit atque suum pubes miratur Osirin
Barbara, Memphitem plangere docta bouem.
Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro solicitauit humum.
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomáque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adiungere vitem,
Hic viridem dura cædere falce comam.
Illi iucundos primum matura sapores
Expressa incultis vua dedit pedibus.
Ille liquor docuit voces inflectere cantu,
Mouit & ad certos nescia membra modos.
Bacchus & agricolæ magno confecta labore

Pectora tristitiæ dissoluenda dedit.
Bacchus & afflictis requiem mortalibus affert,
Crura licet dura compede pulsa sonent.
Non tibi sunt tristes curæ, non luctus Osiri,
Sed chorus, & cantus lenis, & aptus amor.
Sed varij flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.
Et Tyriæ vestes, & dulcis tibia cantu,
Et leuis occultis conscia cista sacris.
Huc ades, & centum ludos, geniúmque choreis
Concelebra, & multo tempora funde mero.
Illius è nitido stillent vnguenta capillo,
Et capite, & collo mollia serta gerat.
Sic venias hodierne: tibi dum thuris honores,
Liba & Mopsopio dulcia melle feram.
At tibi succrescat proles, quæ facta parentis
Augeat, & circa stet veneranda senem.
Non taceam monimenta viæ, quæ Tuscula tellus,
Candidáque antiquo detinet Alba lare.
Nanque opibus congesta tuis hic glarea dura
Sternitur, hic apta iungitur arte silex.
Te canit agricola, è magna cum venerit vrbe
Serus, inoffensum retuleritque pedem.
At tu natalis multos celebrande per annos
Candidior semper candidiórque veni.

ELEGIA VIII.

Non ego celari possum, quid nutus amantis,
Quídve ferant miti lenia verba sono.
Nec mihi sunt sortes, nec conscia fibra deorum:
Præcinit euentus nec mihi cantus auis.
Ipsa Venus magico religatum brachia nodo
Perdocuit multis non sine verberibus.

Desine dissimulare. deus crudelius vrit,
Quos videt inuitos succubuisse sibi.
Quid tibi nunc molles prodest coluisse capillos,
Sæpéque mutatas disposuisse comas?
Quid fuco splendente genas ornasse? quid vngues
Artificis docta subsecuisse manu?
Frustra iam vestes, frustra mutantur amictus,
Ansáq; compressos colligat arcta pedes.
Illa placet, quamuis inculto venerit ore,
Nec nitidum tarda compserit arte caput.
Num te carminibus, num te pallentibus herbis
Deuouit tacito tempore noctis anus?
Cantus vicinis fruges traducit ab agris.
Cantus & iratæ detinet anguis iter.
Cantus & è curru lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent.
Quid queror heu misero carmen nocuisse? quid herbas?
Forma nihil magicis vtitur auxiliis:
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.
Nec tu difficilis puero tamen esse memento.
Persequitur pœnis tristia facta Venus.
Munera nec poscas. det munera canus amator,
Vt foueat molli frigida membra sinu.
Carior est auro iuuenis, cui leuia fulgent
Ora, nec amplexus hispida barba terit.
Huic tu candentes humero suppone lacertos,
Et regum magnæ despiciantur opes.
At Venus inuenit puero concumbere furtim,
Dum timet, & teneros conserit vsque sinus,
Et dare anhelanti pugnantibus humida linguis
Oscula, & in collo figere dente notas.

Non

Non lapis hanc, gemmæq; iuuant, quæ frigore sola
Dormiat, & nulli sit cupienda viro.
Heu sero reuocatur amor, seroque iuuenta,
Cum vetus infecit cana senecta caput.
Tum studium formæ est, coma cum mutatur, vt annos
Dissimulet viridi cortice tincta nucis.
Tollere tunc cura est albos à stirpe capillos,
Et faciem dempta pelle referre nouam.
At tu, dum primi floret tibi temporis ætas,
Vtere, non tardo labitur illa pede.
Heu Marathum torques, puero quæ gloria victo est?
In veteres esto dura puella senes.
Parce precor tenero: non illi sontica caussa est,
Sed nimius luto corpora tingit amor.
Veh miser, absenti mœstas quàm sæpe querelas
Conijcit, & lacrymis omnia plena madent.
Quid me spernis, ait? poterat custodia falli,
Ipse dedit cupidis fallere posse deus.
Nota Venus furtiua mihi est, vt lenis agatur
Spiritus, vt nec dent oscula rapta sonum.
Et possum media quamuis obrepere nocte,
Et strepitu nullo clam reserare fores.
Quid prosunt artes, miserum si spernit amantem,
Et fugit ex ipso sæua puella toro?
Vel cum promittit subito, sed perfida fallit,
Est mihi nox multis euigilanda malis.
Dum mihi venturam fingo, quodcunque mouetur,
Illius credo tunc sonuisse pedes.
Desistas lacrymare puer, non frangitur illa,
Et tua iam fletu lumina fessa tument.
Oderunt Pholoe (moneo) fastidia diui,
Nec prodest sanctis tura dedisse focis.

Hic Marathus quondam miseros ladebat amantes,
Nescius vltorem post caput esse deum.
Sæpe etiam lacrymis fertur risisse dolentis,
Et cupidum ficta detinuisse mora.
Nunc omnis odit fastus, nunc displicet illi
Quæcunque opposita est ianua dura sera.
At te pœna manet, nisi desinis esse superba.
Quàm cupies votis hunc reuocare diem.

ELEGIA IX.

QVid mihi, si fueras miseros læsurus amores,
Fœdera per diuos clam violanda dabas?
Ah miser, & si quis primo periuria celat,
Sera tamen tacitis pœna venit pedibus.
Parcite cælestes, æquum est, impune licere
Numina formosis lædere vestra semel.
Lucra petens, habili tauros adiungit aratro,
Et durum terræ rusticus vrget opus.
Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates.
Muneribus meus est captus puer: at deus illa
In cinerem, & liquidas munera vertat aquas.
Iam mihi persoluet pœnas, puluisque decorem
Detrahet, & ventis horrida facta coma.
Vretur facies, vrentur sole capilli.
Deteret inualidos & via longa pedes.
Admonui quoties, auro ne pollue formam.
Sæpe solent auro multa subesse mala.
Diuitijs captus si quis violauit amorem,
Asperáque est illi, difficilísque Venus.
Vre meum potius flamma caput, & pete ferro
Corpus, & intorto verbere terga seca.
Nec tibi celanti fas sit peccare paranti

Sit

Sit deus, occultos qui vetet esse dolos.
Ipse deus tacito permisit lene ministro,
Ederet ut multo libera verba mero.
Ipse deus somno domitos emittere vocem
Iussit, & inuitos facta tegenda loqui.
Haec ego dicebam: nunc me fleuisse loquentem,
Nunc pudet ad teneros procubuisse pedes.
Tum mihi iurabas, nullo te diuitis auri
Pondere, non gemmis vendere velle fidem:
Non tibi si precium Campania terra daretur,
Non tibi si Bacchi cura Falernus ager.
Illis eriperes verbis mihi, sidera caeli
Lucere, & puras fluminis esse vias.
Quin etiam flebas: at non ego fallere doctus,
Tergebam humentes credulus vsque genas.
Quid faceres, nisi & ipse fores in amore puellae?
Sit precor exemplo sed leuis illa tuo.
O quoties, verbis ne quisquam conscius esset,
Ipse comes multa lumina nocte tuli.
Saepe insperanti venit tibi munere nostro,
Sed latuit clausas post adoperta fores.
Tum miser interij, stulte confisus amari.
Nam poteram ad laqueos cautior esse tuos.
Quin etiam attonita laudes tibi mente canebam:
At me nunc nostri, Pieridúmque pudet.
Illa velim rapida Vulcanus carmina flamma
Torreat, & liquida deleat amnis aqua.
Tu procul hinc absis, cui formam vendere cura est,
Et precium plena grande referre manu.
At te, qui puerum donis corrumpere es ausus,
Rideat assiduis vxor inulta dolis.
Et cum furtiuo iuuenem lassauerit vsu,

Tecum

Tecum interposita languida veste cubet.
Semper sint externa tuo vestigia lecto,
Et pateat cupidis semper aperta domus.
Nec lasciua soror dicatur plura bibisse
Pocula, quàm plures hæc meruisse viros.
Illam sæpe ferunt conuiuia ducere Baccho,
Dum rota luciferi prouocet orta diem.
Illa queat nullam melius consumere noctem,
Aut operum varias disposuisse vices.
At tua perdidicit. nec tu stultissime sentis,
Cum tibi non solita corpus ab arte mouet.
Tu ne putas illam pro te disponere crines?
Aut tenues denso pectere dente comas?
Ista hæc persuadet facies, auróque lacertos
Vinciat, & Tyrio prodeat apta sinu?
Non tibi, sed iuueni cuidam vult bella videri,
Deuoueat pro quo rémque domúmque tuam.
Nec facit hoc vitio, sed corpora fœda podagra
Et senis amplexus culta puella fugit.
Hunc tamen accubuit noster puer. hunc ego credam
Cum trucibus venerem iungere posse feris.
Blanditias né meas alijs tu vendere es ausus?
Tu ne alijs demens oscula ferre mea?
Tunc flebis, cùm me vinctum puer alter habebit,
Et geret in regno regna superba tuo.
At tua tum me pœna iuuet, Veneríque merenti
Fixa notet casus aurea palma meos.
Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
Dedicat, & grata sis dea mente, rogat.

ELEGIA X.

QVis fuit, horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus, & vere ferreus ille fuit.

Tunc

Tunc cædes hominum generi, tunc prœlia nata,
Tunc breuior diræ mortis aperta via est.
At nihil ille miser meruit. nos ad mala nostra
Vertimus, in sæuas quod dedit ille feras.
Diuitis hoc vitium est auri: nec bella fuerunt,
Faginus astabat dum scyphus ante dapes.
Non arces, non vallus erat, somnúmque petebat
Securus varias dux gregis inter oues.
Tunc mihi vita foret: vulgi non tristia nossem
Arma, nec audissem corde tremente tubam.
Nunc ad bella trahor, & iam quis forsitan hostis
Hæsura in nostro tela gerit latere.
Sed patrij seruate lares. aluistis & ijdem,
Cursarem vestros cum tener ante pedes.
Neu pudeat prisco vos esse è stipite factos.
Sic veteres sedes incoluistis aui.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde deus.
Hic placatus erat, seu quis libauerat vuam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Póstque comes purum filia parua fauum.
At nobis ærata lares depellite tela,

Hostiáque è plena mystica porcus hara.
Hunc pura cum veste sequar, myrtóque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.
Sic placeam vobis. alius sit fortis in armis,
Sternat & aduersos Marte fauente duces.
Vt mihi potanti possit sua dicere facta
Miles, & in mensa pingere castra mero.
Quis furor est atram bellis accersere mortem?

Immi

Imminet,& tacito clam venit illa pede.
Non seges est infra,non vinea culta,sed audax
Cerberus,& Stygia nauita turpis aquæ.
Illic percusisque genis,vstóque capillo,
Errat ad obscuros pallida turba lacus.
Quàm potius laudandus hic est,quem prole parata
Occupat in parua pigra senecta casa.
Ipse suas sectatur oues:at filius agnos,
Et calidam fesso comparat vxor aquam.
Sic ego sim,liceátque caput candescere canis,
Temporis & prisci facta referre senem.
Interea pax arua colat.pax candida primum
Duxit araturos sub iuga curua boues.
Pax aluit vites,& succos condidit vuæ,
Funderet vt nato testa paterna merum.
Pace bidens,vomérque vigent,at tristia duri
Militis in tenebris occupat arma situs.
Rusticus è lucóque vehit male sobrius ipso
Vxorem plaustro,progeniémque domum.
Sed Veneris tunc bella calent,scissósq; capillos
Femina,perfractas conqueritúrque fores:
Flet teneras subtusa genas:sed victor & ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.
At lasciuus Amor rixæ mala verba ministrat,
Inter & iratum lentus vtrunque sedet.
Ah lapis est,ferrúmque,suam quicúnque puellam
Verberat:è cælo diripit ille deos.
Sit satis,è membris tenuem perscindere vestem:
Sit satis,ornatas dissoluisse comas:
Sit,lacrymas mouisse,satis.quater ille beatus,
Quo tenera irato flere puella potest.
Sed,manibus qui sæuus erit,scutúmque,sudémque

Is gerat, & miti sit procul à Venere.
At nobis pax alma veni, spicámque teneto:
Perfluat & pomis candidus ante sinus.

ALBII TIBVLLI, EQVITIS ROMANI

LIBER II.

QVISQVIS *adest, valeat: fruges lustramus, & agros,*
Ritus vt à prisco traditus extat auo.
Bacche veni, dulcisque tuis è cornibus vua
Pendeat, & spicis tempora cinge Ceres.
Luce sacra requiescat humus, requiescat arator,
Et graue suspenso vomere cesset opus.
Soluite vincla iugis: nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boues capite.
Omnia sint operata deo: non audeat vlla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul iubeo. discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.
Casta placent superis. pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.
Cernite, fulgentes vt eat sacer agnus ad aras,
Vinctáque post olea candida turba comas.
Dÿ patrÿ purgamus agros, purgamus agrestes,
Vos mala de nostris pellite limitibus:
Neu seges eludat mensem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres tardior agna lupos.

Tunc

Tunc nitidus plenis confisus rusticus agris,
Ingeret ardenti grandia ligna foco,
Turbáque vernarum, saturi bona signa coloni,
Ludet, & è virgis extruet arte casas.
Euentura precor. viden' vt felicibus extis
Significet placidos nuncia fibra deos?
Nunc mihi fumosos veteris proferte falernos
Consulis, & Chio soluite vincla cado.
Vina diem celebrent. non festa luce madere
Est rubor, errantes & male ferre pedes.
Sed bene Messallam sua quisque ad pocula dicat,
Nomen & absentis singula verba sonent.
Gentis Aquitanæ celeber Messalla triumphis,
Et magna intonsis gloria victor ades.
Huc ades, aspiráque mihi, dum carmine nostro
Redditur agricolis gratia cælitibus.
Rura cano, rurisque deos: his vita magistris
Desueuit querna pellere glande famem.
Illi compositis primum docuere tigillis
Exiguam viridi fronde operire domum.
Illi etiam tauros primi docuisse feruntur
Seruitium, & plaustro supposuisse rotam.
Tunc victus abiere feri: tunc consita pomus,
Tunc bibit irriguas fertilis hortus aquas:
Aurea tunc pressos pedibus dedit vua liquores,
Mistáque securo est sobria lympha mero.
Rura ferunt messes, calidi cum sideris æstu
Deponit flauas annua terra comas.
Rure leuis verno flores apis ingerit alueo,
Compleat vt dulci sedula melle fauos.
Agricola assiduo primum satiatus aratro
Cantauit certo rustica verba pede,

Et

Et satur arenti primum est modulatus auena
Carmen, vt ornatos diceret ante deos.
Agricola & minio suffusus Bacche rubenti
Primus inexperta duxit ab arte choros.
Huic datus à pleno memorabile munus ouili
Dux pecoris hircus. auxerat hircus oues.
Rure puer verno primum de flore coronam
Fecit, & antiquis imposuit laribus.
Rure etiam teneris curam exhibitura puellis
Molle gerit tergo lucida vellus ouis.
Hinc & femineus labor est, hinc pensa, colúsque,
Fusus & apposito pollice versat opus.
Atque aliqua assidue textrix operata, Mineruam
Cantat, & à pulso tela sonat latere.
Ipse quoque inter agros, intérque armenta Cupido
Natus, & indomitas dicitur inter equas.
Illic indocto primum se exercuit arcu.
Hei mihi quàm doctas nunc habet ille manus.
Nec pecudes velut ante petit: fixisse puellas
Gestit, & audaces perdomuisse viros.
Hic iuueni detraxit opes, hic dicere iussit
Limen ad irata verba pudenda senem.
Hoc duce custodes furtim transgressa iacentes
Ad iuuenem tenebris sola puella venit:
Et pedibus pratentat iter suspensa timore,
Explerat cacas cui manus ante vias.
Ah miseri, quos hic grauiter deus vrget: at ille
Felix, cui placidus leniter afflat amor.
Sancte veni dapibus festis, sed pone sagittas,
Et procul ardentes hinc precor abde faces.
Vos celebrem cantate deum, pecorique vocate
Voce, palam pecori, clam sibi quisque vocet:

Aut etiam sibi quisque palam: nam turba iocosa
Obstrepit, & Phrygio tibia curua sono.
Ludite: iam nox iungit equos, currúmque sequuntur
Matris lasciuo sidera fulua choro:
Pósque venit tacitus fuluis circundatus alis
Somnus, & incerto somnia nigra pede.

ELEGIA II.

DIcamus bona verba: venit natalis ad aras.
Quisquis ades, lingua, vir muliérque faue.
Vrantur pia tura focis, vrantur odores,
Quos tener è terra diuite mittit Arabs.
Ipse suos genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas mollia serta comas.
Illius puro distillent tempora nardo;
Atque satur libo sit, madeátque mero.
Annuat & Cherinthe tibi quodcunque rogabis.
En age quid cessas? annuit ille, roga.
Auguror, vxoris fidos optabis amores.
Iam reor hoc ipsos edidicisse deos.
Nec tibi malueris, totum quacunque per orbem
Fortis arat valido rusticus arua boue;
Nec tibi, gemmarum quicquid felicibus vndis
Nascitur, Eoi quà maris vnda rubet.
Vota cadunt. vtinam strepitantibus aduolet alis,
Flauáque coniugio vincula portet Amor.
Vincula quæ maneant semper, dum tarda senectus
Inducat rugas, inficiátque comas.
Huc veniat natalis auis, prolémque ministret,
Ludat & ante tuos turba nouella pedes.

ELEGIA III.

RVra tenent Cornute meam, villaq́; puellam.
Ferreus est eheu, quisquis in vrbe manet.

Ipsa

Ipsa Venus latos iam nunc migrauit in agros,
Verbáque aratoris rustica discit Amor.
O ego cum dominam aspicerem, quàm fortiter illic
Versarem valido pingue bidente solum,
Agricoláq; modo curuum sectarer aratrum,
Dum subigunt steriles arua serenda boues.
Nec quererer, quòd sol graciles exureret artus,
Læderet aut teneras pustula rupta manus.
Pauit & Admeti tauros formosus Apollo;
Nec cithara, intonsæ profuerúntve comæ:
Nec potuit curas sanare salubribus herbis.
Quicquid erat medicæ vicerat artis Amor.
Ipse deus solitus stabulis expellere vaccas,

*

Et miscere nouo docuisse coagula lacte,
Lacteus & mistis obriguisse liquor.
Tunc fiscella leui detexta est vimine iunci,
Raráque per nexus est via facta sero.
Ah quoties, illo vitulum gestante per agros.
Dicitur occurrens erubuisse soror.
Ah quoties ausæ, caneret dum valle sub alta,
Rumpere mugitu carmina docta boues.
Sæpe duces trepidis petiere oracula rebus:
Venit & à templis irrita turba domum.
Sæpe horrere sacros doluit Latona capillos,
Quos admirata est ipsa nouerca prius.
Quisquis inornatúmque caput, crinésque solutos
Aspiceret, Phœbi quæreret ille comam.
Delos vbi nunc Phœbe tua est, vbi delphica Pytho?
Nempe Amor in parua te iubet esse casa.
Felices olim, Veneri cum fertur aperte
Seruire æternos non puduisse deos.

Fabula nunc ille est: sed cui sua cura puella
Fabula sit, mauult, quàm sine amore deus.
At tu quisquis is es, cui tristi fronte Cupido
Imperitat, nostra sint tua castra domo.
Ferrea non venerem, sed prædam sæcula laudant.
Præda tamen multis est adoperta malis.
Præda feras acies cingit discordibus armis:
Hinc cruor, hinc cædes, mors propiorq́; venit.
Præda vago iussit geminare pericula ponto,
Bellica cum dubijs rostra dedit ratibus.
Prædator cupit immensos obsidere campos,
Ut multo innumeram iugere pascat ouem.
Cui lapis externus cura est; vrbisque tumultu,
Portatur validis multa columna iugis.
Claudit & indomitum moles mare, lentus vt intra
Negligat hibernas piscis adesse minas.
At tibi læta trahant Samiæ conuiuia testæ,
Fictáque Cumana lubrica terra rota.
Eheu diuitibus video gaudere puellas:
Iam veniant prædæ, si Venus optat opes:
Vt mea luxuria Nemesis fluat, vtq́; per vrbem
Incedat donis conspicienda meis.
Illa gerat vestes tenues, quas fœmina Cea
Texuit, auratas disposuitque vias.
Illi sint comites fusci, quos India torret,
Solis & admotis inficit ignis equis.
Illi selectos certent præbere colores
Africa puniceum, purpureúmque Tyros.
Nota loquor. regnum ipse tenet, quem sæpe coegit
Barbara gipsatos ferre catasta pedes.
At tibi dura seges, Nemesim qui abducis ab vrbe,
Persoluat nulla semina terra fide.

Et tu

Et tu Bacche tener, iucundæ consitor vuæ,
Tu quoque deuotos Bacche relinque lacus.
Haud impune licet formosas tristibus agris
Abdere. non tanti sunt tua musta pater.
O valeant fruges: ne sint modo rure puellæ,
Glans alat, & prisco more bibantur aquæ.
Glans aluit veteres, & passim semper amarunt.
Quid nocuit, sulcos non habuisse satos?
Tum, quibus aspirabat Amor, præbebat aperte
Mitis in vmbrosa gaudia valle Venus.
Nullus erat custos, nulla exclusura dolentes
Ianua. si fas est, mos precor ille redi.
Ah pereant artes, & mollia iura colendi,

*

O vtinam veteri peragrantes more puellæ
Horrida villosa corpora veste tegant.
Nunc, si clausa mea est, si copia rara videndi,
Heu miserum laxam quid iuuat esse togam?
Ducite. ad imperium dominæ sulcabimus agros:
Non ego me vinclis, verberibúsque nego.

ELEGIA IIII.

Sic mihi seruitium video dominámque paratam.
Iam mihi libertas illa paterna vale.
Seruitium sed triste datur, teneórque catenis,
Et nunquam misero vincla remittit Amor.
Et, seu quid merui, seu quid peccauimus, vror.
Vror, io remoue sæua puella faces.
O ego, ne possim tales sentire dolores,
Quàm mallem in gelidis montibus esse lapis;
Stare vel insanis cautes obnoxia ventis,
Naufraga quam vasti tunderet vnda maris.
Nunc & amara dies, & noctis amarior vmbra est.

Omnia nam tristi tempora felle madent.
Nec prosunt elegi, nec carminis auctor Apollo.
Illa caua pretium flagitat vsque manu.
Ite procul Musæ, si non prodestis amanti.
Non ego vos, vt sint bella canenda, colo.
Nec refero solisque vias, & qualis, vt orbem
Compleuit, versis luna recurrat equis.
Ad dominam faciles aditus per carmina quaro.
Ite procul Musæ, si nihil ista valent.
At mihi per cædem, & facinus sunt dona paranda;
Ne iaceam clausam flebilis ante domum.
Aut rapiam suspensa sacris insignia fanis.
Sed Venus ante alios est violanda mihi.
Illa malum facinus suadet, dominámque rapacem
Dat mihi: sacrilegas sentiat illa manus.
O pereat quicunque legit viridésque smaragdos,
Et niueam Tyrio murice tingit ouem.
Hic dat auaritiæ caussas, & Cea puellis
Vestis, & è rubro lucida concha mari.
Hæc fecere malas: hinc clauem ianua sensit,
Et cœpit custos liminis esse canis.
Sed pretium si grande feras, custodia victa est,
Nec prohibent claues, & canis ipse tacet.
Heu quicunque dedit formam cælestis auaræ,
Quale bonum multis attulit ipse malis.
Hinc fletus, rixǽque sonant: hæc denique caussa
Fecit, vt infamis hic deus esset Amor.
At tibi, quæ pretio victos excludis amantes,
Eripiant partas ventus, & ignis opes.
Quin tua tunc iuuenes spectent incendia læti,
Nec quisquam flāmæ sedulus addat aquam:
Seu veniet tibi mors, neque erit, qui lugeat, vllus,

Nec

Nec qui det mœstas munus in exequias.
At bona, quæ nec auara fuit, centum licet annos
Vixerit, ardentem flebitur ante rogum.
Atque aliquis senior, veteres veneratus amores,
Annua constructo serta dabit tumulo,
Et, bene, discedens dicet, placidéque quiescas,
Terráque secura sit super ossa leuis.
Vera quidem moneo: sed prosunt quid mihi vera?
Illius est nobis lege colendus amor.
Quin etiam sedes iubeat si vendere auitas,
Ite sub imperium, sub titulúmque lares.
Quicquid habet Circe, quicquid Medea veneni,
Quicquid & herbarum Thessala terra gerit,
Et quod, vbi indomitis gregibus Venus afflat amores,
Hippomanes cupidæ stillat ab inguine equæ.
Si modo me placido videat Nemesis mea vultu;
Mille alias herbas misceat illa, bibam.

ELEGIA V.

Phœbe faue, nouus ingreditur tua templa sacerdos,
Huc age cum cithara, carminibúsque veni.
Nunc te vocales impellere pollice chordas,
Nunc precor ad laudes flectere verba meas.
Ipse triumphali deuinctus tempora lauro,
Dum cumulant aras, ad tua sacra veni:
Sed nitidus, pulchérque veni, nunc indue vestem
Sepositam, longas nunc bene pecte comas.
Qualem te memorant, Saturno rege fugato,
Victori laudes concinuisse Ioui.
Tu procul euentura vides: tibi deditus augur
Scit bene, quid fati prouida cantet auis.
Túque regis sortes: per te præsentit haruspex,
Lubrica signauit cum deus exta notis.

Te duce Romanos nunquam frustrata sibylla est,
Abdita quæ senis fata canit pedibus.
Phœbe sacras Messallinum sine tangere chartas
Vatis,& ipse precor,quid canat illa,doce.
Hæc dedit Æneæ sortes,postquam ille parentem
Dicitur,& captos sustinuisse lares.
Hæc fore credebat Romam,cum mæstus ab alto
Ilion,ardentes respiceretque deos.
Romulus æternæ nondum fundauerat vrbis
Mœnia,consorti non habitanda Remo.
Sed tunc pascebant herbosa palatia vaccæ,
Et stabant humiles in Iouis arce casæ.
Lacte madens illic suberat Pan ilicis vmbræ,
Et facta agresti lignea falce Pales,
Pendebátque vagi pastoris in arbore votum
Garrula siluestri fistula sacra deo,
Fistula,cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera iungitur vsque minor.
At,qua Velabri regio patet,ire solebat
Exiguus pulla per vada lynter aqua.
Illa sæpe,gregis diti placitura magistro,
Ad iuuenem festa est vecta puella die:
Cum qua fœcundi redierunt munera ruris,
Caseus,& niueæ candidus agnus ouis.
Impiger Ænea volitantis frater amoris,
Troica qui profugis sacra vehis ratibus,
Iam tibi Laurentes assignat Iuppiter agros,
Iam vocat errantes hospita terra lares.
Illic sanctus eris,cum te veneranda Numici
Vnda deum cælo miserit indigetem.
Ecce super fessas volitat Victoria puppes:
Tandem ad Troianos diua superba venit.

Ecce

Ecce mihi lucent Rutulis incendia castris.
Iam tibi prædico barbare Turne necem.
Ante oculos Laurens castrum, murúsque Lauini est,
Albáque ab Ascanio condita longa duce.
Te quoque iam video, Marti placitura sacerdos
Ilia, Vestales deseruisse focos,
Concubitúsque tuos furtim, vittásque iacentes,
Et cupidi ad ripas arma relicta dei.
Carpite nunc tauri de septem montibus herbas,
Dum licet: hic magnæ nam locus vrbis erit.
Roma tuum nomen terris fatale regendis,
Quà sua de cælo prospicit arua Ceres,
Quáque patent ortus, & quà fluitantibus vndis
Solis anhelantes abluit amnis equos.
Troia quidem tunc se mirabitur, & sibi dicet
Vos bene tam longam consuluisse viam.
Vera cano: sic vsque sacras innoxia lauros
Vescar, & æternum sit mihi virginitas.
Hæc cecinit vates, & te sibi Phœbe vocauit,
Iactauit fusas & caput ante comas.
Quicquid Amalthea, quicquid Marpesia dixit,
Eryphile Phœbo grata quod admonuit,
Quásque Albana sacras Tiberis per flumina sortes
Portarit, sicco perlueritque sinu.
Hæ fore dixerunt belli mala signa cometen,
Multus vt in terras deplueritque lapis.
Atque tubas, atque arma ferunt strepitantia cælo
Audita, & lucos præcinuisse fugam.
Ipsum etiam solem defectum lumine vidit
Iungere pallentes nubilus annus equos,
Et simulacra deum lacrymas fudisse tepentes,
Fatáque vocales præmonuisse boues.

Hæc fuerant olim: sed tu iam mitis Apollo
Prodigia indomitis merge sub æquoribus:
Et succensa sacris crepitet bene laurea flammis;
Omine quo fœlix, & sacer annus eat.
Laurus ubi bona signa dedit, gaudete coloni.
Distendet spicis horrea plena Ceres.
Oblitus & musto feriet pede rusticus vuas,
Dolia dum, magni deficiúntque lacus.
At madidus Baccho sua festa Palilia pastor
Concinet. à stabulis tunc procul este lupi.
Ille leuis stipulæ solennis potus aceruos
Accendet, flammas transiliétque sacras.
Et fœtus matrona dabit, natúsque parenti
Oscula compressis auribus eripiet.
Nec tædebit auum paruo aduigilare nepoti,
Balbáque cum puero dicere verba senem.
Tunc operata deo pubes discumbet in herba,
Arboris antiquæ quà leuis vmbra cadet.
Aut è veste sacris tendent vmbracula sertis
Vincta, coronatus stabit & ipse calix.
At sibi quisque dapes, & festas extruet alte
Cespitibus mensas, cespitibúsque torum.
Ingeret hic potus iuuenis maledicta puellæ,
Postmodo quæ votis irrita facta velit.
Nam ferus ille suæ plorabit sobrius idem,
Et se iurabit mente fuisse mala.
Pace tua, pereant arcus, pereántque sagittæ
Phœbe, modo in terris erret inermis Amor.
Ars bona; sed postquam sumpsit sibi tela Cupido,
Hei mihi quàm multis ars dedit illa malum,
Et mihi præcipue, taceo cum saucius annum,
Et faueo morbo, cum iuuat ipse dolor.

Vixque

Vixque cano Nemesim, sine qua versus mihi nullus
Verba potest, iustos aut reperire pedes.
At tu, (nam diuum seruat tutella poetas)
Pramoneo, vati parce puella sacro.
Ut Messallinum celebrem, cum, pramia belli,
Ante suos currus oppida victa feret,
Ipse gerens laurus, lauro deuinctus agresti,
Miles io magna voce triumphe canet.
Tunc Messalla meus pia det spectacula turbæ,
Et plaudat curru prætereunte pater.
Annue: sic tibi sint intonsi Phœbe capilli,
Sic tua perpetuo sit tibi casta soror.

ELEGIA VI.

Castra Macer sequitur. tenero quid fiet Amori?
Sit comes, & collo fortiter arma gerat.
Et seu longa virum terra via, seu vaga ducent
Æquora, cum telis ad latus ire volet.
Vre puer quæso tua qui ferus ocia liquet,
Atque iterum erronem sub tua signa voca.
Quòd si militibus parces, erit hic quoque miles
Ipse, leuem galea qui sibi potet aquam.
Castra peto, valeátque Venus, valeántque puellæ.
Et mihi sunt vires, & mihi grata tuba est.
Magna loquor, sed magnifice mihi magna locuto
Excutiunt clausæ fortia verba fores.
Iuraui quoties, rediturum ad limina nunquam.
Cum bene iuraui, pes tamen ipse redit.
Acer Amor fractas vtinam tua tela sagittas,
Scilicet extinctas aspiciámque faces.
Tu miserum torques: tu me mihi dira precari
Cogis, & insana mente nefanda loqui.
Iam mala finissem leto: sed credula vitam

Spes

Spes fouet, & , melius cras fore, semper ait.
Spes alit agricolas: spes sulcis credit aratis
Semina, quæ magno fœnore reddat ager.
Hæc laqueo volucres, hæc captat arundine pisces,
Cum tenues hamos abdidit ante cibus.
Spes etiam valida solatur compede vinctum:
Crura sonant ferro, sed canit inter opus.
Spes facilem Nemesim spondet mihi, sed negat illa.
Hei mihi ne vincas dura puella deam.
Parce, per immatura tuæ precor ossa sororis.
Sic bene sub tenera parua quiescat humo.
Illa mihi sancta est: illius dona sepulchro,
Et madefacta meis serta feram lacrymis.
Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,
Et mea cum muto fata quærar cinere.
Non feret vsque suum te propter flere clientem.
Illius, vt, verbis, sis mihi dura, veto.
Ne tibi neglecti mittant mala somnia manes,
Mœstáque sopitæ stet soror ante torum.
Qualis ab excelsa præceps delapsa fenestra
Venit ad infernos sanguinolenta lacus.
Desino, ne dominæ luctus renouentur acerbi.
Non ego sum tanti, ploret vt illa semel.
Nec lacrymis oculos digna est fœdare loquaces.
Lena nocet nobis: ipsa puella bona est.
Lena vetat miserum Phryne, furtimque tabellas
Occulto portans itque, reditque sinu.
Sæpe ego cum dominæ dulces à limine diro
Agnosco voces, hæc negat esse domi.
Sæpe vbi nox promissa mihi est, languere puellam
Nunciat, aut aliquas extimuisse minas.
Tunc morior curis: tunc mens mea perdita fingit,

Quis

Quisve meam teneat, quot tenearve modis:
Tunc tibi lena precor diras, satis anxia viuas,
Mouerit è votis pars quotacunque deos.

ALBII TIBVLLI, EQVITIS ROMANI

LIBER III.

MARTIS *Romani festæ venere calendæ.*
Exoriens nostris hic fuit annus auis.
Et vaga nunc certa discurrunt vndique pompa,
Pérque vias vrbis munera, pérque domos.
Dicite Pierides, quónam donetur honore
Seu mea, seu fallor, cara Neæra tamen.
Carmine formosæ, pretio capiuntur auaræ:
Gaudeat, vt digna est, versibus illa tuis.
Lutea sed niueum inuoluat membrana libellum.
Pumex & canas tondeat ante comas,
Summáque prætexat tenuis fastigia chartæ,
Indicet vt nomen littera facta tuum:
Atque inter geminas pingantur cornua frontes.
Sic etenim comptum mittere oportet opus.
Per vos auctores huius mihi carminis oro,
Castaliámque vmbram, Pierióſque lacus,
Ite domum, cultúmque illi donate libellum,
Sicut erit: nullus defluat inde color.
Illa mihi referat, si nostri mutua cura est,
An minor, an toto pectore deciderim.

Sed

Sed primum nympham larga donate salute,
Atque hæc submisso dicite verba sono.
Hæc tibi vir quondam, nunc frater, casta Neæra,
Mittit, &, accipias munera parua, rogat.
Téque suis iurat caram magis esse medullis,
Siue sibi coniux, siue futura soror:
Sed potius coniux: huius spem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.

ELEGIA II.

QVi primum caram iuueni, carúmque puellæ
Eripuit iuuenem, ferreus ille fuit.
Durus & ille fuit, qui tantum ferre dolorem,
Viuere & erepta coniuge qui potuit.
Non ego firmus in hoc: non hæc patientia nostro
Ingenio. frangit fortia corda dolor.
Nec mihi vera loqui pudor est, vitaq́; fateri
Tot mala perpessæ, tæt superesse meæ.
Ergo ego cum tenuem fuero mutatus in vmbram,
Candidáque ossa super nigra fauilla teget,
Ante meum veniat longos incompta capillos,
Et fleat ante meum mœsta Neæra rogum.
Sed veniat caræ matris comitata dolore:
Mæreat hæc genero, mæreat illa viro.
Præfatæ ante meos manes, animámque precatæ,
Perfusæq́; pias ante liquore manus,
Pars quæ sola mei superabit corporis, ossa
Incinctæ nigra candida veste legant;
Et primum annoso spargant collecta Lyæo,
Mox etiam niueo fundere lacte parent.
Post hæc carbaseis humorem tollere velis,
Atque in marmorea ponere sicca domo.
Illic, quas mittit diues Panchaia merces,

Eoique Arabes, pinguis & Assyria.
Et nostri memores lacrymæ fundantur eodem.
Sic ego componi versus in ossa velim.
Sed tristem mortis demonstret littera caussam,
Atque hæc in celebri carmina fronte notet.
Lygdamus hic situs est. dolor huic, & cura Neæra
Coniugis ereptæ caussa perire fuit.

ELEGIA III.

QVid prodest cælum votis implesse Neæra?
Blandáque cum multa tura dedisse prece?
Non vt marmorei prodirem è limine tecti
Insignis clara, conspicuúsque domo,
Aut vt multa mei renouarent iugera tauri,
Et magnas messes terra benigna daret:
Sed tecum vt longæ sociarem gaudia vitæ,
Inq; tuo caderet nostra senecta sinu:
Tunc cum permenso defunctus tempore lucis
Nudus Lethæa cogerer ire rate.
Nam graue quid prodest pondus mihi diuitis auri,
Aruáque si findant pinguia mille boues?
Quidve domus prodest Phrygijs innixa columnis,
Tænare siue tuis, siue Caryste tuis?
Et nemora in domibus sacros imitantia lucos,
Aurataq; trabes, marmoreúmque solum?
Quidve in Erythræo legitur quæ littore concha,
Tinctáque Sidonio murice lana iuuat?
Et quæ præterea populus miratur in illis,
Inuida quæ falso plurima vulgus amat.
Non opibus mentes homini, curæq; leuantur:
Nam Fortuna sua tempora lege regit.
Sit mihi paupertas tecum iucunda Neæra.
At sine te regum munera nulla volo.

O niue

O niueam, quæ te poterit mihi reddere, lucem.
O mihi felicem térque, quatérque diem.
At si pro dulci reditu, quæcunque vouentur,
Audiat auersa non meus aure deus:
Nec me regna iuuent, nec Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.
Hæc alij cupiant: liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui.
Assis, & timidis faueas Saturnia votis,
Et faueas concha Cypria vecta tua.
Aut, si fata negant reditum, tristésque sorores,
Stamina quæ ducunt, quæq; futura neunt;
Me vocet in vastos amnes, nigrámque paludem
Diues in ignaua luridus Orcus aqua.

ELEGIA IIII.

DI meliora ferant, nec sint insomnia vera,
Quæ tulit hesterna pessima nocte quies.
Ite procul vani, falsúmq; auertite visum,
Desinite in votis quærere velle fidem.
Diui vera monent: venturæ nuncia sortis,
Vera monent Tuscis exta probata viris.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.
At natum in curas hominum genus, omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale.
Et tamen, vtcunque est, siue illi vera monenti,
Mendaci somno credere siue volent;
Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum pertimuisse velit:
Si mea nec turpi mens est obnoxia facto,
Nec læsit magnos impia lingua deos.
Iam nox ætherium nigris emensa quadrigis

Mund

Mundum cæruleo lauerat amne rotas.
Nec me sopierat menti deus vtilis ægræ
Somnus. solicitas deficit ante domos.
Tandem, cum summo Phœbus prospexit ab ortu,
Pressit languentis lumina sera quies.
Hic iuuenis casta redimitus tempora lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
Non illo quicquam formosius vlla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
Intonsi crines longa ceruice fluebant,
Stillabat Tyrio myrrhea rore coma.
Candor erat, qualem præfert Latonia luna,
Et color in niueo corpore purpureus.
Vt iuueni primum virgo deducta marito,
Inficitur teneras ore rubente genas.
Vt cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent.
Ima videbatur talis illudere palla.
Nanque hæc in nitido corpore vestis erat.
Artis opus raræ, fulgens testudine & auro
Pendebat læua garrula parte lyra.
Hanc primum veniens plectro modulatus eburno,
Felices cantus ore sonante dedit.
Sed postquam fuerant digiti cum voce locuti,
Edidit hæc tristi dulcia verba modo.
Salue cura deum: casto nam rite poetæ,
Phœbúsque, & Bacchus, Pieridésque fauent.
Sed proles Semeles Bacchus, doctæq; sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens.
At mihi fatorum leges, æuíque futuri
Euentura pater posse videre dedit.
Quare, ego quæ dico non fallax, accipe, vates,

Quódque deus vero Cynthius ore ferat.
Tantum cara tibi, quantum nec filia matri,
Quantum nec cupido bella puella viro,
Pro qua solicitas cælestia numina votis,
Quæ tibi securos non sinit ire dies,
Et, cum te fusco somnus velauit amictu,
Vanum nocturnis fallit imaginibus.
Carminibus celebrata tuis formosa Neæra
Alterius mauult esse puella viri:
Diuersásque suas agitat mens impia curas,
Nec gaudet casta nupta Neæra domo.
Ah crudele genus, nec fidum femina nomen:
Ah pereat, didicit fallere si qua virum.
Sed flecti poterit. mens est mutabilis illi.
Tu modo cum multa brachia tende fide.
Sæuus amor docuit dominæ fera verba minantis:
Sæuus amor docuit verbera posse pati.
Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas,
Non est in vanum fabula ficta iocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos.
Sed perlucenti cantus meditabar auena,
Ille ego Latonæ filius atque Iouis.
Nescis quid sit amor iuuenis, si ferre recusas
Immitem dominam, coniugiúmque ferum.
Ergò ne dubita blandas adhibere querelas.
Vincuntur molli pectora dura prece.
Quòd si vera canunt sacris oracula templis,
Hæc illi nostro nomine dicta refer.
Hoc tibi coniugium promittit Delius ipse
Felix. hoc alium desine velle virum.
Dixit, & ignauus defluxit corpore somnus.

Ah ego ne possim tanta videre mala.
Nec tibi crediderim votis contraria vota,
Nec tantum crimen pectore inesse tuo.
Nam te nec vasti genuerunt aequora ponti,
Nec flammam voluens ore Chimaera fero.
Nec canis anguinea redimitus terga caterua,
Cui tres sunt linguae, tergeminúmque caput,
Scylláque virgineam canibus submista figuram.
Nec te conceptam saeua leaena tulit.
Barbara nec Scythiae tellus, horrendáve Syrtis,
Sed culta, & diris non habitanda domus,
Et longe ante alias omnes mitissima mater,
Isq; pater, quo non alter amabilior.
Haec deus in melius crudelia somnia vertat,
Et iubeat tepidos irrita ferre notos.

ELEGIA V.

VOs tenet Etruscis manat quae fontibus vnda,
Vnda sub aestiuum non adeunda canem,
Nunc autem sacris Baiarum maxima lymphis,
Cum se purpureo vere remittit humus.
At mihi Persephone nigram denunciat horam.
Immerito iuueni parce nocere dea.
Non ego tentaui nulli temeranda deorum
Audax laudandae sacra docere deae:
Nec mea mortiferis infecit pocula succis
Dextera, nec cuiquam certa venena dedi:
Nec nos sacrilegos templis admouimus ignes,
Nec cor solicitant facta nefanda meum:
Nec nos insanae meditantes iurgia linguae
Impia in aduersos soluimus ora deos.
Et nondum cani nigros laesere capillos,
Nec venit tardo curua senecta pede.

Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul vterque pari.
Quid fraudare iuuat vitem crescentibus vuis?
Et modo nata mala vellere poma manu?
Parcite, pallentes vndas quicunque tenetis,
Duráque sortiti tertia regna dei.
Elysios olim liceat cognoscere campos,
Lethaeámque ratem, Cimmeriósque lacus;
Cum mea rugosa pallebunt ora senecta,
Et referam pueris tempora prisca senex.
Atque vtinam vano nequicquam terrear aestu:
Languent ter quinos sed mea membra dies.
At vobis Thusca celebrantur numina lymphae,
Et facilis lenta pellitur vnda manu.
Viuite felices, memores & viuite nostri;
Siue erimus, seu nos fata fuisse velint.
Interea nigras pecudes promittite Diti,
Et niuei lactis pocula mista mero.

ELEGIA VI.

Candide Liber ades. sic sit tibi mystica vitis,
Sic edera semper tempora vincta feras.
Aufer & ipse meum pariter medicando dolorem:
Saepe tuo cecidit munere victus Amor.
Care puer, madeant generoso pocula Baccho:
Et nobis prona funde falerna manu.
Ite procul durum curae genus, ite labores.
Fulserit hic niueis Delius alitibus.
Vos modo proposito dulces faueatis amici,
Néve neget quisquam me duce se comitem.
At si quis vini certamen mite recusat,
Fallat eum tecto cara puella dolo.
Ille facit dites animos deus: ille ferocem

Contu

Contudit, & dominæ misit in arbitrium.
Armenias tigres, & fuluas ille leænas
Vicit, & indomitis mollia corda dedit.
Hæc Amor, & maiora volet, sed poscite Bacchi
Munera. quem vestrum pocula sicca iuuant?
Conuenit ex æquo, nec toruus Liber in illos,
Qui se, quique vnà vina iocosa colunt.
Iam venit iratus nimium, nimiúmque seuerus.
Qui timet irati numina magna, bibat.
Quales his pœnas deus hic, quantúmque minetur,
Cadmeæ matris præda cruenta docet.
Sed procul à nobis hic sit timor; illáque, si qua est,
Quid valeat læsi, sentiat, ira dei.
Quid precor ah demens? venti temeraria vota
Aeria & nubes diripienda ferant.
Quamuis nulla mei superest tibi cura Neæra,
Sis felix, & sint candida fata tua.
At nos securæ reddamus tempora mensæ.
Venit post multas vna serena dies.
Hei mihi difficile est imitari gaudia falsa,
Difficile est tristi fingere mente iocum.
Nec bene mendaci risus componitur ore,
Nec bene solicitis ebria verba sonant.
Quid queror infelix? turpes discedite curæ.
Odit Lenæus tristia verba pater.
Gnosia Theseæ quondam periuria linguæ
Fleuisti ignoto sola relicta mari.
Sic cecinit pro te doctus Minoi Catullus.
Ingrati referens impia facta viri.
Vos ego nunc moneo. felix, quicunque dolore
Alterius disces posse carere tuo.
Nec vos aut capiant pendentia brachia collo,

Aut fallat blanda sordida lingua fide.
Et si pérque suos fallax iurauit ocellos,
Iunonémque suam, pérque suam Venerem;
Nulla fides inerit. periuria ridet amantum
Iuppiter, & ventos irrita ferre iubet.
Ergo quid toties fallacis verba puellæ
Conqueror? ite à me seria verba, precor.
Quàm vellem longas tecum requiescere noctes,
Et tecum longos peruigilare dies.
Perfida, nec merito nobis inimica: merenti
Perfida, sed quamuis perfida, cara tamen.
Naiada Bacchus amat. cessas ô lente minister?
Temperet annosum Martia lympha merum.
Non ego, si fugiat nostræ conuiuia mensæ
Ignotum cupiens vana puella torum,
Solicitus repetam tota suspiria nocte.
Tu puer & liquidum fortius adde merum.
Iandudum Tyrio madefactus tempora nardo
Debueram sertis implicuisse comas.

ALBII TIBVLLI,

EQVITIS ROMANI,

LIBER IIII.

TE Messalla canam, quanquam mea cognita virtus
Terret, vt infirmæ valeant subsistere vires.
Incipiam tamen: ac, meritas si carmina laudes

Desi

Deficiant, humilis tantis sim conditor actis.
Nec tua, te prater, chartis intexere quisquam
Facta queat, dictis ut non maiora supersint.
Est nobis voluisse satis. nec munera parua
Respueris. etiam Phœbo gratissima dona
Cres tulit, & cunctis Baccho iucundior hospes
Icarus, ut puro testantur sidera cælo,
Erigonéque, canisque: neget ne longior ætas.
Quin etiam Alcides deus ascensurus Olympum
Læta Molorcheis posuit vestigia tectis,
Paruáque cælestes pacauit mica, nec illis
Semper inaurato taurus cadit hostia cornu.
Hic quoque sit gratus paruus labor, ut tibi possim
Inde alios, aliósque memor componere versus.
Alter dicat opus magni mirabile mundi,
Qualis in immenso desederit aere tellus,
Qualis & in curuum pontus confluxerit orbem,
Et vagus è terris, quà surgere nititur aer,
Huic & contextus passim fluat igneus æther,
Pendentique super claudantur ut omnia cælo.
At quodcunque meæ poterunt audere camœnæ,
Seu tibi par poterunt, seu, quod spes abnuit, vltra,
Siue minus, certéque canent minus, omne mouemus
Hoc tibi, ne tanto careat mihi nomine charta.
Nam, quanquam antiquæ gentis superent tibi laudes,
Non tua maiorum contenta est gloria fama,
Nec quæris quid qua iudex sub imagine dicat,
Sed generis priscos contendis vincere honores,
Quam tibi maiores, maius decus ipse futuris.
At tua non titulus capiet sub nomine facta,
Æterno sed erunt tibi magna volumina versu,
Conueniéntque tuas cupidi componere laudes

Vndique quique canent vincto pede, quique soluto.
Quis potius, certamen erit. sim victor in illis,
Vt nostrum tantis inscribam nomen in actis.
Quisque tibi maiora gerit castrísve, forôve,
Nec tamen hinc, aut hinc, tibi laus maiórve, minórve,
Iusta pari premitur veluti cum pondere libra
Prona, nec hac plus parte sedet, nec surgit ab illa.
Qualis, in æquatum si quando onus vrget vtrinque,
Instabilis natat alterno depressior orbe.
Nam seu diuersi fremat inconstantia vulgi,
Non alius sedare queat: seu iudicis ira
Sit placanda, tuis poterit mitescere verbis.
Non Pylos, aut Ithace tantos genuisse feruntur,
Nestora, vel paruæ magnum decus vrbis Vlyssem,
Vixerit ille senex quamuis, dum terna per orbem
Secula fertilibus Titan decurreret horis.
Ille per ignotas audax errauerit vrbes,
Quà maris extremis tellus includitur vndis.
Nam Cyconúmque manus aduersis reppulit armis:
Non valuit Cyclops cœptos auertere cursus:
Cessit & Ætnææ Neptunius incola rupis
Victa Maroneo fœdatus lumina Baccho.
Vexit & Æolios placidum per Nerea ventos,
Incultos adijt Lestrygonas, Antiphatén que,
Nobilis Artaciæ gelidæ quos irrigat vnda.
Solum nec doctæ verterunt pocula Circes:
Quamuis illa foret solis genus, apta vel herbis,
Aptáque vel cantu veteres mutare figuras.
Cimmerium etiam obscuras accessit ad oras,
Queis nunquam candente dies apparuit ortu.
Siue super terras Phœbus, seu curreret infra.
Vidit, vt inferno Plutoni subdita regna

Magna

Magna deum proles leuibus discurreret vmbris.
Prateriitq́ cita Sirenum littora puppi.
Illum tergeminæ nantem confinia mortis
Nec Scyllæ sæuo conterruit impetus orbe,
Cum canibus rapidas inter freta serperet vndas,
Nec violenta suo consumpsit more Charybdis,
Vel si sublimis fluctu consurgeret imo,
Vel si interrupto nudaret gurgite pontum.
Non violata vagi sileantur pascua solis.
Non amor,& fœcunda Atlantidos arua Calypsus,
Finis & errorum misero Phæacia tellus.
Atque hæc seu nostras inter sunt cognita terras,
Fabula siue nouum dedit his erroribus orbem,
Sit labor illius,tua dum facundia maior.
Nam te non alius belli tenet aptius artes,
Quà deceat tutam castris prœducere fossam,
Qualiter aduersos hosti defigere neruos,
Quémve locum ducto melius sit claudere vallo,
Fontibus vt dulces erumpat terra liquores:
Ut facilisque tuis aditus sit,& arduus hosti,
Laudis & assiduo vigeat certamine miles.
Quis tardámve sudem melius,celerémve sagittam
Iecerit,aut lento perfregerit obuia pilo?
Aut quis equum celerémve arcto compescere fræno
Possit,& effusas tardo permittere habenas?
Inq́ vicem modo directo contendere cursu,
Seu libeat curuo breuius contendere gyro,
Parma seu quos dextra velit,seu læua tueri,
Siue hac,siue illac grandis venit impetus hastæ,
Amplius aut signata cita loca tangere funda.
Iam simul audacis veniunt certamina Martis,
Aduersisq́ parant acies concurrere signis.

Tunc tibi non desit, faciem componere pugnæ,
Seu sit opus quadratum acies consistat in agmen,
Rectus inæquatis concurrat frontibus ordo:
Seu libeat duplicem, seu iunctum cernere Martem,
Dextráque vt læuum teneat, dextrúmque sinistra
Miles, sitq; duplex gemini victoria casu.
At non per dubias errant mea carmina laudes.
Nam bellis experta cano. testis mihi victæ
Fortis Iapygiæ miles, testis quoque fallax
Pannonius, gelidas passim disiectus in Alpes.
Testis Arupinus, & pauper natus in armis.
Quem si quis videat vetus vt non fregerit ætas,
Terna minus Pyliæ miretur sæcula famæ.
Nanque senex longe peragit dum sæcula vitæ,
Centum fœcundos Titan renouauerit annos,
Ipse tamen velox celerem super edere corpus
Audet equum, validísque sedet moderator habenis.
Te duce non alias conuersus terga domator
Libera Romanæ subiecit colla catenæ.
Nec tamen his contentus eris: maiora peractis
Instant, compertum est veracibus vt mihi signis,
Queis Amithaonius nequeat certare Melampus.
Nam modo fulgentem Tyrio subtegmine vestem
Indueras, oriente die duce fertilis anni,
Splendidior liquidis cum sol caput extulit vndis,
Et fera discordes tenuerunt flamina venti,
Curua nec assuetos egerunt flumina cursus,
Quin rapidum placidis etiam mare constitit vndis,
Vlla nec aerias volucris perlabitur auras,
Nec quadrupes densas depascitur aspera siluas:
Quin largita tuis sunt multa silentia votis.
Iuppiter ipse leui vectus per inania curru

Affuit, & cælo vicinum liquit Olympum,
Intentáque tuis precibus se præbuit aure,
Cunctáque veraci capite annuit additus aris.
Lætior eluxit structos super ignis aceruos.
Quin, hortante deo, magnis insistere rebus
Incipe. non ijdem tibi sunt, aliíque triumphi.
Non te vicino remorabitur obuia Marte
Gallia, nec latis audax Hispania terris,
Nec fera Rhetæo tellus obsessa colono,
Nec quà vel Nilus, vel regia lympha Diaspes
Profluit, aut rapidus Cyri dementia Gindes,
Cretais ardens aut vnda Caristia campis.
Nec quà regna vago Tomyris finiuit Araxe,
Impia nec sæuis celebrans conuiuia mensis.
Vltima vicinus Phœbo tenet arua Padæus,
Quáq; Hebrus, Tanaísque Getas rigat, atq; Mosines.
Quid moror? oceanus ponto qua continet orbem,
Nulla tibi aduersis regio sese offeret armis.
Te manet inuictus Romano marte Britannus,
Téque interiecto mundi pars altera sole.
Nam circumfuso consistit in aere tellus,
Et quinque in partes totus disponitur orbis,
Atque duæ gelido vastantur frigore semper.
Illic & densa tellus absconditur vmbra,
Et nulla incepto perlabitur vnda liquore,
Sed durata riget densam in glaciémque, niuémque,
Quippe ibi non vnquam Titan super ingerit ortus.
At media est Phœbi semper subiecta calori,
Seu propior terris æstiuum fertur in orbem,
Seu celer hibernas properat decurrere luces.
Non ergo presso tellus consurgit aratro:
Nec frugem segetes præbent, nec pabula terra.

Non

Non illic colit arua deus, Bacchúsve, Cerésve,
Nulla nec exustas habitant animalia partes.
Fertilis hanc inter posita, intérque rigentes,
Nostráque & huic aduersa solo pars altera nostro,
Quas similes vtrinque tenens vicinia cæli
Temperat: alter & alterius vires necat aer.
Hinc placidus nobis per tempora vertitur annus.
Hic & colla iugo didicit summittere taurus,
Et lenta excelsos vitis conscendere ramos,
Tondetúrque seges maturos annua partus,
Et ferro tellus, pontus confinditur ære.
Quin etiam structis exurgunt oppida muris.
Ergo vbi præclaros poscent tua facta triumphos,
Solus vtroque idem diceris magnus in orbe.
Non ego sum satis ad tantæ præconia laudis,
Ipse mihi non si præscribat carmina Phœbus.
Est tibi, qui possit magnis se accingere rebus,
Valgius. æterno propior non alter Homero.
Languida non noster peragit labor ocia, quamuis
Fortuna, vt mos est illi, me aduersa fatiget.
Nam mihi cum magnis opibus domus alta niteret,
Cui fuerant flaui ditantes ordine sulci,
Horrea fœcundis indeficientia mensis,
Cuique pecus denso pascebant agmine colles,
Et domino satis, & nimium furique, lupóque;
Nunc desiderium superest. nam cura nouatur,
Cum memor accitos semper dolor admonet annos.
Sed licet asperiora cadant, spoliérque relictis;
Non te deficient nostræ memorare camœnæ:
Nec solum tibi Pierij tribuentur honores:
Pro te vel rapidas ausim maris ire per vndas,
Aduersis hiberna licet tumeant freta ventis:

Pro te vel solus densis obsistere turmis,
Vel paruum Ætnææ corpus committere flammæ,
Sum quodcunque, tuum est. nostri si paruula cura
Sit tibi, quanta libet. si sit modo, non mihi regna
Lydia, non magni potior sit fama Gylippi,
Posse Meleteas nec mallem mittere chartas.
Quod tibi si versus noster totúsve minúsve,
Vel bene si totus, sommo vel inerret in ore;
Nulla mihi statuent finem te fata canendi.
Quin etiam, mea cum tumulus contexerit ossa,
Seu matura dies fato properat mihi mortem,
Longa manet seu vita, tamen mutata figuram,
Seu me finget equum rigidos percurrere campos
Doctum, seu tardi pecoris sim gloria taurus,
Siue ego per liquidum volucris vehar aera pennis,
In quemcunque hominem me longa receperit ætas,
Inceptis de te subtexam carmina chartis.

Laus Sulpiciæ ad Martem.

SVlpicia est tibi culta tuis Mars magne cale dis.
Spectatum è cælo, si sapis, ipse veni.
Hoc Venus ignoscet. at tu violente caueto,
Ne tibi miranti turpiter arma cadant.
Illius ex oculis, cum vult exurere diuos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.
Illam, quicquid agit, quoquò vestigia mouit,
Componit furtim, subsequitúrque decor.
Seu soluit crines, fusis decet esse capillis:
Seu compsit, comptis est veneranda comis.
Vrit, seu Tyria voluit procedere palla:
Vrit, seu niuea candida veste venit.
Talis in æterno felix Vertumnus Olympo
Mille habet ornatus, mille decenter habet.

Sola

Sola puellarum digna est, cui mollia caris
Vellera det succis bis madefacta Tyros,
Possideátque, metit quicquid bene olentibus aruis
Cultor odoratæ diues Arabs segetis,
Et quascunque niger rubro de littore conchas
Proximus Eois colligit Indus aquis.
Hanc vos Pierides festis cantate calendis,
Et testudinea Phœbe superbe lyra.
Hoc solenne sacrum multos celebretur in annos.
Dignior est vestro nulla puella choro.

SVLPICIA AD CHERINTHVM.

PArce meo iuueni, seu quis bona pascua campi
Seu colis vmbrosi deuia montis aper.
Nec tibi sit duros acuisse in pectora dentes.
Incolumem custos hunc mihi seruet Amor.
Sed procul abducit venandi Delia cura.
O pereant siluæ, deficiántque canes.
Quis furor est, quæ mens densos indagine colles
Claudentem, teneras lædere velle manus?
Quidve iuuat furtim latebras intrare ferarum?
Candidáque hamatis crura notare rubis?
Sed tamen, vt tecum liceat Cherinthe vagari,
Ipsa ego per montes retia torta feram.
Ipsa ego velocis quæram vestigia cerui,
Et demam celeri ferrea vincla cani.
Tunc mihi tunc placeant siluæ, si lux mea tecum
Arguar ante ipsas concubuisse plagas.
Tunc veniat licet ad casses, illæsus abibit,
Ne Veneris cupidæ gaudia turbet aper.
Tunc sine me sit nulla Venus: sed lege Dianæ
Caste puer casta retia tende manu.
Et quæcunque meo furtim subrepit amori,

Incid

Incidat in sæuas diripienda feras.
At tu venandi studium concede parenti,
Et celer in nostros ipse recurre sinus.

AD PHOEBVM.

HVc ades, & teneræ morbos expelle puellæ,
Huc ades intonsa Phœbe superbe coma.
Crede mihi propera: nec te iam Phœbe pigebit
Formosæ medicas applicuisse manus.
Effice ne u macies pallentes occupet artus,
Neu notet infirmis pallida membra color.
Et quodcunque mali est, & quicquid triste timemus,
In pelagus rapidis euehat amnis aquis.
Sancte veni, tecúmque feras quicunque sapores,
Quicunque & cantus corpora fessa leuant.
Neu iuuenem torque, metuit qui fata puellæ,
Votáque pro domina vix numeranda facit.
Interdum vouet: interdum, quòd langueat illa,
Dicit in æternos aspera verba deos.
Pone metum Cherinthe: deus non lædit amantes.
Tu modo semper ama: salua puella tibi est.
Nil opus est fletu: lacrymis erit aptius vti,
Si quando fuerit tristior illa tibi.
At nunc tota tua est, te solum candida secum
Cogitat, & frustra credula turba sedet.
Phœbe faue: laus magna tibi tribuetur, in vno
Corpore seruato restituisse duos.
Iam celeber, iam lætus eris, cum debita reddet
Certatim sanctis lætus vterque focis.
Tunc te fœlicem dicet pia turba deorum,
Optabunt artes & sibi quisque tuas.

AD

AD CHERINTHVM.

Est qui te Cherinthe dies dedit hic mihi sanctus,
Atque inter festos semper habendus erit.
Te nascente nouum parcæ cecinere puellis
Seruitium,& dederunt regna superba tibi.
Vror ego ante alias.iuuat hoc Cherinthe,quòd vror,
Si tibi de nobis mutuus ignis adest.
Mutuus assit amor,tua per dulcissima furta,
Pérque tuos oculos,per geniúmque rogo.
Mane geni,cape tura libens,votísque faueto,
Si modo,cum de me cogitat,ille calet.
Quòd si forte alios iam nunc suspirat amores,
Tunc precor infidos sancte relinque focos.
Nec sis nunc iniusta Venus.vel seruiat æque
Vinctus vterque tibi,vel mea vincla leua.
Sed potius valida teneamur vterque catena,
Nulla queat posthac quam soluisse dies.
Optat idem iuuenis,quod nos,sed tectius optat.
Nam pudet hæc illum dicere verba palam.
At tu natalis quoniam deus omnia sentis,
Annue.quid refert,clámne palámne roget?

AD IVNONEM.

Natalis Iuno sanctos cape turis aceruos,
Quos tibi dat tenera docta puella manu.
Tota tibi est hodie,tibi se lætissima compsit,
Staret vt ante tuos conspicienda focos.
Illa quidem ornandi caussas tibi diua relegat,
Est tamen occulte cui placuisse velit.
At tu sancta faue,ne nox diuellat amantes,
Sed iuueni quæso mutua vincla para.
Sic bene compones.vlli non ille puellæ
Seruire,aut cuiquam dignior illa viro.

Ne

Nec possit cupidos vigilans deprehendere custos,
Fallendique viae mille ministret Amor.
Annue, purpureáque veni perlucida Palla.
Ter tibi sit libo, ter dea casta mero.
Praecipit & nata mater studiosa, quod optet.
Illa aliud tacita iam sibi mente rogat.
Vritur, vt celeres vrunt altaria flammae:
Nec, liceat quamuis, sana fuisse velit.
Sit iuueni grata, adueniet cum proximus annus.
Hic idem votis iam vetus assit amor.

SVLPICIA LOQVITVR.

TAndem venit amor, qualem texisse, pudori,
Quam nudasse alicui, sit mihi fama magis.
Exorata meis illum Cytherea camoenis
Attulit, in nostrum deposuitque sinum.
Exoluit promissa Venus. mea gaudia narret,
Dicetur si quis non habuisse suam.
Non ego signatis quicquam mandare tabellis,
Ne legat id nemo, quàm meus, ante velim:
Sed peccasse iuuat. vultus componere famae
Taedet, cum digno digna fuisse ferar.

AD MESSALLAM.

INuisus natalis adest, qui rure molesto,
Et sine Cherintho tristis agendus erit.
Dulcius vrbe quid est? an villa sit apta puellis,
Atque Aretino frigidus amnis agro?
Iam nimium Messalla mei studiose quiescas,
Non tempestiuae saepe propinque viae.
Hic animum, sensúsque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamuis non sinis esse meo.

SCis iter ex animo sublatum triste puellae

Natali Roma non finit esse suo.
Omnibus ille dies nobis natalis agatur,
Qui nec opinanti nunc tibi forte venit.

*

GRatum est securus multum quod iam mihi de me
Permittis subito ne male inepta cadam.
Sit tibi cura togæ potior, pressúmque quasillo
Scortum, quàm Serui filia Sulpicia.
Soliciti sunt pro nobis quibus illa dolori est,
Nec credam ignoto maxima cura toro.

*

EST ne tibi Cherinthe tuæ placiture puellæ,
Qui mea nunc vexat corpora fessa calor?
Ah ego non aliter tristes euincere morbos
Optarim, quàm te sic quoque velle putem.
Nam mihi quid prosit morbos euincere? quid tu
Nostra potes læto pectore ferre mala?
Ne tibi sim mea lux æque tam feruida cura,
Vt videor pauces ante fuisse dies,
Si quicquam tota commisi stulta iuuenta
Cuius me fatear pœnituisse magis,
Hesterna quàm te solum, quod nocte reliqui,
Ardorem cupiens dissimulare meum

AD AMICAM.

NVlla tuum nobis subducet femina lectum.
Hoc primum iuncta est fœdere nostra Venus.
Tu mihi sola places, nec iam te præter in vrbe
Formosa est oculis vlla puella meis.
Atque vtinam posses vni mihi bella videri,
Displiceas alijs: sic ego tutus ero.

Nil

Nil opus inuidia est. procul absit gloria vulgi.
Qui sapit, in tacito gaudeat ille sinu.
Sic ego secretis possum bene viuere siluis,
Quà nulla humano sit via trita pede.
Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
Lumen, & in solis tu mihi turba locis.
Nunc licet è cælo mittatur amica Tibullo,
Mittetur frustra, deficiétque Venus.
Hæc per sancta tuæ Iunonis numina iuro,
Quæ sola ante alios est tibi magna deos.
Quid facio demens? heu cui mea pignora credo?
Iuraui stulte: prodeat iste timor.
Nunc tu fortis eris: nunc tu me audacius vres.
Hoc peperit misero garrula lingua malum.
Iam faciam quodcunque voles: tuus vsque manebo,
Nec fugiam notæ seruitium dominæ.
Sed Veneris sanctæ considam vinctus ad aras:
Hæc notat iniustos, supplicibúsque fauet.

DE INFAMIA SVAE PVELLAE.

Rumor ait crebro nostram peccare puellam.
Nunc ego me surdis auribus esse velim.
Crimina non hæc sunt nostro sine ficta dolore.
Quid miserum torques rumor acerbe? tace.

EPITHAPHION TIBVLLI.

Te quoque Virgilio comitem non æqua Tibulle
Mors iuuenem campos misit ad Elysios:
Ne foret, aut elegis molles qui fleret amores,
Aut caneret forti regia bella pede.

P. OVIDII NASONIS
DE MORTE
TIBVLLI.

Memnona si mater, mater plorauit Achillem,
Et tāgunt magnas tristia fata deas;
Flebilis indignos elegeia solue capillos.
Ah nimis ex vero nunc tibi nomē erit.
Ille tui vates operis, tua fama Tibullus
Ardet in extructo corpus inane rogo.
Ecce puer Veneris fert euersámque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem.
Aspice, demissis vt eat miserabilis alis,
Pectoráque infesta tundat aperta manu.
Excipiunt lacrymas sparsi per colla capilli,
Oráque singultu concutiente sonant.
Fratris in Æneæ sic illum funere dicunt
Egressum castris pulcher Iule tuis.
Nec minus est confusa Venus moriente Tibullo,
Quàm, iuueni rupit cum ferus inguen aper.
At sacri vates, & diuum cura vocamur:
Sunt etiam, qui nos numen habere putent.
Scilicet omne sacrum mors importuna profanat,
Omnibus obscuras inÿcit illa manus.
Quid pater Ismario, quid mater profuit Orpheo?
Carmine quid victas obstupuisse feras?
Et Linon in siluis idem pater edidit altis,

Dicitur inuicta concinuisse lyra.
Aspice Maeoniden; à quo, ceu fonte perenni,
Vatum Pierijs ora rigantur aquis.
Hunc quoque summa dies nigro summersit Auerno.
Effugiunt auidos carmina sola rogos.
Durat opus vatum Troiani fama laboris,
Tardáque nocturno tela retexta dolo.
Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebit,
Altera cura recens, altera primus amor.
Quid nos sacra iuuant, quid nunc Aegyptia prosunt
Sistra, quid in vacuo secubuisse toro?
Cum rapiant mala fata bonos, ignoscite fasso,
Solicitor nullos esse putare deos.
Viue pius: moriere pius. cole sacra: colentem,
Mors tamen à sacris in sua busta trahet.
Carminibus confide bonis: iacet ecce Tibullus.
Vix manet è toto parua quod vrna capit.
Te ne sacer vates flamma rapuere rogales?
Pectoribus pasci nec timuere tuis?
Aurea sanctorum potuissent templa deorum
Vrere, quae tantum sustinuere nefas.
Auertit vultus, Erycis quae possidet arces.
Sunt quoque qui lacrymas continuisse negant.
Sed tamen hoc melius, quàm si Phaeacia tellus
Ignotum vili supposuisset humo.
Hic certe manibus fugientes pressit ocellos
Mater, & in cineres vltima dona tulit.
Hic soror in partem misera cum matre doloris
Venit inornatas dilaniata comas.
Cúmque tuis sua iunxerunt Nemesisq; priórque
Oscula, nec solos destituere rogos.
Delia discedens, felicius, inquit, amata

Sum tibi: vixisti, dum tuus ignis eram.
Cui Nemesis, quid, ait, tibi sunt mea damna dolori?
Me tenuit moriens deficiente manu.
Si tamen è nobis aliquid, nisi nomen & umbra
Restat, in Elysia valle Tibullus erit.
Obuius huic venies edera iuuenilia cinctus
Tempora cum Caluo docte Catulle tuo.
Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,
Sanguinis atque animæ prodige Galle tuæ,
His comes umbra tua est, si qua est modo corporis umbra.
Auxisti numeros culte Tibulle pios.
Ossa quieta precor tuta requiescite in urna,
Et sit humus cineri non onerosa tuo.

M. AN

M. ANTONII MVRETI IN TIBVLLVM SCHOLIA.

IN ELEGIAM I.

DIVITIAS alius. *Utrunque genus complexus est. diuitiæ enim partim in rebus mobilibus consistunt, partim in rebus soli. è mobilibus autem aurum nominauit* κατ᾽ ἐξοχήν. *Pindarus:*

Ἄριστον μὲν ὕδωρ. ὁ δὲ
χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ
ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου; *id est:*

Aqua est optima res quidem.
Aurum at, ignis vt ardens
Nocte relucet atra, in-
ter opes quoque magnanimas sic
Splendet.

Me mea paupertas. *ego pauper sane sim; dum & fruar ocio, neque arcta inopia premar.* Ipse seram. *oblectabo me agricultura, pastione, & amore.* Ipse seram. *apparet, hunc poetam elegantiam quandam putasse esse in eiusdem syllabæ cōtinuata repetitione. vt su-*

pra, Me mea: & nunc, Ipse feram: & mox, Poma manu: & infra, multa tabella: &, sicca canis, & tam multis locis demique, vt constet, hoc non casu, sed dedita opera factum. Rusticus & facili. *aliter facilem manu & aliter paulò infra facile lutum. neque vllam vocem habent Graci, qua huic plane respondeat.* Nec Spes. *dea nomen est.* Nam veneror. *caussa, cur sperare debeat, agriculturam sibi fructuosam fore. colo enim, inquit, deos. Fuit hac pietas in veteribus, vt cum ceteris in rebus, tum in hoc pracipue studio, quibus diuinus cultus neglectui non esset, ijs omnia prospere successura crederent. itaque Virgilius,*

In primis venerare deos, atque annua magna
Sacra refer Cereri, latis operatus in herbis.

& Horatius,

Cælo supinas si tulerit manus,
Nascente luna, rustica Phidile,
Si ture placaris, & horna
Fruge lares, auidáque porca:
Nec pestilentem sentiet Africum
Fœcunda vitis, nec sterilem seges
Rubiginem, aut dulces alumni
Pomifero graue tempus anno.

& eodem pertinere arbitror prouerbium, quod est apud Varronem libro primo de re rustica, Dij facientes adiuuant. facientes enim accipio eos, qui rite operantur sacris: vt in illo, Cum faciam vitula: & Erasmum, qui multo aliter interpretatus est, falsum puto. Seu stipes. *non dubium est, quin Terminum dicat, de quo Ouidius,*

Termine, siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes ab antiquis, tu quoque numen habes.

Sed

Sed tamen illud quoque superstitiosis hominibus in consuetudine positũ fuisse accepimus, temere oblatos in via lapides, stipitésque venerari. Xenophon. καὶ τοὺς μὲν οὔθ᾽ ἱερῶν, οὔτε βωμῶν, οὔτε ἄλλων τῶν θείων οὐδὲν τιμᾶν, τοὺς δὲ καὶ λίθους, καὶ ξύλα τὰ τυχόντα, καὶ θηρία σέβεσθαι. *& ineptus quidem scriptor, non tamen omnino inutilis, Appuleius: Neque enim iustius religiosam moram viatori obiecerit aut ara floribus redimita, aut spelunca frondibus inumbrata, aut quercus cornibus onerata, aut fagus pellibus coronata. vel enim colliculus sepimine consecratus, vel truncus dolamine effigiatus, vel cespes libamine humigatus, vel lapis vnguine delibutus. Propertius.*

Et quicunque sacer, qualis vbique, lapis.

Florida serta. *quæ significent deum esse.*

Libatum agricolæ. *Varie legitur hic versus: à quibusdam hoc modo,*

Libatum agricolam ponitur ante deum. ab aliis,
Libatum agricola, ponitur ante deum. ab aliis
Libatum agricolas ponitur ante deos.

ego autem lego,

Libatum, agricolæ ponitur ante deo.

& deum agricolam expono eum, qui præest agrorũ cultui, id est Liberum patrem, de quo infra:

Primus aratra manu solerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitauit humum.

siquidem Osirim & Bacchum eundem esse constat. & alibi:

Illa deo sciet agricolæ pro vitibus vuam,
Pro segete spicas, pro grege ferre dapem.

ponendi autem verbum hac in re & Græcis & Latinis mire vsitatum est. Catullus:

Mihi corolla picta vere ponitur: Horatius:

Hic vinum mihi cespitem, hic

Verbenas pueri ponite, turáque.

& in epigrammatis Græcis:

Τὶς θεῷ μαρμαίροντα βοάγρια;

neque tantum θέσθαι *dicunt, verum etiam* ἀναθέσθαι; *vnde* ἀναθήματα. *neque est, quòd quisquam, propter vocem, ante, de huius scripturæ veritate dubitet. sic enim & Plautus:*

Bonum ante ponam prandium pransoribus.

si quis tamen agricolas deos legat, & exponat, Liberum, Liberam, Cererem, Pana, ceteráque ruris numina; non repugnauerim. nam & infra ita locutus est,

Redditur agricolis gratia cælitibus.

Hostia parua. *in quibusdam libris, magna: quod non displicet: vt, pro agri exiguitate, hæc quoque magna hostia esse dicatur.* Iam modo non. *modo non est,* μονονουχὶ; *etsi sunt, qui aliter sentiant.*

Sed canis æstiuos ortus vitare sub vmbra Arboris. *totidem prope verbis in quodam epigrammate Alcæus:*

—λασίας θάμνῳ ὑπὸ πλατάνε

καύματ᾽ ὀμωρινοῖο φυγὼν κυνός.

Securum somnos, igne iuuante, sequi. *in alijs libris, imbre iuuante sequi. vtrunque ferri potest. nam & imber, & ignis hieme somnum conciliant. illud etiam de imbre, conuenit cum illo Sophocleo,*

—ὑπὸ στέγῃ

Πυκνᾶς ἀκοῦσαι ψεκάδος εὐδούσῃ φρενὶ.

& cum eo, quod est infra,

Nam neque tum plumæ, nec stragula picta soporem,

Nec sonitus placidæ ducere posset aquæ.

IN ELEGIAM II.

ADDE merum. *in quibusdam libris, vinóque graues compesce dolores: in alijs, vinóque nouos compesce furores.* Neu quisquam. *in hoc versu quidam, perfusum, quidam, percussum, legunt. Seneca quidem in Troade, percussam deo Mænadem, dixit. ego tamen, quod hic in libris veteribus perfusum repereram, nihil immutare volui.* Dum requiescit amans. *libri veteres, amor: & tertio abhinc versu, ijdem libri, ianua fulta.* Cum posti florida serta darem. *Morem hunc amantum fuisse, notum est, spargendi mero, & ornandi floribus amicarum fores. Propertius:*

Et mihi non desunt turpes pendere corollæ. Ouidius:
At tu non lætis detracta corona capillis,
Dura super tota limina nocte iace. Plautus:
—agite, bibite festiuæ fores,
Potate, fite mihi volentes propitiæ.

Blandaq; compositis abdere verba notis. *scio fuisse, qui aduersus hanc emendationem, seu iudicio, seu διὰ ἀνθρώπινόν τι πάθος, multa dixerint. sed profecto præclara illa est: δεῖ γὰρ τ' ἀληθῆ λέγειν, vt ait Plato. hoc enim non obscure significat poeta, alienæ vxoris amatorem inuenire, monstrante Venere, quo modo cum ea etiam viro præsente, impune colloquatur. componere enim ipsos inter se notas quasdam, quibus vtantur verborum loco, atque hoc modo abdere blanditias, quas sibi tum inuicem dicunt. sed hoc nullo ex loco melius intelligi potest, quàm ex his Ouidij versibus, qui sunt ex elegia quadam, qua amicam monet, quomodo se in cœna gerere debeat, cui cœnæ etiam vir ipsius erat interfuturus.*

Me

Me specta, nutúsque meos, vultúmque loquacem.
Excipe furtiuas, & refer ipsa, notas.
Verba superciliis sine voce loquentia dicam.
Verba leges digitis, verba notata mero.
Cum tibi succurret Veneris lasciua nostræ,
Purpureas tenero pollice tange genas.
Si quid erit, de me tacita quod mente loquaris;
Pendeat extrema mollis ab aure manus.
Cum tibi, quæ faciam, mea lux, dicámve, placebunt:
Versetur digitis annulus vsque tuis.
Tange manu mensam, tangunt quo more precantes,
Optabis merito cum mala multa viro.

huiusmodi notas, absque vlla dubitatione, hoc versu significat Tibullus.

Nec vetat obscura surgere nocte timor. *eos, qui nocturnas formidines expauescũt, facile liberari hoc morbo, si amare occeperint, exẽplo suo indicat Ouidius: cuius hæc sunt: (de amore autem loquitur.*

Ille per excubias custodum leniter ire
Monstrat: inoffensos dirigit ille pedes.
At quondam noctem, simulacráque vana timebam:
Mirabar, tenebris si quis iturus erat.
Risit, vt audirem, tenera cum matre Cupido;
Et leniter, fies tu quoque fortis, ait.
Nec mora: venit amor: non vmbras nocte volantes,
Non timeo strictas in mea fata manus.

En ego cum tenebris. *qui cum hoc loco elegiam Propertij è libro tertio, cuius principium est, Nox media, conferre voluerit, non minimam, ni fallor, è collatione capiet voluptatem.* Securum in tenebris. *hic versus legitur ille quidem in nonnullis vetustis libris:* *sed*

sed in alijs lacuna est. in quibusdam etiam legitur,
Præsidio noctis sentio adesse deam. at in alijs,
Illa deus certa dat mihi signa viæ:
vt si quis, commotus illa tanta varietate, de mendo suspicetur, me quidem socium sit habiturus. Prouocat orbe niues. *ita est in veteribus: non, vt in alijs, conuocat.* Ter cane. *ternario numero in rebus diuinis vti solitos veteres, etiam ex Aristotele didicimus: cuius illa sunt libro primo de cælo:* μεγέθους δὲ τὸ μὲν ἐφ' ἓν, γαμμὴ· τὸ δ' ἐπὶ δύο, ἐπίπεδον, τὸ δ' ἐπὶ τρία, σῶμα, καὶ παρὰ ταῦτα οὐκ ἔστιν ἄλλο μέγεθος, διὰ τὸ τὰ τρία πάντα εἶναι, καὶ τὸ τρὶς πάντῃ. καθάπερ γάρ φασιν οἱ Πυθαγόρειοι, τὸ πᾶν καὶ τὰ πάντα τοῖς τρισὶν ὥρισται. τελευτὴ γὰρ καὶ μέσον καὶ ἀρχὴ τὸν ἀριθμὸν ἔχει τοῦ παντός. ταυτὰ δὲ τὸν τῆς τριάδος. διὸ παρὰ τῆς φύσεως εἰληφότες ὥσπερ νόμους ἐκείνης, καὶ πρὸς τὰς ἁγιστείας χρώμεθα τῶν θεῶν τῷ ἀριθμῷ τούτῳ. Ille licet. *per me licet, ille triumphans in vrbe me inuehatur, dummodo ego ruri ociosus te frui possim.* Et in solito. *alij, et in solo. placet.* Et in culta. *alij, & in nuda. vt sit sensus: etiam in nuda humo mollis mihi fuerit somnus, si te amplexus, dormiam.* Non ego tellurem. *in veteribus libris, distichon, quod hic sequitur, antecedit.* Despuit in molles & sibi quisque sinus. *ad auertēdam Nemesim. idem etiam ad fascinationes auertendas valere arbitrabantur. Theocritus:*

Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον.

Callimachus:

Δαίμων, τί κόλποισιν ἐπιπτύουσι γυναῖκες;

& quidam in epigrammatis:

Ἐς βαθὺν τρὶς κόλπον ἀπέπτυσε.

IN ELEGIAM III.

IBITIS Aegeas. *ad M. Valerium Messallam Coruinum scribit, qui cum Augusto consul fuerat, qui postea de Gallis triumphauit. Videntur autem hæc scripta, cum Messalla ex consulatu in Macedoniam proficisceretur.* Abstineas auidas. *varia huius versus scriptura est. in aliis, mors precor atra: in aliis, mors modo nigra: in aliis, mors violenta. neque multum interest, quæ recipiatur.* Retulit è triuis. *lego, Retulit & triuis. & ad sortes refero. veteres tamen libri cum vulgatis consentiunt.* Tamen est deterrita nunquam. *vtrum dicit, eam deterreri, id est, reuocari non potuisse, quin fleret: an, vt desperatam, quæ spem abiecit, dicimus, ita deterritam, quæ terrorem deposuerit, hoc loco intelligemus? quod si est, singulare, opinor, hoc sensu fuerit verbum.* Illa tua toties sistra. *ita est in libris veteribus, non, vt in peruulgatis, æra. Ouidius quoque hanc scripturam confirmat, qui ad hunc locum respiciens, ita cecinit, in carmine, quo huius poetæ mortem defleuit:*

Quid nos sacra iuuant? quid nunc Ægyptia prosunt
Sistra? quid in vacuo secubuisse thoro?

Menstrua tura. *alij, mascula. sed nihil necesse est, contempta veterum librorum auctoritate, quicquam mouere.* Fac lapis. *Versum hunc in antiquis quibusdam libris ita scriptum reperio, Fac lapis inscriptus stet super ossa mea.* Tum niger in turba. *iidem libri, in porta.* Tentare. *ita plane dictum, vt à Græcis πειρᾶν. Lucianus in dialogo, quo de hoc ipso Ixione agitur: μῶν οὖν ἐπείρα τινά; & alibi: συγγνωστὸς γοῦν εἰ καλόν σε οὕτως ὄντα ἐπείρα. Ixionis autem fabu-*

la

la petenda est è secundo εἴδει *Pythiorum Pindari. neque enim tantum appetiisse Iunonem, sed & primus, de quo quidem extet in Græcorum historiis, cædem perpetrasse memoratur, occiso per summam perfidiam socero suo. Virgilius eum capiti imminētis, & iamiam lapsuro similis saxi metu cruciari ait; suo quodam iure, quod ab aliis de Tantalo dicitur, ad hunc, & ad Lapithas, & ad Pirithoum transferens.* Porrectúsque nouem *Virgilius* VI. *Æneidos: Homerus* Ὀδυσ. λ *eius autem iecur Virgilius ab vno, Homerus à duobus vulturibus carpi ait: at Demetrius in Pindarum, à serpentibus.* Tantalus est illic, & circum, stagna. *& circum Tantalum stagna sunt. Tantalum Plato, quasi* ταλάνταλον, *dictum ait. Porro & de peccato eius, & de supplicio admodum discrepantia prodita sunt literis. ego de vtroque, quæ in memoriam venient, huc conferam. Sunt, qui dicant, eum à Ioue patre admissum ad epulas deorum, quia ibi arcana audierat, cum hominibus communicasse: ideóque detrusum ad inferos, & damnatum hac pœna, vt in aere pendens, æterno metu imminentis capiti lapidis torqueretur. Euripides:*

Ὁ γὰρ μακάριος, κοὐκ ὀνειδίζω τύχας,
Διὸς πεφυκώς, ὡς λέγουσι, Τάνταλος,
Κορυφῆς ὑπερτέλλοντα δειμαίνων πέτρον,
Ἀέρι ποτᾶται· καὶ τίνει ταύτην δίκην,
Ὡς μὲν λέγουσιν, ὅτι θεοῖς, ἄνθρωπος ὢν,
Κοινῆς τραπέζης ἀξίωμ' ἔχων ἴσον,
Ἀκόλαστον ἔσχε γλῶσσαν, αἰσχίστην νόσον.

De hoc saxo Cicero de finibus, Mors, quæ, quasi saxum Tantalo, semper impendet. & Lucretius.

Nec

Nec miser impendens magnum timet aere saxum
Tantalus, vt fama est, cassa formidine torpens.

& Plato: ἡ ὑπὲρ τῆς κεφαλῆς τοῦ λίθου Ταντάλεια. *Pindarus quoque in Olympijs hoc ipsum Tantali supplicium agnoscit: sed hanc caussam fuisse ait, quòd ipse ambrosiam & nectar furatus, compotoribus suis communicauerit. aiunt, & Alcaeum, & Alcmanem, & Archilochum huius lapidis mentionem fecisse. qui allegoricè ista interpretantur, alij metum mortis, vt Cicero; alij metum deorum, vt Lucretius, significari putant: alij Tantalum physiologum diligentem fuisse dicunt, qui soli praecipue naturam accuratissime contemplaretur: ideóque dictum solem capiti ipsius impendere. nam solem quidem ipsum multi ex veteribus, Anaxagoram secuti, lapidem glebámve ignitam esse credebant. hanc postremam sententiam Euripides ipse aperte confirmat in choro quodam ex eadem fabula, vbi solem* πέτραν, *&* βῶλον *nominat. Tradita & haec de Tantalo fabula: fuisse canem quendam aureum, eundémque animatum, (vt minus mirum sit, quod de Talo in Catullum diximus) templo Iouis in Creta custodem additum fuisse: quem cum surripuisset Pandareus Milesius, asseruandum dedisse Tantalo: missum deinde à Ioue Mercurium, qui canem reposceret: sed negasse Tantalum, eum penes se esse: ob id igitur detrusum ad inferos, ipsiúsque capiti impositum Sipylum montem: eumque esse lapidem illum, de quo supra diximus, neque desunt, qui, quòd Pelopem filium mactauerit, diísque epulandum apposuerit, ad inferos detrusum esse dicant. sed de supplicij genere, plurimos astipulatores inuenit Homeri narratio, quam*

hic

hic quoque Tibullus insequitur. quæ, quia etiam vulgo notissima est, nihil esse, cur à me pluribus verbis explicetur puto, Et Danai proles. *De Danaidibus cetera peruulgata sunt: illud visum est non indignum, quod annotaretur; cum, vnam modo ex eis Hypermnestram fratri ac viro suo Lynceo pepercisse, traditum sit, esse tamen, qui hanc ipsius laudem cum Bebryce sorore communem faciant, & eam quoque Hippolyto pepercisse dicant. hoc reperi apud Eustathium, Dionysij interpretem.* Tunc veniam subito. *contra consuetudinem Romanorum, qui, peregre cum redirent, aduentus sui nuncios præmittere ad vxores solebant. auctor Plutarchus. sed hic ideo subito venire vult, quòd repentino aduentu suo maius gaudium puellæ obiectum iri videt.*

IN ELEGIAM IIII.

Sic vmbrosa. *miratur, qui fiat, vt obscœnum deum formosi pueri diligant, ad eúmque vltro accedant, qui neque forma, neque corporis cultu ipsos ad se allicere posse videatur. est & in Virgilianis lusibus carmen, quo deus ipse idem admirans inducitur: &, longa oratione multis alijs caussis remotis, ad postremum concludit, eos, quo supplicio proposito absterreri debuerant, eius ipsius desiderio captos venire. extremi versus hi sunt:*

Nimirum apertam conuolatis ad pœnam,
Et vos id ipsum, quod minamur, inuitat.

Sic ego. tum Bacchi. *in quibusdam veteribus: Sic ego: sic Bacchi. ab ijs autem abest pentameter, qui sequitur. neque ego sane, eum Tibulli esse, præstare ausim.* Bacchi proles. *Bacchi igitur filius est præclarus iste & virginalis deus. atque ita esse, confirmat*

etiam versus Antipatri Sidonij:

- ταῦθ᾽ ὁ Πρίηπος

ὑμμιν ἐνορμίτης παῖς ἐνέπω Βρομίε.

Orpheus Bacchum, Solem, & Priapum eundem facere videtur. Theocriti scholiastes ait, Priapū esse Naidis, aut Chiones nymphæ, & Bacchi filium: at alios eum cùm Baccho eundem facere. Diodorus Siculus & Pausanias Baccho & Venere genitum esse tradunt. Apud Lucianum reperio, eum esse Veneris filium: sed, si etiam Bacchi, ne ille patrem suum haudquaquam paterne accepit, quem, Lampsaci hospitio exceptum, noctu hasta illa sua confodere voluerit. at constat, eum Luciano non esse Dionysi filium. Armatus curua. *hic versus, vt dixi, abest à quibusdam libris: atque in eisdem scriptum est ad marginem,* FRAGM. *Ego autem facile mihi persuaserim, non vnum modo, sed & plures versus hoc loco desiderari. etenim quæ respondet Priapus, non pertinent ad id, quod ex ipso quæsierat Tibullus. vehementer itaque suspicor, versus aliquot, quibus paulo liberius quippiam, & paulo magis ex huius dei consuetudine dictum esset, hoc loco esse omissos.*

O fuge. *homines, qui militarem Venerem colunt, quique natura sunt à fœdo puerorum amore εὐάλωτοι, in omnibus, quorum ætas πρὸς ἀπόλαυσιν idonea est, facile caussam aliquam reperiunt, cur ipsos ament. eodémque modo φιλόγυνοι cuiusque propemodum generis mulieres persequuntur: neque vlla est paulo adolescentior, quæ non ipsis ἁλμυρόν τι καὶ ὠνήσιμον habere videatur. itaque Socrates (quem tamen abfuisse à nefando amore volunt: neque ego dissentio) ingenue confitetur, omnes pueros, qui certæ cuiusdam ætatis*

tatis ſint, ſibi formoſos videri. verba eius ſunt in Charmide: Ἐμοὶ μὲν οὖν ὦ ἑταῖρε οὐδὲν σταθμητὸν. ἀτεχνῶς γὰρ λευκὴ στάθμη εἰμὶ πρὸς τοὺς καλοὺς. σχεδὸν γάρ τι μοι πάντες οἱ ἐν τῇ ἡλικίᾳ καλοὶ φαίνονται. *libro autem de rep.* V. *idem etiam fuſius explicat his verbis:* Ἀνδρὶ δ' ἐρωτικῷ οὐ πρέπει ἀμνημονεῖν, ὅτι πάντες οἱ ἐν ὥρᾳ τὸν φιλόπαιδα καὶ ἐρωτικὸν ἀμηγέπη δάκνουσί τε καὶ κινοῦσι, δοκοῦντες ἄξιοι εἶναι ἐπιμελείας τε καὶ τοῦ ἀσπάζεσθαι. ἢ οὐχ οὕτω ποιεῖτε πρὸς τοὺς καλοὺς; ὁ μὲν, ὅτι σιμὸς, ἐπίχαρις κληθεὶς, ἐπαινεθήσεται ὑφ' ἡμῶν. τοῦ δὲ τὸ γρυπὸν, βασιλικόν φατε εἶναι. τὸν δὲ δὴ διὰ μέσου τούτων, ἐμμετρότατα ἔχειν. μέλανας δὲ, ἀνδρικοὺς ἰδεῖν. λευκοὺς δὲ, θεῶν παῖδας εἶναι. μελαγχλώρους δὲ, καὶ τοὔνομα οἴει τινὸς ἄλλου ποίημα εἶναι, ἢ ἐραστοῦ ὑποκοριζομένου τε καὶ εὐχερῶς φέροντος τὴν ὠχρότητα, ἐὰν ἐπὶ ὥρᾳ ᾖ; καὶ ἑνὶ λόγῳ πάσας προφάσεις προφασίζεσθέ τε, καὶ πάσας φωνὰς ἀφίετε, ὥστε μηδένα ἀποβάλλειν τῶν ἀνθούντων ἐν ὥρᾳ. *Ouidius quoque in elegia quadam, eodem ſe modo erga mulieres affectum fatetur. eius elegiæ principium eſt, Non ego mendoſos.* Hic, quia fortis adeſt. *Ouidius:*

Siue aliqua eſt oculos in me deiecta modeſtos;
Vror; & inſidiæ ſunt pudor ille meæ:
Siue procax aliqua eſt; capior, quia ruſtica non eſt;
Spémque dat, in molli mobilis eſſe thoro.

Longa dies molli. *multi hanc ſententiam expreſſerunt poetæ: quorum primus fuiſſe videtur Chærilus:*

Πέτραν κοιλαίνει ῥανὶς ὕδατος ἐνδελεχείῃ.

Lucretius:

Nonne vides, etiam guttas in ſaxa cadentes
Humoris, longo in ſpatio pertundere ſaxa? *Ouidius:*

Gutta cauat lapidem. *quem quidem cur tantopere abijciat* P. *Victorius, vt etiam Chœrilo inferiorẽ faciat, miror. nam ille ipse, quem ex contentione tanto superiorem videri vult, Lucretius eandem sententiam, libro primo, non multo ornatius extulit:*

Stillicidi casus lapidem cauat.

Neque nunc disputo, vter melior poeta sit: sed tamen indignum videtur, quenquam de Ouidio ita contemptim loqui. Propertius quoque hoc ipsum ita cecinit:

Sed tamen obscura teritur rubigine mucro

Ferreus, & paruo sæpe liquore silex.

Transiet ætas. *transiet, pro transibit: & contra analogiam, & contra consuetudinem.*

Quàm cito non segnis. *si particula, non, referatur ad nomen segnis; falsum erit, quod dicitur. dies enim neque stat, neque remeat. sin ad verba; falsum erit epitheton, segnis. sin ad vtrunque; tamen, nisi locus aliter distinguatur, suberit vitium vel maximum. vox enim, cito, cum standi verbo cohærere nullo modo potest. Cito aut tarde moueri aliquid dicitur. cito quidem stare, aut quiescere aliquid, qui dicat, is non philosophiæ modo, sed omnino communis sensus expers esse videatur. distinguendum igitur est hoc modo:*

At si tardus eris, errabis: transiet ætas

Quàm cito: non segnis stat, remeátque dies.

vt significet ætatem citissime transire, diem autem segnẽ non esse, sed volatilem; neq; stare vnquam, sed perpetuo fluere; neque vnquam redire, sed irreuocabilẽ, atq; irreparabilem esse. Venturam admittat. *portendat. est autem verbum augurale. Plautus: Impetritum, inauguratum est. quouis admittunt aues. dicitur &, addicere. Liuius: Aues semel atque iterum non addixerunt.*

IN

IN ELEGIAM V.

IPSE procurauí. *apto verbo vsus est, & sumpto ex augurum disciplina. sic apud Ciceronem, procurare monstra. sed illud notandum, primam huius verbi syllabam etiam breuem esse posse.* Deueneranda. *venerari est precari, vt in Catilinarias docui. deueneranda igitur erit, deprecanda, &, vt veteres in his rebus loquebantur, auerruncanda. sed in plerisque libris veteribus, pro, salsa, legitur, sancta.* Veneri. *quidam libri veteres, Triuiæ.* Et iuuet in tota. *Martialis:*

Vssit amatorem Nemesis lasciua Tibullum,
In tota iuuit quem nihil esse domo.

Et pudet, & narrat. *ex hoc versu, non video, quæ commoda sententia elici possit. quidam legunt,*

Et dominæ narrat scire nefanda meæ.

vt, nefanda, accipiamus nefandas artes, quibus puellam ad eum deuouendum ac defigendum vti, illa altera diceret. Non facit hoc verbis. *sic alibi:*

Forma nihil magicis vtitur auxiliis.
Sed corpus tetigisse nocet, sed longa dedisse
Oscula, sed femori conseruisse femur.

Escásque sepulcris. *ita melius videtur, quàm, vt in aliis, herbásque: vt sit simile illi Catulliano,*

Vxor Meneni, sæpe quam in sepulcretis
Vidistis ipso carpere è rogo cœnam,

IN ELEGIAM VI.

QVID tibi sæuitiæ. *alii, Quid tibi sæue puer.* An gloria magna est. *simile illud Virgilii,*

Egregiam vero laudem.

& quidam in epigrammatis Græcis.

Τί πλέον εἰ θεὸς ἄνδρα καταφλέγει, ἢ τί τὸ σεμνὸν

Δηώσας ἀπ᾽ ἐμῆς ἆθλον ἔχει κεφαλῆς;

Immerito proprias. *in alys, In proprias merito: in alys, immerito pronas. ego locum corruptum esse existimo.* At quæ fida fuit nulli. *ita est, summo consensu, in veteribus libris, non, vt in peruulgatis, Nam quæ fida fuit. constat autem, amissos aliquot versus, quibus exponeretur, castæ mulieres, & vno viro contentæ, quas commoditates in senectute ex constantia illa sua & fidelitate perciperent.*

IN ELEGIAM VII.

HVNC cecinere. *Natalem Messallæ, & eiusdem victorias celebrat.* Non sine me. *hoc distichon quidam non inerudititi homines ita legendum putant:*

Non sine me est tibi partus honos per bella. Pyrene
Testis, & Oceani littora Santonici.

Carmoti & Flaui. *ita est in meo vetere libro: at in alio quodam, Carnoti. neque tamen mihi dubium est, quin legi debeat, Carnuti. sunt enim Carnuti populi Aquitaniæ, quos alluit Liger. Strabo.* τούτων δὲ ἐπιφανέστατόν ἐστι τὸ τῶν ἀρσκέρνων, καὶ τὸ τῶν καρνούτων, δι᾽ ὧν ἀμφοῖν ἐνεχθεὶς ὁ λείγηρ εἰς τὸν ὠκεανὸν ἔξεισι. *sed cur Tibullus mox ex Aquitania, tanta pernicitate, in Ciliciam, aliquásque regiones tantopere ab Aquitania dissitas euolet, haud equidem facile dixerim.* Taurus alat Cilicas. *inepte in alijs libris, Taurus arat Cilicas. & inuenti sunt tamen, qui hanc scripturam reciperent, dicerentque hypallagen esse.* Quid referam, vt volitet. *Syri columbas, quod in tutela Veneris essent, violare nefas putabant. ijdémque piscibus (an omnino, an certo quodam piscium genere?) abstinebant: eósque in deorum loco habebant: quod ab ijs Venus,*

nus, Typhonem fugiens, seruata esset. Xenophon libro primo de expeditione Cyri. μετὰ δὲ ταῦτα Κῦρος ἐξελαύνει σταθμοὺς τέσσαρας, παρασάγγας εἴκοσιν. ἐπὶ τὸν Χάλον ποταμὸν, ὄντα τὸ εὖρος πλέθρου, πλήρη δὲ ἰχθύων μεγάλων καὶ πραέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς. *Cicero. Piscem Syri venerantur. Ouidius:*

Terribilem quondam fugiens Typhona Dione,
Tunc cum pro cælo Iuppiter arma tulit:
Venit ad Euphraten, comitata Cupidine paruo:
Inq; Palæstinæ margine sedit aquæ.
Populus, & cannæ riparum summa tenebant:
Spémque dabant salices hos quoque posse tegi.
Dum latet, insonuit vento nemus. illa timore
Pallet, & hostiles credit adesse manus.
Vtq; sinu tenuit natum, succurrite nymphæ,
Et dijs auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora: prosiluit. pisces subiere gemelli:
Pro quo nunc dignum sidera numen habent.
Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Ne violent timidi piscibus ora Syri.

Diodorus Siculus alias caussas affert. quòd enim dea Derceto sese in stagnum quoddam Ascaloni vrbi vicinum conjecerit, ibique in piscem cõuersa sit: ad propterea Syros eis piscibus abstinere, eósque pro dijs colere: columbis autem eundem honorem tribuere, propter Semiramin, quam in columbam esse conuersam fabulentur. atque harum fabularum vtranque leuiter tangit Ouidius libro IIII. Metam. At Diodorus, non columbis modo, sed omnino auium generi omni parci, diuinósque honores tribui ait à Syris: quòd ab ambiu eam, quam proxime nominaui, reginam al-

tam esse opinentur. Ægyptios quoque piscium esum in rebus illicitis ducere, auctor est Herodotus. & Iuuenalis inter animalia, quæ ab eis colantur, piscem nominat. Lucianus in Ioue Tragœdo Assyrios columbæ sacrificare ait: & in venustissimo libello περὶ τῆς Συρίης θεοῦ, Ἰχθύας, *inquit*, χρῆμα ἱρὸν νομίζουσι, καὶ οὔκοτε ἰχθύων ψαύουσι. καὶ ὄρνιθας τοὺς μὲν ἄλλους σιτέονται, περιστερὴν δὲ μούνην, οὐ σιτέονται, ἀλλὰ σφίσι ἥδε ἱρή. τὰ δὲ γιγνόμενα, δοκέει αὐτοῖς ποιέεσθαι, Δερκετοῦς τε Σεμιράμιος εἵνεκα. τὸ μὲν, ὅτι Δερκετὼ μορφὴν ἰχθύος ἔχει. τὸ δὲ, ὅτι Σεμιράμιος τέλος, ἐς περιστερὴν ἀπίκετο. Arida nec pluuio. ὀμβρίῳ, ὑετίῳ. *Pausanias in Atticis.* Pectora tristitiæ. *mallem, lætitiæ, si alicuius antiqui codicis accederet auctoritas.* Sed varij flores. *ostendit Osirim eundem esse & Bacchum.*

IN ELEGIAM VIII.

NON ego celari. *ita exercitatum ac tritum dicit esse se in rebus amatorijs, vt vel ex nutibus facile intelligat, quasique auguretur, quis adolescens cuius puellæ amore ardeat: quare non esse, cur amorem suum abscondere nitatur Marathus: se enim facile perspicere, eum mirifico quodam Pholoes amore torqueri. Hunc Marathum amabat Tibullus: vt versus ille indicat,*

Eheu quàm Marathus lento me torquet amore.

sed eo vsus erat aspero, ac difficili. hac igitur elegia, credo, vt velificetur sibi, ac puerum ipsum hoc genere obsequij molliat, hortatur Pholoen, vt ei parcat, neque tam pulchro puero amatorem vllum, quamuis diuitem, anteponendum putet. Non ego celari. *idem de se profitetur Propertius:*

Non me Chaoniæ vincant in amore columbæ

Dice

Dicere, quos iuuenes quaeq; puella domet.
Me dolor & lacrymae merito fecere peritum.
Atque vtinam posito dicar amore rudis.
Nec mihi sunt sortes. *Ouidius:*
Non ego Phoebe datas à te mihi mentiar artes:
Nec nos aeriae voce monemur auis.
& paulo post, Vsus opus mouet hoc.

Quid tibi nunc molles. *haec videtur hisce versibus subesse sententia. Quid tibi prodest, ò Marathe, tantum studium posuisse in forma excolenda, vt Pholoen tui amore incenderes? contra enim cecidit. neque illa tui, sed tu ipsius amore correptus es. itaque ipsa iam tibi, etiam si incompta, atque inornata venerit, placet.* Si non aera repulsa sonent. *aeris enim tinnitu credebant fieri, vt ne magicorum carminum sonus ad lunam perueniret: eámque, hoc modo laborantem adiuuari.* Sed corpus tetigisse. *potitus igitur ea iam erat Marathus, sed ipsa post superba facta erat.* Aspera barba. *liber vetus, hispida.* At Venus inuenit. *non perfacile est videre, horum quatuor versuum sententia quo modo cum ceteris cohaereat. videtur autem hoc dicere: Si forte metuat sibi Pholoe ne à diuite amatore illo sene deseratur, si se Maratho quoque facilem praebuerit; Venerem ipsam inuenisse modos, quibus ipsa clam cum puero delicias facere, &, vt Plautus loquitur, caput collimare possit.* Non lapis hanc. *mulier illa, quae neminem habet, quicum se noctu oblectet, quaeq; hieme longas illas noctes viduas exigit; etiam si lapillorum ac gemmarum vim maximam habeat, voluptatem tamen ex eis nullam capit.*

IN ELEGIAM IX.

QVID mihi. *ruptam sibi à puero fidem conqueritur: & ei, qui illum, muneribus captum, abduxerat, male precatur.* Nec tibi celanti fas sit peccare. *nec possis ita peccare, vt lateas. fas enim est δυνατὸν.* Paranti sit deus. *si clam peccare pares, præsto sit deus ille, qui dolos occultos esse non patitur.* Permisit lene. *liber calamo exaratus. permisit sæua. ego legendum suspicor, permisit sæpe.* Ista hæc persuadet. *ista tua facies tam deformis ei persuadet, vt se comat, tantúmque in cultu corporis studium ponat, vt tibi bella videatur? scilicet, vt fœdo, ac podagrico seni placeat, ita se comit. aut igitur cum interrogatione legẽdum est, aut è contrario intelligendum.*

IN ELEGIAM X.

QVIS fuit. *bellum detestatur pacem: autem commendat, & eius commoda enumerat.* At nobis ærata. *post hunc versum, videtur aliquid deesse.*

IN LIBRVM II.

QVISQVIS adest. *Ambarualis sacrificij descriptio est.* Vos quoque. *hi versus varie leguntur: alij legunt, discedite ab aris, queis tulit: alij, discedat ab aris, cui tulit: alij, discedite ab aris cui tulit. meus vetus liber hac in parte mutilus est. scripturarum autem, quas protuli, ea, quæ primo loco posita est, mihi maxime probatur.* Extruet arte casas. *puerilis ludicri genus. Horatius:*

Ædificare casas, plostello adiungere mures.

Idem alibi: ædificante casas qui sanior?

Fumosos Falernos. *mire dictum. quasi vinum, non*

neutro

neutro,sed masculino genere diceremus. Madere. *madidos,aut uuidos vocabant ebrios, contráque siccos, sobrios.sic & Græci* βεβρεγμένες *dicunt.* Dux pecoris hircus:auxerat hircus oues. *quo modo,quæso,hircus oues auxerat? capras potius credidisse.scio à Græcis interdum* μῆλα *capras vocari.sed nihil ad rem.quid igitur?nimirum vnius literulæ mutatio hanc effecit absurditatem.neque enim,auxerat,legendum est,sed duxerat.* Vos celebrem cantate deum. *locum hunc, multis in libris deprauatum,primus ita legendum esse, ut nos edidimus, admonuit pater tuus Torquate, vir omni virtute ornatissimus, Petrus Bembus,in eo libello,quem de Virgilij culice scripsit.* Matris lasciuo. *in alijs, Martis,inepte.ipsam autem noctem matrem siderum vocat.*

IN ELEGIAM II.

DICAMVS bona verba. *natalem aut suum,aut Cherinthi celebrat.* Dicamus b.v. *Summa enim diligentia cauebant,ne sibi eo die vel imprudentibus vocula excideret vlla,in qua mali ominis aliquid inesset. versum autem hunc ita distinguendum putarim.Dicamus bona verba(venit natalis)ad aras.* Lingua faue. ἢ σίγα, ἢ εὔφημα φώνει. Iam reor hoc ipsos. *puto hoc votum tuum deos edidisse, qui tam sæpe illud ex te audierint. quoties enim sacra facis,nihil prope ab eis aliud petis. hunc versum,visum est mihi,vt exponerem: propterea quòd Cyllenium quendam Veronensem fœde in eo declarando lapsum videbam.*

IN ELEGIAM III.

RVRA tenent. *dolet abesse se à puella sua,quæ rusticatum ierat.* Cornute. *in alijs libris,Cherinthe.*

Ipsa Venus latos. *libri veteres, latos. quod placet. significat enim, agros domina sua præsentia hilarari.*

Pauit & admeti. *hac de re ita Apollinem ipsum alio loco commemorantem facit:*

Me quondam Admeti niueas pauisse iuuencas,
Non est in vanum fabula ficta iocum.
Tunc ego nec cithara poteram gaudere sonora,
Nec similes chordis reddere voce sonos:
Sed pellucenti cantus meditabar auena,
Ille ego, Latonæ filius atque Iouis.

Sequitur autem Tibullus Rhiani, veteris poetæ Græci, & Callimachi μυθολογίαν, *qui Apollinem sponte Admeto seruisse tradunt, ipsius amore captum. nam alij aiunt, eum damnatum à Ioue hac pœna ob interfectos Cyclopas: vt Euripides, apud quem Apollo ipse ita loquitur:*

Ὦ δώματ᾽ Ἀδμήτει᾽, ἐν οἷς ἔτλην ἐγὼ
Θῆσσαν τράπεζαν αἰνέσαι θεός περ ὤν.
Ζεὺς γὰρ κατακτὰς παῖδα τὸν ἐμὸν, αἴτιος,
Ἀσκλήπιον, στέρνοισιν ἐμβαλὼν φλόγα.
Οὗ δὴ χολωθεὶς, τέκτονας δίου πυρὸς
Κτείνω Κύκλωπας. καί με θητεύειν πατὴρ
Θνητῷ παρ᾽ ἀνδρὶ τῶνδ᾽ ἄποιν᾽ ἠνάγκασεν.
Ἐλθὼν δὲ γαῖαν τήνδ᾽ ἐβουφόρβουν ξένῳ.

Est autem hic ille Admetus Pheretis filius, cui cum fatales anni expleti essent, Apollo à Parcis obtinuisse dicitur, vt ipsius morti mora aliqua produceretur, si quis reperiretur, qui pro eo mori vellet. tunc igitur neque Pheres, grandis natu pater, neque iam exacta ætate mater Clymene, neque denique quisquam amicorum repertus est, qui non suam, quàm alienam, vitam seruare mallet. sola vxor Alcestis ea in virum fuit caritate ac

fide, vt se sponte pro eo ad mortem obtulerit. sed & eam ipsam postea Hercules liberauit. ex eo cœptum est vulgo cani Athenis σκόλιον *quoddã, cuius alij Alcæum, alij Sappho, alij Praxillam Sicyoniam auctorẽ esse dicebãt. cuius principium hoc fuit:*

Ἀδμήτου λόγον ὦ ταῖρε μαθὼν, τοὺς ἀγαθοὺς φίλει,
Τῶν δειλῶν δ᾽ ἀπέχου, γνοὺς, ὅτι δειλῶν ὀλίγα χάρις.

Hæc autem vxor ei Apollinis beneficio venerat. cum enim Pelias pater nuptias illius proposuisset ei, qui leonem & caprum ad eundem currum iungeret; id Apollo ipse confecit. Tauros. *Callimachus, non tauros, sed equas iugales.*

Φοῖβον καὶ νόμιον κικλήσκομεν, ἐξ ἔτι κείνου
Ἐξ ὅτ᾽ ἐπ᾽ ἀμφρυσσῷ ζευγήτιδας ἔτρεφεν ἵππους,
Ἠϊθέου ὑπ᾽ ἔρωτι κεκαυμένος Ἀδμήτοιο.

Ipse deus. *post hunc versum desideratur pentameter. nam illi, qui in varijs libris leguntur,*

In nemora, & pastas inde referre domum: aut,
Creditur ad mulctram constituisse prius: aut,
Et potum pastas ducere fluminibus:

adulterini sunt. hic postremus, qui trium minime ineptus est, in vetere quodam libro scriptus est ad marginem, cum hac additione, Versus Aurispa. Lacteus & mistus. *non dubito, quin legendum sit, mistis: vt ad coagula ipsa referatur.* Delphica Pytho. *Pytho aut Python, (vtroque enim modo dicitur) vrbs Phocidis, Apollini sacra, quæ alio nomine Delphis vocatur, & qui vicinum agrum incolunt, Delphi. ac Pytho quidem, aut, quod ibi discerentur futura; aut, quod ibi serpens Python contabuerit: Delphi autem à Delphyne: id enim nomen serpenti illi fuit, quem sagittis Apollo interfecit. Dionysius:*

Τῷ πάρα πυθῶνος θυόεν πέδον, ἧχι δράκοντος
Δελφίνης τριπόδεσσι θεοῦ παρακέκλιται ὁλκός.

Fabula nunc ille est. *olim non homines modo, sed ipsi quoque dij aperte Veneri seruiebant: neque cuiquam amare pudor erat. nunc qui amorem colit, vulgi fabula est: at quem puellæ suæ amor ad ossa tetigit, mauult amare & à vulgo contemni, quàm sine amore deus esse. hac quoque præteriissem silentio, nisi vidissem alios quosdam longissime ab horum versuum sententia, quæ tamen satis aperta est, aberrasse.* Fabula. *in omnium ore ac sermonibus versatur. Horatius:*

Heu me: per vrbem, (nam pudet tanti mali)
Fabula quanta fui.

Geminare pericula. *nam ipsa per se nauigatio periculosa est: at geminatur periculum, vbi bellum geritur mari.* Quas femina Coa. *Plinius libro quarto, de Cea insula loquens: Ex hac, inquit, profectam delicatiorem feminis vestem, auctor est Var. Idem libro* XI. *Telas (de bombycibus loquitur) araneorum modo texunt, ad vestem luxúmque feminarum, quæ bombycina appellantur. primum eas redordiri, rursúsque texere inuenit in Ceo mulier Pamphila Latoi filia, non fraudanda gloria excogitatæ rationis, vt denudet feminas vestis. Ex his Plinij locis indicauit Hermolaus Barbarus, vbicunque apud poetas Coarum vestium mentio est, Ceas, non Coas, legi oportere. ego nihil temere asseuerauerim, nam & Hermolai auctoritas magna est, & argumenta, quibus vtitur, firma: neque tamen librorum veterum, quæ contra stat, contemnenda consensio; presertim cum, bombycas etiam in Co insula nasci, idem Plinius tradat. Adde, quod*

Aristotelis verba sunt è quinto περὶ ζώων ἱστορίας. Ἐν δὲ τούτου ζώου καὶ τὰ βομβύκια ἀναλύουσι τῶν γυναικῶν τινὲς ἀναπηνιζόμεναι, καὶ ἔπειτα ὑφαίνουσι. πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι ἐν Κῷ Παμφίλη Λατώου θυγάτηρ. *sed Hermolaus apud Aristotelē quoque,* ἐν Κέῳ, *non* ἐν Κῷ, *legendum esse censebat.*

Nota loquor. *aliquem notat, qui, cum aliquando seruus fuisset, postea diuitijs fretus, ad regiam potentiam peruenerat.* Nemesim qui abducis. *ita emendaui è meo vetere libro: cum inepte antea legeretur, Nemesim quæ ducis.*

IN ELEGIAM IIII.

SED Venus ante alias. *liber vetus, ante alios: placet,* Sed precium si grande feras. *idem prope cecinit Antipater Thessalonicensis in quodā epigrammate, his versibus:*

Ἢν μὲν γὰρ τὸ χάραγμα φέρῃς φίλος, οὔτε θυρωρὸς
Ἐν ποσὶν, οὔτε κύων ἐν προθύροις δέδεται. *id est,*
Nam precium si grande feras, nec ianitor vllus,
Nec vinctus rigidas stat canis ante fores.

IN ELEGIAM V.

PHOEBE faue. *Messallinum celebrat, cooptatum in collegium* XV. *virorum, ad quos cura librorum sibyllinorum pertinebat.* Tua templa. *sibyllinos enim libros, duobus auratis forulis condiderat Augustus sub Palatini Apollinis basi. Suetonius.* Ad tua sacra. *liber calamo exaratus, ad tua templa.* Chartas vatis. *sibyllæ libros.* Hæc fore credebant. *sibylla, vtpete futuri cōscia, iam tum credebat Romam fore, cum adhuc fumaret Troia.* Cum mæstus. *Æneas.* Fundauerat. *alij, formauerat: alij, firmauerat*

mauerat. Sed tunc paſcebant. *confer cum hoc loco, quæ ſcribit Propertius principio libri quarti.* Impiger Aenea. *hæ ſunt ſortes, quas Æneæ ſibyllam dediſſe dicit.* Lauros veſcar. *laurum enim comedebant vaticinaturi. quod iampridem annotauerat Ludouicus Cœlius.*

Quicquid Amalthea. *pendet è ſuperioribus, vſque ab illis verſibus:*

Phœbe ſacras Meſſallinum ſine tangere chartas
Vatis; & ipſe, precor, quid canat illa, doce.

nunc addit, non tantum doce eum, quid canat ſibylla Cumana; verum etiam, quicquid Amalthea, Marpeſia, ceteræq; dixerunt. ac quemadmodum expoſuerat, quid Cumana ceciniſſet: ſic hoc loco exponit, quid cetera dixerint: aitque eas complexas eſſe verſibus ſuis prodigia, quibus bellorum ciuilium tumultus, ceteræq; calamitates portenderentur. Sciendum autem eſt, libros illos ſibyllinos, qui Romæ aſſeruabantur, non vnius ſibyllæ opus, ſed è plurium ſibyllarum carminibus concinnatum quiddam fuiſſe. Amalthea. *Amaltheam & Cumanam eandem ex Varrone facit Lactantius: & eam ipſam ait Demophilen, aut Herophilen vocari. vt appareat, Tibullum alios auctores ſecutum. Marpeſia autem Solonis & Cyri temporibus fuit.* Quaſq; Albana. *Albanam videtur dicere, quã alij Albuneam, genere Tiburtem.* Perluerítque. *putarim legendum, pertuleritque.*

IN ELEGIAM VI.

Ad latus ille volet. *antea legebatur, ad latus ire volet. ego, (verum enim fatebor,) coniectura tantum fretus, (nam veteres libri hac quidem in parte cum vulgatis*

vulgatis consentiebant) *scribendum curaui, ad latus ille volet. neq; mihi vllo modo dubitandum videtur, quin ita legendum sit.* Et mihi grata tuba est. *alij, & mihi facta tuba est. ego, in veterum librorum discrepantia, eam scripturam secutus sum, quæ mihi probabilior visa est.* Scilicet extinctas. *legendum puto,* Silicet. Lena vetat miserum Phyrne. *sic antea legebatur. Sed ego, quanquam vetustis libris repugnantibus, statui legendum Phryne. eodem modo corruptum est nomen hoc alicubi apud Propertium: vt suo loco dicetur.*

IN LIBRVM III.

MARTIS Romani. *Dialogus est ipsius poetæ cum Musis sanequam elegans. Cum calendis Martijs (qui dies hodiernus est) ad mulieres munera mitti soleant, dicite, quo modo potissimum Neæram meam debeam munerari. Tum illæ. Mittito ei versuum tuorũ libellum, omni diligẽtia exornatum atque expolitum. At poeta. Immo vero vos ipsæ ite, ac librum ad eam perferte, méq; apud ipsam in quammaxima gratia ponite.* Versibus illa tuis. *ita legendum est, non, vt antea, meis. Musæ enim ipsæ loquuntur.* Si nostri mutua cura est. *si, pro, an, more græco.* Vir quondam, nunc frater. *id quo modo acciderit, cõiectura satis assequi non queo; vt, qui antea vir fuerat, nunc sit frater; dem q; speret, quæ nunc soror est, aliquando coniugem fore. nisi forte id est, quod vnum mihi venit in mentem: Tibullum (ipsum enim esse arbitror, qui se ficto nomine Lygdamũ vocat) & hanc Neæram, quæcunque tandẽ est: nam hoc quoq; nomen commenticium est: eos igitur fratrũ aut sororum filios fuisse. Notum est autem, & eos, qui fratribus sororibúsve editi sint, fratres vocari; & inter eos olim et legiti-*

mas & vsitatas fuisse nuptias. Hāc igitur sororem (quam videtur Tibullus aliquandiu in matrimonio habuisse: deinde casu aliquo interuenisse discessio. Sperabat autem Tibullus, nuptias denuo conglutinatum iri, idq́; toto pectore cupiebat. Hoc probabilius afferre nunc quidem nihil possum.

IN ELEGIAM II.

QVI primus. *tantum dolorem esse dicit, quem capit è suo & Neæra dissidio, vt mortē sibi ex eo imminere præsentiat.* Tot mala perpessæ. *versus hic in quibusdam veteribus libris ita legitur,*

Tot mala perpessæ tot superesse meæ: *in alijs,*
Tot mala perpessæ tædia nata meæ.

ego hoc posterius verum puto: & ita expono. Non est mihi pudor verà loqui, ac fateri, natum esse in animo meo viuendi tædium, ex quo tot perpessus sum mala. Dolor huic & cura. *nihil horum verborum sentētia, vt mihi quidem videtur, apertius. sed tam ē sunt, qui etiam mediain luce offendant, locúmque hunc, non intelligendo, corrūpant. hoc igitur dicit. Dolor & cura, quam concepit ex Neæra coniuge erepta, fuit ei caussa perire, id est, caussa pereundi.*

IN ELEGIAM III.

QVID prodest. *negat sibi quicquam distracto à Neæra esse posse iucundum: seq́; mori cupere, ni spes sit, fore, vt illa redeat.* Quid prodest. *quid prodest tam sæpe petijsse à dijs, vt tecum vitam exigere liceat, si id nunc non datur?* Non opibus. *præclara sententia. cui similis est illa Varronis,*

Non fit thesauris, non auro pectu' solutum.

Sed in verbo, leuantur, est homonymia. alio enim modo leuari mentes, dicimus, & alio, curas.

IN

IN ELEGIAM IIII.

DI meliora. *detestatur somnium, quo visus sibi erat audire ex Apolline, Neæram alterius viri amore captam esse: ipsiúsque dei verbis eam admonet, ne quod eiusmodi consilium capiat.* Desinite in votis. *suspicor legendum, Desinite in vanis.* Diui vera monēt. *in oraculis & in extispicijs veritas inest, non in somnijs.* Venturæ nuncia sortis. *non, vera nuncia, vt inepti exponunt; sed, exta nuncia venturæ sortis, vera monent.* Tuscis. *notum est, quantopere ea gēs omni diuinarum rerum intelligentia credita sit excellere.* At natum in curas. *ita est in meo vetere libro: & melius videtur, quàm quod in alijs legitur, Et vanum metuens.* Iam nox ætherium. *describit tempus illud, quo vera somnia videri solent: vt è Theocrito & Horatio alibi docuimus.* Solicitas deficit ante domos. *qua hora ego nondum somnum videram, ea hora in domibus solicitis, id est, quas incolūt naui, & industrij homines, nemo amplius dormit.* Myrrhea. *ita legendum est, non, vt in alijs, Myrtea. Horatius:*

Myrrheum nodo cohibente crinem.

Diuersasq; suas. *lego, Diuersasq; suis.* Hoc alium. *ita emendaui è meo vetere libro: cum in alijs legeretur, ac alium. est autē simile loquendi genus illi Horatiano,*

— alium sapiente bonóque.

& illi, Qui species alias veris. ita enim legendum esse docuit nuper homo eruditissimus Dionysius Lambinus.

IN ELEGIAM V.

LAVDANDAE deæ. *videtur exprimere voluisse epitheton ἐπαινὴν, quod Græci tribuunt Persephonæ Hesiodus:*

Ἰφθίμου τ' Ἀΐδεω, καὶ ἐπαινῆς Περσεφονίης.

Homerus:

Χιλίεχοσ' αἴδην καὶ ἐπαινὴν Περσεφόνειαν.

Graeci tamē grāmatici aliter id nomen interpretantur. Cum cecidit fato. *eodem illo anno cum se natum significaret Ouidius, hoc eodem versu vsus est. ita enim scribit.*

Editus hinc ego sum: nec non, vt tempora noris,
Cum cecidit facto consul vterque pari.

Parcite pallentes vndas. *sic supra, pallida Ditis aqua. in alijs, Vmbras. & sic Virgilius: Pallentes vmbras Erebi.* At vobis. *inepte in alijs legebatur, Atque mihi. ego mei veteris libri scripturam repraesentandam curaui.*

IN ELEGIAM VI.

Illaq; si qua est. *libri veteres, illáque sic qua. ego legendum puto, illáque sicca.* Tu puer & liquidum. *malim, Tu puer huc liquidum.*

F I N I S.